

CHRONICA TORNACENSIS

SIVE

EXCERPTUM EX DIVERSIS AUCTORIBUS

COLLECTUM.



AVERTISSEMENT¹.



Parmi les manuscrits que l'on conserve à la bibliothèque de Lille, on remarque un volume *in-folio*, coté E, n° 21. Il a été écrit au commencement du XVI^e siècle avec soin et correction, quoiqu'il soit dû à des mains différentes, et provient, est-il dit à la première page, de l'ancienne abbaye de Cysoing. On y trouve les ouvrages suivants :

1° *Chronica Tornacensis, sive Excerptum ex diversis auctoribus collectum.*

2° *Liber Alani, dictus Enchiridion de naturis rerum.*

3° S'ensuit le traictiet de maistre Jean Du Fay, de la querelle des rois de France et des princes par dechà.

4° *Itinerarium Clementis, discipuli sancti Petri.*

5° Un cartulaire très-étendu du comté de Hainaut, qui remplit 93 feuillets.

Au premier coup d'œil on prendrait cette chronique de Tournai

¹ D'après les notes laissées par M. le docteur Warnkœnig avant son départ pour Fribourg.

pour un ouvrage entièrement original, car aucune des chroniques publiées, que nous connaissons, ne commence et ne finit comme elle; mais une lecture attentive de ce document prouve que c'est une compilation, divisée aussi en quatre parties bien distinctes, savoir :

1° Une chronique des temps les plus reculés de la ville et de l'évêché de Tournai, qui comprend les sept premiers feuillets.

2° L'histoire de l'abbaye de St-Martin de Tournai, extraite littéralement, mais d'une manière abrégée, de l'ouvrage de l'abbé Hérیمان, qui écrivait vers le milieu du XII^e siècle, et dont la chronique est imprimée dans le second volume du *Spicilegium* de d'Achéry. Les deux textes sont partout très-conformes l'un à l'autre; quelquefois le compilateur a intercalé des transitions ou corrigé le style à sa façon : il a pris aussi une partie de la continuation d'Hérیمان, qui se trouve de même dans le *Spicilegium*. Cette partie a douze feuillets.

3° Une autre chronique de Tournai fort courte.

4° Les annales des évêques de Tournai, depuis le XLIV^e jusqu'au LXXI^e, Louis Guillard, nommé en 1513, sous lequel cet ouvrage a été rédigé; d'autres mains l'ont continué jusqu'à l'administration de François de Gand-Villain, préconisé en 1647. Ces annales contiennent quelques faits généraux relatifs à l'histoire de Flandre, mais surtout une indication de ce qu'ont fait les évêques de Tournai en faveur de leur chapitre.

La première partie de cette chronique est l'ouvrage de Henri de Tournai, chanoine de Notre-Dame, assez connu dans l'histoire littéraire par les notices que lui ont consacrées Valère André dans la *Bibliotheca Belgica*, Fabricius dans la *Bibliotheca medii aevi* et les Bénédictins dans l'*Histoire littéraire de la France*. M. le marquis de Fortia nous apprend, dans le deuxième volume de son édition de Jacques de Guise, que cet annaliste a connu et consulté

cette chronique, mais qu'elle est encore inédite en son entier. M. Hoverlant de Bauwelaere la cite comme telle et en traduit plusieurs passages, comme l'avait fait long-temps avant lui Cousin, dans son *Histoire de Tournay*.

Peu de personnes étant à même de se procurer des collections aussi volumineuses que le *Spicilegium*, M. Warnkœnig avait eu le dessein de reproduire en son entier la chronique d'Hériman. L'abrégé qu'on trouve de cet annaliste dans notre manuscrit, nous permet de renoncer à ce projet.

La fin de la compilation pourrait servir d'introduction à un cartulaire de l'évêché de Tournai, dont la publication serait facile à faire sur les originaux qui sont conservés aux archives du royaume à Bruxelles.





CHRONICA TORNACENSIS,
SIVE
EXCERPTUM EX DIVERSIS AUCTORIBUS
COLLECTUM.

PARS PRIMA CODICIS.

Prologus sequentis operis incipit.

Quoniam traditum tenemus primam constructionem civitatis Tornacensis, praestantem et memoria dignam fuisse, nobiles quoque prius structores et postmodum crudeles desolatores ac deinde strenuos restauratores et semper administratores habuisse, operae pretium videtur modum antiquae structurae paucis aperire, et quid inde, vel ex chartis privatis vel ex eorum qui nosse poterant relatione, comperimus, proferre; quatenus, velut in quodam manuali opere, digestis omnibus de illa nobis manifestatis, lectori satisfacisse videamur, ipse quoque ad legendum ferventior reddatur. Neque enim penitus a nobis discredenda sunt quae majores nostri sive antiquiores, oculis

perspecta vel a suis praedecessoribus accepta, memoria tenere potuerunt. Nam etsi quae ex multa jam aetate patrata sunt, silentio vel oblivione oblitterata, ab omnibus propemodum contigerit ignorari, poterunt tamen vel a paucis pacto quovis agnita, nihilominus memoria conservari. Rebus namque praetereuntium temporum sola superstes existens memoria diu vivit in posterum. His praemissis, ad ea quae de civitatis constructione dicenda sunt accedamus.

Tornacum itaque Galliae Belgicae civitatem antiquissimam esse, antiquitus etiam inter suas finitimas civitates nobilissimam claruisse, ut ex veterum scriptis cognoscimus, ostendere in promptu habemus. Sunt enim complura, ex quibus non mediocri conjectura de civitatis opinione colligatur. Jheronimus, homo summae scientiae, et qui universa librorum percurrendo volumina, potuerit ubicumque terrarum gesta, litteris duntaxat digesta, pene nosse omnia, nec ipse quidem, quamvis procul positus memoratae civitatis, nomen ac fortunam ignorat atque reticet penitus. In epistola namque quam ad Ageruchiam scribit, inter alia mentionem facit de subversione Galliarum perpetrata ab Hunis, qui sunt Pannonii. Ubi inter caetera desolationis loca, Remorum urbem praepotentem, Atrebatum, Tornacum, extremosque hominum Morinos, cunctas populas esse, commemorat. Non immerito ergo creditur, quod ipso eodem tempestatis turbine, quo Remorum civitas a Wandalis eversa est, Tornacensis quoque pariter involuta est. Quod qui improbandum putaverit, ostendat vel ipse excidium illud Tornaci, quo potissimum tempore vel a quibus gentibus administratum sit. Neque enim Jheronimus, illo in loco, alia commemorat, quam quae suo tempore vel forte paulo ante gesta legerat ipse sive audierat. Audoenus quoque, Rothomagensium episcopus, in gestis beati Eligii, jam eo loci veniens ut de ejusdem Tornacensium ac Noviomensium episcopi narret ordinatione, commemorat etiam Tornacum civitatem quondam regalem exstitisse. De cujus propria constructione sive destructione quidam apud nos libellus habetur. Quae quidem scripta, nobis seu majoribus nostris nunquam antea visa vel audita, vel ipsa saltem litterae superficie digesta, alicubi locorum inventa, uni tantum Tornacensium clericorum adolescentulo praeter spem nuper est revelata hoc modo.

Quidam adolescens, concanonicus noster, nomine Henricus, paschali tempore, feria secunda, xi^o kalendas Maii, vespertina hora, jam incubante nocte, solus forte per novam fabricam ecclesiae S. Mariae sine aliquo timore trans-

ibat, et ecce subito voces quasdam, veluti cum impetu terribili advenientis magnae multitudinis, audivit, torrentem etiam flammeum super se venientem vidit, ita ut particulam tunicae suae ac carnis subter ea de brachio juxta pugnum combusserit. Statimque perterritus in terra cecidit, et continuo quasi in extasi raptus, vidit quamplures ad se venientes sibi colloquentes, quos jam defunctos esse sciebat, quosque viventes cognoverat. Postea ei visum est quod esset in campo rosarum et liliorum, floribus totiusque dulcedinis amoenitate repleto, in quo consistens et pro nimia suavitate, prioris terroris horrore effugato, exhilaratus et velut totus recreatus et renovatus, vidit quatuor albis vestibus indutos cum candelabris ac thuribulis ad se venientes. Hos sequebantur tres honorabiles viri episcopalibus indumentis decorati, baculos pontificales in manibus tenentes, mitras aureas etiam in capitibus portantes, in quibus uniuscujusque nomen scriptum continebatur. Nam in ejus mitra qui medius incedebat, scriptum erat: Sanctus Eleutherius, episcopus. In ejus qui ad dexteram gradiebatur: Sanctus Eligius, episcopus. In ejus qui ad sinistram stabat: Sanctus Acharius, episcopus. Post eos vero sequebatur dominus Gerardus, presbyter, vir religiosus, veste sacerdotali indutus, qui fidelis procurator eleemosynariae S. Mariae exstiterat. Beatus itaque Eleutherius juveni appropinquans, quasi blandiendo manipulum suum super eum projecit, deinde librum vitae suae quem in manu sua gestabat ei ostendit, et coram se legere praecepit, perlectumque ab eo recipiens in sinu suo reposuit, et ad locum in quo prius steterat, rediit. Postea beatus Eligius juveni appropinquans, librum vitae suae ei obtulit, sed juvenis eum sibi satis notum esse dicens legere noluit. Sanctus quoque Acharius ei in dextera sua scriptum ostendit: « In nomine Domini Jesu per me mortuus resuscitatus est. » Post hoc illi eo ordine quo venerant discesserunt. His ergo visis, adolescens, de extasi ad se ipsum reversus, de terra surrexit, et ad patris sui domum rediens, tota nocte lectulo infirmiter decubuit. Mane facto aqua benedicta aspergi se rogavit, sicque recreatus particulam vestis suae combustam et carnem sub ea liquefactam ostendit, et ex his quae viderat, nonnulla retulit. Sequenti sexta feria, accersito secrete Guillelmo canonicorum decano, peracta sua confessus est, acceptaque ab eo absolutione et poenitentia injuncta proxima, corpus Domini suscepit. Quo percepto, librum dictum vitam beati Eleutherii, quam scite sex dies in extasi legerat, memoriae revocatam, cunctis audientibus, ac si orationem Dominicam cursim legere

coepit. Obstupefacti reique novitate percussi convenimus, et multa ad invicem super tam mirabili visione conferre et conjicere coepimus. Licet enim quidam adolescentem, dictandi et versificandi peritum, dicerent hanc vitam potuisse componere, nos tamen scientiae ejus non ignari, certi eramus hujusmodi dictaminis nunquam eum assuetum fuisse, quanquam, etsi eam composuisset, nullo modo tamen eam sine libro tam cursim memoriter et cordetenus totam legere valuisset. Consilio itaque cum viris religiosis habito, domino nostro Samsoni, Remorum archiepiscopo, dominoque Bernardo, Clarevallensi abbati, necnon et aliis episcopis atque abbatibus, pro audiendis et discutiendis libris magistri Petri Abailardi, in octava Pentecostes, cum rege Francorum in Senonensi urbe congregatis, visionem istam scriptam transmisimus, et quid eis exinde agendum videretur, consulimus. Illi nobis mandaverunt, ut divinae voluntatis effectum deinceps exspectaremus. Et ecce, post paucos dies, praefatus juvenis quibusdam signis praenoscens beatum Eleutherium rursus sibi manifestandum, summo mane peracta sua confessus, missam audivit, corpus Domini suscepit, deinde secretarium, in quo sancti viri feretrum positum erat, oraturus cum paucis ingreditur. Cum subito ad terram cecidisset, foris positus nuntiatur. Ingrediuntur quamplures cum quibus nos ingredimur. Ingressi autem eum super terram clausis oculis ac si exanimem jacentem conspicimus, et admirantes finem rei, exspectamus. Et ecce post paululum eum sancti Eleutherii elevationem legere audimus, et ad multa quae interrogabamus eum respondere admiramur; de extasi vero reversus ea quae legerat, scripsit. Pro hac itaque visione quam videramus certiores facti, de propria, cui nullus interfuerat, in commune Deum rogabamus, ut, sic ex ipso foret, haec visio manifestaretur etiam tertio. Necdum xl dies transierant et praedictus juvenis sentiens tertiam visionem citius affuturam, feria sexta ante festum sancti Laurentii, rursus mane peracta sua confessus et audita missa, Dominici corporis perceptione confirmatus praefatum secretarium cum paucis oraturus ingreditur. Nec mora, nos extra positi audientes eum cecidisse, accurrimus, videmusque eum more solito, clausis oculis, in terra velut exanimem jacentem. Vix quarta pars horae transierat, et ecce audimus eum legere quaedam miracula sancti Eleutherii, nobisque interrogantibus stupemus eum respondere ad plurima, inter quae palam praedixit, quod ecclesia Tornacensis, infra non multum tempus, proprium esset episcopum habitura et pristinam dignitatem receptura. Primam

quoque constructionem civitatis Tornacensis in libro sancti Eleutherii legit, quam cordetenus retinens nobis scribendam et legendam tradidit, quae cum libro vitae ejus scripta apud nos habetur. Quam qui legere voluerit, de antiquitate urbis instrui poterit. Cui si forte, propter tantam rei novitatem, aliquid auctoritatis aut fidei minus attribuitur, ad confirmandam illius incertitudinem exstat historia belli Gallici a Julio Caesare confecti. In cujus libro secundo, digesta desolatione Nerviorum, id est Tornacensium, ab eodem Julio perpetrata, quando etiam potentissima florebat, scripturae praefatae videtur concordare. Nos autem superfluum arbitrantes omnem illius seriem huic nostro operi inserere, ea tamen assumpsimus quae antiquam structuram vel desolationem urbis pandere possent.

CAPUT I.

*Incipit narratio de prima constructione urbis Tornacensis*¹.

Anno igitur CXLIII a constitutione urbis Romae, et per successiones principatu in ea administrato a quatuor regibus, Remo una cum Romulo fundatoribus suis, Numa, Tullo Hostilio, Anco Martio, ac deinde regnante Tarquinio Prisco, decimo quoque anno regni ejus, Tornacum civitas regia a Romanis aedificata est, alteraque vel minor Roma vocata. Qua tempestate Nabuchodonosor, Chaldeorum rex, Hierosolymam civitatem sanctam destruxit, et viri sancti Daniel, Ananias, Misaël, Azarias, captivati sunt in Babylonem. Minoris vero Romae, ut dicere coeperamus, muri validi, portae fortiores, palatia civitatis praecelsa, turrets quoque supra portas constitutae firmiores fuerunt, dignitate etenim civium, amoenitate locorum, altitudine murorum atque potentia quam super vicinas civitates vel oppida exercebat, altera Roma nuncupari poterat. Sed Tarquinio Prisco, rege Romanorum ac fundatore hujus minoris Romae, interempto, tempore quo Joachim rex et Ezechiel propheta captivati sunt, Servius Tullius suscepit imperium. Quo regnante, tributa vicinorum oppidorum atque civitatum, quas Romani suae subdiderant potestati, Romae transmissa sunt. Qui cum videret minorem

¹ *Historia Hannon. Jac. Guysii*, tom. II, pag. 104.

Romam vicinis civitatibus praecelsiorem, supra centum et viginti quinque civitates vel oppida sublimavit, decernens, ut tributa earum colligeret et majori Romae sua cum illis transmitteret. Quod diebus multis factum est. Sed senatores hujus minoris Romae invalescentes, postmodum tributa transferri distulerunt. Qua de causa Romani indignati ad ejus superbiam comprimendam exercitum dirigunt copiosum, contra quem cives minoris Romae viriliter decertaverunt; sed Romani hostes praevalentes muros minoris Romae destruxerunt, eosque magna caede laceraverunt, totamque civitatem pene inhabitabilem reddiderunt. Tandem vero pace restituta inter utrosque cives, decreverunt Romani ne ulterius minor Roma vocaretur, sed Hostilis propter nimiam resistendi fortitudinem, et ex illa die tributa hujus civitatis Romae transmissa sunt, sicut prius. Anno áb urbe condita CCCLXIV exacto, Servius rex interfectus occubuit¹, et alter Tarquinius suscepit imperium². Cujus temporibus cuncta prospera, et quasi ex sententia, huic civitati fuerunt. Quo expulso, consules, tribuni et dictatores Romae facti sunt, per CCCCLXIII annos³. Quorum temporibus, Hostilis civitas turpiter destructa est, muris, aedificiis et omnibus spoliata, regnante Artazerse apud Persas. Sed hoc regno everso ab Alexandro, rege Graecorum, eoque post breve tempus haustu veneni occiso, regnum ejus translatum est in multos. Aegypto cujus capitalis est Alexandria, primus regnavit Ptolomaeus, Lagi filius, secundus Ptolomaeus Philadelphus⁴. Cujus XXVI^o anno, Eleazaro pontificatum Judaeorum obtinente, quarta successione post reversionem captivitatis de Babylonia, Hostilis civitas reaedificata est⁵ a quibusdam in deserta fugientibus, vel etiam in destructa urbe remanentibus exulibus et victis, et ab illo tempore citra Nervia vocata fuit a Nervio, rege Romanorum, sub quo devastata fuerat. Muri enim et turres fortes restaurantur, palatia renovantur, portae quatuor constituuntur, prima versus Orientem, *Nervia*, per quam hostes a moenibus arcebantur. Secunda versus Australem plagam, suscipiens *Sacrificia*. Tertia versus Aquilonem, *Dampnatitia*, per quam rei capitalem excipiebant sententiam. Quarta versus Occidentem, *Viatica*, per quam venalia introducentes exhibant.

¹ Finem Guysius ponit cap. XXIX.

² Hinc quaedam verba Guysius in cap. XXXXI.

³ Ibidem, cap. LIII.

⁴ Hist. Henrici, can. Torn., pag. 248.

⁵ Guysius, cap. LXV.

Nervia ergo civitas sic reaedificata siluit in pace usque ad tempus Julii Caesaris, Gallias devastantis, Britannorum quoque gentem Romae tributariam facientis, qui Nerviam civitatem modo miserabili pessumdedit, quod ex historia belli Gallici, ab eodem Julio confecti, libro secundo, animadvertere in promptu est. Sed quibus illa historia incognita est de libello memorato, unde superiora excerpimus et hoc scire volentibus qualiter factum sit pandere curabimus. Julius Caesar, Galliam pene universam dissipatam videns, Nerviam, Galliae belgicae civitatem, ex improvise quemadmodum et alias urbes arbitratus est capere¹. Ipsam enim aggressus, exercitum suum per centenum numerum disposuit. Ipse portam Viaticam, Cato Dampnatitiam, Marcus Tullius consul Sacrificia suscipientem, Anthonius autem praefectus senator obsedit Nerviam. Sed multo tempore adversus eam dimicans, nil praevaluit. Deinde praelium committentes, multa strage virorum utrinque facta, ambo exercitus graviter caesi sunt. Tunc Nervii constituerunt sibi regem, nomine Turnum², sub specie Turni, qui adversus Aeneam dimicavit, Caesaremque Aeneam vocaverunt, ad instar Aenae qui Troyam devicit. Turnus ergo rex causas civium strenue disponere coepit, publicamque utilitatem propriis suis rebus sic anteposuit, ut, cum cognovisset ex responsione deorum, pro ereptione civitatis suum filium, nomine Manlium, immolari oportere, ilico paruit. Fornax ignea continuo praeparatur, in qua adolescens, regis filius, projectus quasi favilla devoratur, sed per quod victoria profutura sperabatur, continuo excidium subsecutum est. Namque hoc scelere perpetrato, ubi Julius Caesar comperit, civitatem enim aggressus, quam victor armis cepit, muros et aedificia de summo usque ad primum comminuit, cives in ore gladii peremit, ita ut de multis millibus vix unus remansisse cerneretur. Sicque civitas, quae quondam Roma altera nomine et dignitate nuncupabatur, jam quasi Troja destructa videbatur. Haec acta sunt priusquam Julius singulare imperium arripisset anno XLVII, et paulo plus priusquam Christus de Virgine nasceretur. Quae permansit deserta, tempore quo quinque reges per successiones rempublicam rexerunt, quorum primus Julius fuit, qui post eversionem Galliarum Romam rediens, cum nollent eum recipere, civile bellum inter illos exortum est. Quibus pugnatis, Pompeium consulem Romanorum expulit. Sicque victor, arrepto regno, primus Romanorum

¹ Guysius, tom. III, cap. LIII, pag. 559.

² Ibid., pag. 366.

singularem obtinuit principatum annos quatuor et menses sex. Secundus Octavianus, cujus XLII^o anno natus est Christus in mundo. Tertius Tiberius, cujus XLII^o anno Christus praedicavit et XIX^o sua passione mundum redemit. Quartus Gaius, qui Pilatum tantis angoribus coarctatus est, ut manu sua semetipsum peremerit. Quintus, Claudius Sextus Nero. Hujus imperii secundo anno, qui fuit annus incarnationis filii Dei LIX, a Romanis quarto reaedificata est, Tornacumque vocata de nomine Turni, quem ad debellandum Julium Caesarem, dudum sibi regem constituerant. — Explicet de constructione urbis.

CAPUT II.

Quomodo vel quo auctore fidem Domini nostri urbs perceperit.

Expleta relatione constructionis, quam oportuerat non omitti, commemorare etiam dignum duximus, quomodo et per quos nata sit, adulta creverit, amplificatave fuerit religio christianitatis in finibus nostris. Eodem tempore, per universa orbis spatia beatis apostolis fidem Domini nostri Jesu Christi diffudentibus, ut in actibus apostolorum, Luca evangelista, narrante, legimus, beatus Paulus, apostolus, Athenas veniens, Dionysium Areopagitam cum aliis quibusdam ad Christi fidem convertit. In cujus passione refertur inter caetera, quod beatus Clemens, Petri apostoli in sede apostolica successor, eundem sanctum Dionysium ad praedicandum gentibus in Gallias destinavit, sociosque ejus et comministros verbi plures adhibuit, ex quibus nullus ibi nominatim exprimitur. Hoc in vita beati Memmii, Catalaunensis episcopi, legitur, quod idem sanctus Clemens quinque episcopos Romae consecravit, et cum sancto Dionysio in Gallias direxit, Memmium, Sixtum, Eucharium Savinianum, Senecium. Qui venientes in Galliam, loca singula singuli petierunt, Dionysius Parisius secessit, Memmius Catalaunis, Sixtus Remis, Eucharium Trevis, Savinianus Senonas, Senecius Suessionis. Hi ergo primi Galliam converterunt, sicut in vita praefati Memmii plenius continetur. Beatos quoque martyres Quintinum (Ambianis), Lucianum (Belvacis), Firminum (Andegavis), Regulum (Sylvanecti), Crispinum et Crispinianum (Suessionis), Victorium (Taruannae), Fuscianum et Piatum cum beato Dionysio in Gal-

liam venisse ¹, passiones eorum testantur. Qui singuli in urbibus sibi destinatis remanentes, beatus Piatas, natione Beneventanus, sub occulto autem cordis christianus, civitatem Tornacum, Domino ducente, ingreditur et in vico qui dicitur Platea mansionem accepit, temporibus Diocletiani et Maximiani imperatorum, anno CCXL, postquam sub Nerone imperatore a Romanis reaedificata est. In quo non parvo tempore demoratus divini verbi semina spargendo, ejusdem urbis populum ad fidem catholicam convertit, multitudine miraculorum pollens et passiones innumeras sustinens. Dignitatem vero flaminum quam, secundum ritum gentilium, in exhibendis superstitiosis sacrificiis idolorum, et determinandis causis forensibus tempore gentilitatis, civitas Tornacensis obtinuerat, super vicina oppida in christianitate, tempore novae guerrae, mutavit in episcopali sede et sacerdotali benedictione. Unde factum est, ut in ipsis primordiis christianae fidei, domum orationis, ecclesiam videlicet beatae Dei genitricis Mariae, quae necdum illis et populis nota erat, secundum posse suum aedificaret, et locum baptismatis, quo filii adoptionis renascerentur, in ea construeret. Ministros quoque, novae gregis clerum scilicet, qui divinis charismatibus sedulo desserviret, novellamque plantationem fidelium monitis salutaribus roboraret, probatas personas constituit. Per idem tempus orta est persecutio nominis christiani, Diocletiano et Maximiano imperatoribus, sub qua beatus Piatas, Tornacensium apostolus, una cum caeteris XI cultoribus, per passionem mortis consummatus est, et ut in gestis ejus legitur, in loco qui Siclinium vocatur, a christianis sepultus est. Fundata igitur venerabili ecclesia Tornacensi a beato Piato, martyre glorioso, fideles in Tornaco supradictis temporibus et ex post commorantes, plurima passi sunt opprobria et contumelias propter nomen Domini, omnia patienter tolerantes. Expulsi enim et exulati ab infidelibus, atque suis bonis temporalibus privati, in loco qui nunc Blandinium appellatur convenientes, ibidem ecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum aedificaverunt, Domino famulante, et Theodorum in episcopum consecrari procuraverunt, qui paucis diebus evolutis divino percussus spiculo interiit. Quo mortuo, successit ei Sereni filius, beatus Eleutherius, qui consecratus fuit in episcopum Tornacensem anno CCCCLXXXIV, et praefuit annis XLV, videlicet octo Blandinii et XXXVII Tornaci. Cujus temporibus Clodovaeus, rex Francorum,

¹ Similia Guysius, tom. V, pag. 28.

quem baptisavit sanctus Remigius, Tornacum venit, eundemque Eleutherium rogavit, ut pro peccato quod obmiserat et confiteri erubesceret, Christi misericordiam imploraret. Quod vir Dei faciens ab angelo se exauditum esse cognovit, ipsumque regis crimen scriptum ei attulit. Unde rex exhilaratus Deo et beato ejus confessori gratias retulit, multaque ei dona relinquens ad propria rediit. Uno ergo eodemque tempore, hi duo episcopi fuerunt, sanctus, scilicet, Medardus, episcopus Viromandensis, et sanctus Eleutherius, Tornacensis. Sed cum sanctus Medardus sedem episcopalem ab urbe Viromandensi, propter subversionem Wandalorum, Noviomum transtulisset, et jam ipse non Viromandensis, sed Noviomensis episcopus vocaretur, sicut in gestis ejus legitur, quae plenius in coenobio Suessionensi continentur, ubi ipse fuit sepultus, contigit ut sanctus Eleutherius, Tornacensis episcopus, pro nimia senectute et infirmitate caligantibus oculis, pontificale non posset implere officium. Unde necessitate compulsus, rogavit eundem sanctum Medardum, ab infantia sibi familiari dilectione adstrictum, ut propter antiquam amicitiam, etiam nunc sibi fraterna charitate succurreret, in consecrandis ecclesiis et ordinibus celebrandis, caeterisque pontificalibus explendis officiis. Hac ergo occasione sanctus Medardus, Noviomensis episcopus, coepit frequentare Tornacum et tam vitae probitate quam doctrinae salutaris dulcedine captare benevolentiam et favorem civium. Post aliquot annos sanctus Eleutherius moritur plenus dierum in vico oppidani ubi natus fuerat, et a sancto Medardo in ecclesia S. Petri Blandinensis, prope Tornacum, honorifice sepelitur. Quo sepulto, clericus et populus Tornacensis ad eligendum episcopum convenit, quia vero in decretis canonum praecipitur, ut infra XL dies dormitionis episcopi, electio fiat, ipseque episcopus qui defunctum tumulavit, tamdiu destitutam ecclesiam regat, donec more ecclesiastico intronizatus sit ordinandus. Ut Deus ipsam electionem acceleraret et dignum antistitem dignaretur ostendere, sanctus Medardus eos hortatur triduo insistere jejunio et devotis orationibus Domini misericordiam implorare. Quo facto, videntes probitatem et religionem sancti Medardi, omnes unanimiter eum in episcopum sibi eligunt, dicentes quod sicut, vivente beato Eleutherio, per aliquod tempus utrumque episcopatum bene rexisset, ita etiam post obitum ejus tota vita sua facere posset. Reluctatur et contradictus vir beatus, dicens nec canonicum nec possibile sibi esse, ut duos episcopatus teneat, ideoque se tantum onus non suscepturum, cujus gravamine pressus defice-

ret. Tornacenses in coepta sententia permanentes beatum Remigium, tunc temporis Remorum archiepiscopum, adeunt, et ut ei Tornacensis ecclesiae providentiam injungeret exposcunt. Flexus eorum precibus sanctus Remigius, simulque considerans et eorum devotionem et beati Medardi religionem, obedientiae vinculo tam Tornacensis quam Noviomensis ecclesiae ei injungit sollicitudinem, proponens ei sententiam Domini dicentis: « Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet, et caetera. » Hac ergo occasione Noviomensi episcopo injuncta est cura Tornacensis ecclesiae. In vita autem praefati sancti Remigii legitur, quod tempore ejus Remensis metropolis sub se duodecim habebat episcopos, scilicet Silvanectensem, Catalaunensem, Ambianensem, Belvacensem, Suessionensem, Laudunensem, qui antiquitus non fuerat, sed ab ipso sancto Remigio institutus est, dans ei de suis municipiis cum ipso Lauduno, qui de parochia Remensi exstiterat; Noviomensem, Attrebatensem, quem etiam primus ordinavit, Cameracensem, Tornacensem, Morinensem, Boloniensem. Ecce ergo jam unum ex ipsis in Tornacensem episcopum Remensis ecclesiae dignitas perdidit; quare quod semel religionis devotione factum fuerat, abundante iniquitate et refrigerante charitate, non facile potuit immutari. Dum sancto Medardo succedentes Noviomenses episcopi non sicut ille timent duorum episcopatum onus grave portare, sed cupiditatis nexibus devincti, quaerentes quae sua sunt, non quae Jesu Christi, nec de animarum salute, sed de secularis honoris ambitione solliciti, quod ei pro sua sanctitate fuit injunctum, jam student et conantur vindicare quasi jus proprium. Ergo successores ejus utrumque episcopatum obtinuerunt post mortem ejus, seroque clerici Tornacenses se sanctum Medardum elegisse poenituerunt, videntes quod semel concesserant se ulterius non posse immutare. Haec de antiqua dignitate urbis Tornacensis breviter digesta sufficiant. Omnem enim materiam libelli memorati, vel historiae belli Gallici, necnon etiam vitae beati Medardi compendiose perstrinximus, ut ii qui has scripturas non reppererint, ex subjectis fortunam civitatis facile cognoscant. Ea vero quae sequuntur, in chronographiis et chartis privatis reperimus ¹.

Sancto Medardo successit Augustinus ², Augustino Gondulphus, Gondulpho Ebrulphus. Successit Crasmarus, sub quo ecclesia Tornacensis dotata est a

¹ Similia Herimannus, pag. 93.
Torr. II.

² Cf. *Chron. de Phil. Mouskes*, t. I, p. 532.
62

Cilperico, rege Francorum, opulenter. Crasmaro sanctus Acharius, cuius tempore legitur fuisse sanctus Amandus, Trajectensium episcopus, qui coenobium monachorum Helnonae construxit. In cuius vita continetur, quod a supra dicto Achario, episcopo Noviomensi, licentiam petierunt in sua dioecesi praedicandi, quia magna pars ejusdem dioecesis adhuc tenebatur astricta legibus paganorum. Veniens ergo Gandavum sanctus Amandus, ab idolorum cultura populum ejusdem loci praedicando convertit, deinde constructa basilica in honore sancti Petri, monachos ibi posuit, discipulumque suum sanctum Florbertum abbatem eis praefecit. Post etiam illustrem virum, nomine Bavonem, ad Christi fidem convertit, qui multis annis in eo loco, ubi nunc coenobium monachorum in honore ipsius constructum est, Christo servivit. Sancto Amando moriente, jam beatus Acharius decesserat et sanctus Eligius ei successerat, anno Domini DCXLIX, qui supervixit sanctum Amandum, ita ut post XVI annos corpus ejus de ecclesia S. Petri transtulerit, et in majorem basilicam, quam ipse sanctus Amandus in honore sancti Stephani protomartyris aedificaverat, quamque beatus Eligius dedicaverat, integrum et incorruptum, ac si eadem die defunctus fuisset, rursus sepelivit. Ipse quoque Eligius inter caetera praeclara coenobia, quae per Galliam construxit, etiam ecclesiam sancti Martini, in locum ubi nunc est restaurata, quae ab impetu Normannico, anno Domini DCCCLXXXI facto, destructa fuisse dicitur, aedificavit sicut in sequentibus plenius reperitur. Beato Eligio Mummolenus successit, Mummoleno Gunduinus, Gunduino Guarulfus, Guarulfo Crasmarus, Crasmaro Framengerus, Framengero Humianus, Humiano Guido cum Ennutio, demum Heliseus, Heliseo Adelfridus, Adelfrido Dido, Didoni Gillebertus, qui fuerat abbas sancti Amandi Helnonensis in Pabula, qui pro parochia S. Martini, quae sita est apud Helnonem, in episcopio Attrebatensi, dicitur episcopo Cameracensi dedisse pro commutatione Marцениensem abbatiam, quae in episcopatu Tornacensi jacet. Gilleberto successit Pleon, Pleoni Guandelmarus, Guandelmaro Ronegarius et Ficardus, Ficardo Emnio, qui a Normannis dicitur fuisse occisus, anno DCCCLX, ante valvas ecclesiae Tornacensis. Cui successit Ramelinus et Heidilo, sub quo cives Tornacenses apud Noviomum se contulerunt, propter devastationem et oppressionem Normannorum, quando etiam monachi coenobii S. Martini, ejusdem civitatis, apud Supas villam suam, in episcopio Parisiensi sitam, diverterunt. Anno Domini DCCCLXXXI, vigesimus septimus Raubertus, cui successit Aynar-

us , Aynardo Gualbertus , Gualberto Transmarus , Transmaro Rodulfus.

Episcoporum itaque temporibus qui ante beatum Eligium fuerunt, Tornacensis ecclesia magnum emolumentum sumpsit amplificationis suae, ut sequens narratio declarabit. Lotharius, rex Francorum, filius supradicti Ludovici, quatuor filios haeredes regni reliquit, Harebertum, Guntranum, Sigebertum, Cilpericum, qui regnum inter se dividentes, Harebertus sedem sibi constituit Parisius, Guntranus Aurelianis, Sigebertus Remis, Cilpericus Suessionis. Cilpericus duxit uxorem nomine Audoveram, habens concubinam Fredegundem, quae Fredegundis Audoveram reginam tali fraude decepit. Suasit ei ut filiam quam ex Cilperico habebat, ipsa de sacro fonte, non alia, suscipere, quod illa seducta fecit. Quamobrem a marito suo separata est, sicque Fredegundis concubina in conjugium transiit. Episcopus qui puerum baptisavit exilio damnatur. Franci qui sub ditione Cilperici erant ad Sigebertum transeunt. Cilpericus vero fugiens fratrem suum, civitatem Tornacum petit, quae in divisione sua continebatur. Quem cives ejusdem urbis receperunt et coeperunt pugnare contra praefatum Sigebertum, qui congregato exercitu obsedit in urbe Tornaco fratrem suum. Fredegundis vero, Cilperici uxor, verens ne populus Tornacensis pertaesus obsidionis se et maritum suum traderet inimicis, convocavit duos juvenes, ferocis animi, pollicens eis proemia et honores, si regem Sigebertum interficerent. Qui consiliis ejus acquiescentes regem adierunt, et quasi aliquid ei secretius locuturi seorsum evocaverunt, deinde pugionibus interfecerunt. Cilpericus vero a Tornaco egressus exercitum ad se reduxit, fratrem vero suum in vico qui dicitur *Lambrias*, juxta Duacum, sepelivit. Civibus Tornacensibus gratias reddidit, ecclesiae B. Virginis Mariae multa beneficia contulit, et sic cum honore ad propria rediit. Deinde confirmatus in regno, corpus fratris sui Suessionis transtulit, et juxta patrem suum sepelivit, in ecclesia quam ipse pater in honore sancti Medardi aedificaverat. Ipse vero post aliquod tempus, astu uxoris suae Fredegundis, a Landerico, majore domus, cum quo eadem Fredegundis adulterabatur, occiditur, et in basilica B. Vincentii Parisius sepelitur. Dona vero quae ecclesiae beatae Mariae contulit pro salute animae fratris sui, qui improvise interemptus occubuerat, vel etiam illorum qui de hoste et fratre simul eum vindicaverant, jura sua regalia fuerunt, quae in eadem civitate possidebat, quaeque inter episcopum et clerum distributa fuisse comperimus, anno Domini DLXXVIII, per quod apparet quod ante sanctum Eligium haec res acta est. Ipse enim,

DXLIX^o anno Domini, pontificatum suscepit, sub rege Clodoveo, qui quartus a Cilperico monarchiam regni tenuit. Episcopo delegavit monetam civitatis, mairiam de qua fermentantur cervisiae, justitiam districtuum, advocationem hominum beatae Mariae, wionagia plaustrorum et vehiculorum, quae venalia in civitate afferunt. Clero vero tribuit theloneum, pontinagium, ut ex eorum redditibus vestimentorum suorum necessaria compararent, et ut victum copiose et sufficienter haberent, omnem terram quae jacet inter duo fluviola, *Ries* scilicet et Mairam, eorum ditioni subdidit, ut ex ejus agricultura, absque penuria sustentarentur. Cunctaque molendina, quae tunc erant in Scaldo eis superaddidit, sex ex iis episcopo reservatis, cum quinque quadrigis terrae. Unum vero ex molendinis episcopi cum molendino canonicorum, qui dicitur de *Becherel*, debent molere omnem braisiam civitatis per consuetudinem. Foragia vero cambarum, vel quod sanctificationes apothecarum alii vocant, et redditus vasorum vini inter utrosque aequis partibus divisit. Hoc itaque modo amplificata ecclesia per quadringentorum annorum curricula de praedictis possessionibus ditissima mansit. Post haec praefuerunt eidem ecclesiae quidam episcopi, quos melius puto vocari debere raptores quam gubernatores, dissipatores quam rectores, mercenarios quam pastores; beneficia enim ecclesiae disperdiderunt et pene ad nihilum redegerunt, ita ut de antiquis possessionibus nihil amplius eam cernamus hodie tenere quam tria molendina episcopi tresque quadrigas terrae ejus, et canonicorum theloneum, pontinagium, foragiorumque suam partem, exceptis paucis terris et molendinis, quae per fidelium oblationes recuperaverunt. Quod quando acciderit, verba quae a majoribus nostris accepimus posteris tradimus.

In persecutione Normannica, qua clerus cum civibus apud Noviomum civitatem exulaverunt, terram inter *Ries* et Mairam, molendina quoque Scaldi amiserunt, de cujus desolatione vel repatriatione aut quo modo ista perdiderint, postea dicitur. Nunc vero quae ab episcopis dissipata sint, breviter intimemus. Radulfo successit in episcopatu Fulcherius, anno Domini DCCCCLIII, et XVIII mensibus praefuit. Qui negligenter non est praetereundus: hic existens spurius generatione, ex patre scilicet ignobili natus, filius fuit principis coquorum regis Franciae; qui ambiens episcopatum, regem Galliae et optimates curiae ejus symoniacos effecit, eosque sibi favorabiliter confoederavit. Cujus ordinatio, quae contra sacros canones fuit, omne tempus quo praefuit contra Deum et sacram ecclesiam, intumuit, vitamque indignam omnimodis duxit. Adeptus

ergo gradum concupitum, tres ecclesias in Noviommo subvertit, permittente rege et primoribus ejus, quibus earum praedia et possessiones tradidit, ut eum quasi dominum attollerent, hominumque et fidelitatem promitterent, sicut antecessoribus ejus facere consueverant. Qui dum juxta votum obtinuisset, deliberavit etiam regionem Flandrensem invisere, et videns quum tempus eum juvat, ait suis: « O boni milites petitioni meae assensum praebete. Est regio uberrima, nobilitate pollens, finibus maris contigua, Flandria appellata, cujus urbs inclyta, Tornacum dicta, cum oppidis ad eam pertinentibus, mihi per curam regiminis commissa est. Eamus ergo inspicere fecunditatem terrae, jucunditatem fluminis per eam discurrentis, vel qui redditus mei episcopatus existant. » Cumque illi spe obtinendae adhuc pecuniae indignati dicerent: « Nos ingenuos milites non decet comitatu tuo interesse neque tecum equitando iter agere, qui degener comprobaris esse episcopus inutilis. » — « Ne, quaeso, renueritis mihi hanc vicem impendere, quia mox, ut obtinero episcopatum Tornacensem, honoribus honorabo, muneribus ditabo vos copiosis. » Qui ilico ambitione pecuniae illecti, sine mora accelerant cum eo properare. Cumque a clero et populo Tornacensi receptus fuisset, duas ecclesias finitimas subvertit, videlicet B. Quintini de Foro ¹, in quo canonici commanebant, beatique Petri de media urbe, ubi sanctimoniales degebant. Sudentibus quoque militibus quos secum adduxerat, quibus etiam praedia earum distribuit pro captanda benevolentia eorum (hi enim nocere et prodesse ei poterant), terras etiam quasdam haereditarias S. Martini quae in persecutione Normannica devastatae fuerant, de qua post dicemus, et adhuc sine incolis incultae jacebant, invasit, eisque ad augmentum suae damnationis addidit. Beneficia quoque sua, quae de manu regum praedecessores ejus susceperant, illis supra adjiciens, monetam scilicet civitatis, mairiam, justitiam districtuum, advocationem, wionagiam, tria molendina de sex supra-positis (quorum unum, quod dicitur de Fossato, tenet, hodieque advocatus Tornacensis cum advocatione, in feodo; reliqua duo possident haeredes Gosuini de *Warcim*), episcopatum modo miserabili pessumdedit. Clericorum quoque bona magna ex parte lacerans, infra breve tempus dignas ultionis poenas exsolvit. Cum enim de Tornaco Noviomum rediisset, protinus infirmi-

¹ Cfr. continuationem Herimanni narrationis de Restaurat. S. Martini Tornacensis, in SPICI-

LEGO ed. a dom. *d' Achery*, tom. II, pag. 922, in-folio.

tate correptus, sequenti nocte vidit in somnis quod esset inter duo altaria, quae erant in presbyterio ecclesiae S. Mariae Tornacensis sedis episcopalis, videbat etiam ignem maximum inter eadem altaria succendi et puellam speciosissimam, sed scissis vestibus indutam, juxta majus altare stantem et complois manibus crines suos et faciem caedentem, ac de Fulchero qui vestes suas sciderat, qui se nudaverat, justitiam a Deo cum magno clamore et gemitu quaerentem, ipsumque Fulcherum in flammam illius ignis impellentem et dicentem illi: « O crudelis tyranne, avidus pervasor ecclesiae meae, quare me ita lacerasti? Cur tantis dedecoribus me infedasti? » Cumque Fulcherus e contra reluctaretur ne in ignem mitteretur et diceret: « Domina totius orbis, non vos sic dehonestatam reddidi. » Adjecit puella dicens: « Quoties bona famulantium mihi defraudasti, toties in me tela opprobriorum jaculasti? » De qua tremebunda visione statim evigilans, vehementer clamare coepit, et clamore suo totam familiam excitavit. Concurrentibus universis et clamoris causam sciscitantibus, quid in somnis vidisset, retulit, et puellam illam sanctam Dei genitricem esse exposuit, quae filio suo conquesta est, quod ecclesiam suam sui juris, terris quasi vestibus nudasset, et militibus Noviomensibus dedisset, ideoque se mala morte qua toties periturum gehennae flammis dismergendum subjunxit. Perterritis omnibus et finem rei praestolantibus, ecce subito apprehendit eum dolor dirus viscerum et morbo intercutaneo percussus, ut de Herode dicitur, videntibus cunctis, coeperunt vermes, qui pediculi vocantur, de corpore ejus glomeratim ebullire, gutturque et faciem ejus cum toto corpore operire, et hoc tamdiu donec animam redderet. Cumque corpus defuncti lotum et vestibus ex more fuisset indutum, nunquam pediculi cessabant ebullire, totasque vestes operire, donec ministri necessitate compulsi, aliis vestibus indutum in corio cervino consuerunt, sicque sepelierunt. Caveant ergo praelati, ne possessiones ecclesiasticas, ad usus pauperum Christi illi sibi creditas, in propriis utilitatibus male erogent, quia Jesus Christus qui injuriam ecclesiae matris suae sic in hujus vindicavit corpore, animas disperdentium eas impunitas non patietur abire. Qui enim illorum substantiam dissipat Christo injuriam irrogat.

Huic Fulchero successit Hadulphus, Hadulpho Lendulphus, Lendulpho Rabodius et Harduinus, anno Domini millesimo. Hic fuit tempore Roberti, Francorum regis, filii Hugonis Capeti, in quo finita est posteritas regum Franciae qui fuerunt de stirpe illius Karoli regis inclyti, qui pro nimia probitate sua a Roma-

nis evocatus, coronatus est in regem, et Karolus cognomento Magnus appellatus. Imperavit tam Romanis quam Francis postea XIII annis. Cujus haeredes per XI generationes regnum Francorum tenuerunt. Sed Hugo Capeti, cum esset dux Parisiensis, proditione et dolo Ancelmi, Laudunensis episcopi, noctu Laudunum ingressus est militari manu, Carolum regem, cognatum suum, qui cognominabatur Infatuatus, in turre Laudunensi cepit, vinctumque catenis regno privavit. Qui principatum adeptus a Gerberto, Remensi archiepiscopo, diademate coronatus et rex Francorum appellatus est. Cujus filius praefatus Robertus, sciens Balduinum Barbatum, Flandrensiem comitem, tunc temporis magnae esse potentiae, filiam Adelam adhuc puellulam, filio ejus adolescentulo, Balduino Insulano, desponsavit, patrique ejus nutriendam tradidit.

Eadem ¹ tempestate habebat Robertus rex turrim Noviomi sitam infra terminos ecclesiae B. Dei genitricis Mariae, secus curiam episcopi, per quam multa mala ejusdem urbs populo intulit. Miles enim cui a rege custodienda tradita fuerat, ferocis animi existebat, adeo ut exactiones episcopales juri suo mancipare vellet; cunctis placitis causisque forensibus, quae in curia episcopi determinanda erant, principari volebat, nihilque episcopum constituere licebat, nisi quod ipse prior disposuisset. Sic itaque episcopum et cives exasperans, nonnulla servitia eis ingerebat. Cum ergo longo tempore id ageret, nullisque exhortationibus religiosorum respiscere vellet: ultra vecordiam ejus ferre non valentes, episcopus cum clero et populo valde afflicti, proponunt omnino resistere, modumque quo ad effectum perveniant coeperunt exquirere. Tandem eis videtur quod, si turris eversa fuisset quae materia pertinaciae ejus erat, facile pacem obtinerent. Accidit autem quadam die, ut is qui custodire arcem debebat, casu fortuito deesset, nec ullus ex tota familia ejus superesset, nisi solummodo conjux ejus cum famulabus suis. Cernens ergo episcopus opportunum tempus accidisse, quo praemeditatum consilium de subversione turris complere posset, civibus apprehendere arma praecepit, cunctosque gladiis accingere fecit, ut si quis inermis obvians eis resistere vellet, facile expugnaretur. Etiam mittit matronae episcopus verba suasoria per nuntios quibuscum deciperet, cum dolo dicens: «Habeo pallium sericum, de quo planetam casulam facere volo, sed non reperio qui eam sciat tam decenter incidere et convenienter componere sicut te

¹ Herim., pag. 95.

scire comperi, ideoque deprecor ut castis manibus tuis praeparetur. Jube ergo fores reserare, ut ad te pergere valeam, et quid operis de serico facere possimus simul inspiciamus. Illa gratulabunda effecta de visitatione pontificis et dolos quos machinabatur prorsus ignorans, continuo ostia patefacere praecipit, ipsaque ei obviam processit et usque ad thalamum suum perducens eum comedere fecit. Cumque aliquandiu mutuo sermocinati essent, videns episcopus familiam suam congregatam, apparatus ad subvertendum habentem, quae facere disposuerat, apparuit, dicens: « Pro calumniis et injuriis, quas vir tuus mihi et curiae meae atque civibus crebro intulit, convenerunt isti adversus hanc arcem ut eam dejiciant cunctaque propugnacula ejus solo sternant. Quamobrem egrediamur illaesi nec cum ejus ruinis pariter involvamus et pereamus. » Illa iis verbis perterrita et velut exanimis effecta in terra procubuit. Quam episcopus blande consolans verbisque suasoriis tristem demulcens, apprehendit manum ejus educensque secum servavit illaesam. At famuli episcopi continuo circumcunquae ignem accendunt, cuncta aedificia evertunt, machinas ad subvertendum undique instruunt, immensam ejus altitudinem solo coaequant, de summo lapide usque ad imum comminuunt, deinde domum redeunt. Quae sic eversa usque in hodiernum diem inrestaurata manet, signa tamen ejus apparent, saxa scilicet ingentia. Audito ergo rex quod acciderat, vehementer iratus est, et contra episcopum qui fidelitatem ei debebat, de proditione domus suae conqueri cepit, satisfactionem proditionis apertis querelis exigens, secundum iudicium optimatum suorum. Cumque curia regis episcopum Harduinum occasione cujusdam turris, Noviomi ab ipso Harduino destructae, de regno Francorum penitus expellendum et exilium subire judicaret, veritus animositatem regis sciensque nullum principem plus apud regem posse quam comitem Flandrensem, Balduinum scilicet Barbatum, ad eum confugit, cujus filius Balduinus jam juvenilis aetatis primis auspiciis pollens, Adelam, filiam praedicti regis, ducere debebat uxorem, ut dictum est, quique etiam ecclesiam S. Petri in oppido Insulensi aedificavit, et in ea canonicos posuit, seque ibidem sepeliri mandavit. Causam doloris sui episcopus apud utrumque exposuit, preces fudit ut de praesenti discrimine eum liberent, et iram regis, quae juste exarsit, mitigare studeant; dona praeclara pollicetur, si regi et proprio solo eum reconciliatum reddiderint effectumque petitionis celeriter consecutus fuerit. Sciscitante vero comite et interrogante, quae esset recompensatio talionis pro legatione hujus negotii

respondit episcopus : « Possideo in regione Flandrensi quae ditioni vestrae subjacet altaria quamplura, ex quibus duodecim locupletiora vobis et filiis vestris per tres generationes tenenda tradere (volo), quarta autem revertantur ad episcopum, et ne inter successores meos et posteros vestros exinde aliqua controversia oriatur, testamentum confirmationis vobis facio, in quo tempus determinatum et nomina altarium atque testium curiae meae ac vestrae qui interfuerunt assensumque praeberunt adnotabo. » Comes ergo mercede effusus regem socerum filii sui adiit, precem pro episcopo fudit, veniam facile impetravit, eumque regi et proprio solo cito reconciliatum reddidit. Deinde altaria sibi delegata tenuit, quorum haec sunt nomina, Curtracum, *de Puthem*¹, *Thoroult*, Aldenardum, *Eynne*, *Comines*, *Houthem*, Donza, Nivella, *Rodenburch*, *Madelghem*², *Sclips*³. Qua datione ab episcopo facta optimates Flandrenses a comite petierunt sibi ea concedi in beneficium. Quae accepta optimates militibus sibi servientibus rursus in feodum distribuerunt, sicque paulatim de jure pontificali penitus in jus militum transierunt. Hoc ergo pacto, ecclesia Tornacensis xii altaria perdidit. Quod si episcopus ad mensam suam sicut olim libera possideret, multos exinde pauperes secum reficere posset, sed sicut Salomon dicit : « Noli fenerari potentiori te, quod si feneratus fueris quasi perditum habe, » sicut et de iis altaribus contigit. Facile quidem potuerunt dari, sed difficile auferri, quanquam iidem comites Flandrenses sint parochiani Tornacensis ecclesiae. Altarium vero parochianos nostris temporibus ita adauctos et multiplicatos vidimus, ut necesse fuerit alias xii ecclesias construi, quae ad distribuenda divina charismata fidelibus populis eisdem auxiliarentur, quae cum prioribus junctae singulis annis amplius mille librarum redditum praestant, ut tota regio testificatur. Generatione vero comitum xi et episcoporum viii, in praesenti anno Domini MCXLVI, nondum videmus ea ad episcopatum rediisse, sed neque speramus reditura fore.

Harduino successit Herboldus, Herbaldo Balduinus, Balduino Hugo, Hugoni Rabbodus, qui fuit avunculus Everardi, Tornacensium castellani, qui ipsum Tornacense castellum cum castello de Moritannia ante paucos dies ceperat et dominationi suae subdiderat, legitimos haeredes de eis expellens, Gerulphum de Tornaco et Hugonem de Moritannia. Hujus Rabbodi tempore

¹ *Püthem?* ² *Maldegen.* ³ *Sluys?* vel *Slykens?*

comitatum Flandrensem tenebat Robertus, filius Balduini Insulani et Adelae filiae regis, quibus data fuerant altaria. Veniens ergo ad eum Rabbodus episcopus oravit eum, ut xii altaria quae Harduinus de mensa Tornacensis episcopi tulerat et Balduino Barbato comiti avo ejus concesserat, Tornacensi ecclesiae pro anima sua redderet, quum jam tempus transierat quo reddita esse debuissent. Tres enim comites ea tenere debuerunt qui jam decesserant, Balduinus scilicet Barbatus, avus hujus Roberti, Balduinus Insulanus, pater ejus, Balduinus Hasnoniensis, frater ejusdem Roberti, Arnulphus, filius Balduini Hasnoniensis. Quem iste Robertus patruus suus occidit apud Castellum, et fratrem ejus Balduinum cum Richilde matre ejusdem Balduini de Flandria expulit, postea principatum Flandriae assequitur. Quem cum episcopus rogaret altaria reddere, dilationem postulavit, donec a matre sua hujus rei veritatem audiret. Cum ergo matrem suam praefatam Adelam super hoc consulisset, illa utpote religiosa et timens Deum respondens: « Verum est, inquit, fili, quod jam tempus transiit, quo a patre tuo et avo promissa fuerant reddi; quod ergo tibi Deus haereditatem tuam quam perdidisti, id est Flandriam, reddidit magnumque exinde tibi honorem fecit, consulo tibi ut etiam tu super hoc ei honorem facias et S. Mariae matri ejus altaria sua reddas. » His comes compunctus episcopo se ea redditurum spondit, sed antequam de manibus militum ea tenentium libera fierent, morte praeventus, non implevit quod proposuerat. Ipse quoque episcopus non multo post longum tempus moriens, quod inceperat non terminavit, sed ad augmentum destructionis episcopatus terras arabiles episcopi circa Tornacum Theodorico monetario et aliis primoribus hujus regionis vendidit, nemus et silvam de *Helcin* et de sancto Genesio distraxit, tradens singulos bonarios ad redditum quatuor denariorum singulis annis sibi solvendorum. Hic autem Rabbodus vir nobilis et magnae probitatis existens, inter caetera quae laudabiliter fecit, etiam coenobium S. Martini prope portam urbis Tornacensis, quod a barbaris quondam destructum fuisse ferebatur, anno Dominicae incarnationis MXCII restaurare curavit, sicut in eodem coenobio scriptum plenius invenitur, primumque abbatem dominum Odonem ibi ordinavit, qui postea fuit episcopus Cameracensis. Sed heu! sicut per beatum Job dicitur, quod in angelis suis repperit Deus pravitatem, ita etiam hic tantae probitatis episcopus apud Romanam sedem coepit accusari, quod per pecuniam regi datam adeptus fuisset pontificatum, unde cum multoties apud papam pulsa-

retur, nonnulla ornamenta Tornacensis ecclesiae pro sui redemptione vendita suis adiutoribus dereliquit, nonnullos redditus altaris S. Salvatoris de Brugis vendidit canonicis S. Donatiani, nonnullos vero alios redditus tam altarium caeterorum quam terrarum episcopii distraxit. Cum vero iudicatum fuisset ut cum duobus episcopis se de symonia purgaret, magister Anselmus, tum temporis Laudunensis scholae doctor praecipuus et per totam Franciam pro sua scientia famosissimus, auxilium episcoporum ei consilio suo abstulit, conscius eos secure non posse jurare eum innocentem fore. Ubi vero ei multis intervenientibus concessum est ut sola manu se purgaret, Hugo, Lugdunensis archiepiscopus et apostolicae sedis legatus, videns eum velle jurare, surgens coram omnibus : « Quid facis, inquit, infelix ! qui male jurando animam tuam interficere quaeris ? desine ab hoc juramento et nos impetrabimus, ut modo non deponaris, sed per biennium dilationem habens, postea pontificatum sponte, quasi religionis vel senectutis causa, honeste dimittas. Si enim juraveris, ecce tibi praedico quod de hoc anno cum honore non exhibis. » Episcopus, sicut coeperat, manum super evangelicum textum posuit, et se innocentem de symonia jurans securus de consilio exivit et Tornacum rediit. Post paucos dies Brugis abiit et pro infirmitate sua minui sanguine volens, dum medicus exspectatur, ipse pro corporea necessitate interiora cubiculi ingreditur, ubi cum diutius moraretur, unus ex ministris eum secutus, videt eum coram sede resupinum cecidisse, et cum nimio exclamat dolore; protinus omnes ingressi inveniunt eum paralyti dissolutum, membrorum scilicet et linguae officium perdidisse. Inter manus levatum ad lectum defecerunt, et post paucos dies sine confessione deflent morientem. Non solum vero super eo illi tunc praesentes doluerunt, sed etiam nos haec referentes pro tantae probitatis viro gemimus, scientes multum pertimescenda occulta iudicia Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

Eo itaque Brugis defuncto, sed Tornacum deportato et in ecclesia B. Mariae sepulto, Baldricus ei succedit, Baldrico Lambertus, Lamberto Symon, quem nostris temporibus relevatorem et conservatorem Tornacensis ecclesia habuit, qui juvenis ex regali prosapia ortus germanus fuit Radulfi, comitis Pheronensis, qui ambo fuerunt filii Hugonis comitis, cognomento Magni, qui germanus exstitit Philippi Francorum regis. Hic ergo longo tempore praefuit, altaria pristina recuperare nequivit, sed ea altaria quae decedentibus personis sibi remanserunt ecclesiis tradidit. Cujus relatione multorumque testi-

monio, cognovi quod redditus episcopatus praebendarumque canonicorum ecclesiae Tornacensis singulis annis fere centum marchis argenti adauxerit. De antiqua vero possessione a rege Chilperico tradita usque in praesens tempus retinent theloneum et pontinagium, foragiorumque suam partem. Quibus ea quae a fidelibus eis quotidie dantur conjungentes, praebendas instituerunt multum opimas, de quibus magnifices ustentantur. Totum etiam studium suum ad emendas terras et ad acquirenda altaria converterunt. Unde factum est, ut ecclesias B. Quintini de foro, in qua congregatio canonicorum olim mansit, beatique Petri de media urbe, a sanctimonialibus dudum inhabitatam, quae, ut praemisimus, a Fulchero episcopo subversae sunt, cum caeteris ecclesiis parochianis repeterent a militibus Noviomensibus, quibus idem episcopus eas in feodum tradidit et suo juri subdiderunt. Cum quibus etiam nonnullas possessiones earum antiquas receperunt, sicque fines suos plurimum dilataverunt. Sed et in multis aliis possessionibus persaepe augmentantur. De quorum prima constructione vel amplificatione hactenus dicta sufficiant.

Praefati vero episcopi Symonis temporibus, legitimis haeredibus decedentibus, datus est comitatus Flandrensis a rege Ludovico cuidam Willelmo, juveni filio Roberti Normannorum comitis, ad quem Symon episcopus veniens, interveniente eodem rege cognato suo, ei notificavit quod Harduinus episcopus Balduino Barbato comiti xii altaria, sicut superius relatum est, de mensa Tornacensis episcopi ad tempus concesserat, et quod jam tempus transierat, quo reddita esse debuissent; rogavit ut jam nunc tandem ea ecclesiae Tornacensi et sibi redderet. Comes verba episcopi, multorum testimonio vera esse cognoscens, commonente rege, protinus ea praefato episcopo libera reddidit, seque ei exinde nullam illaturum molestiam spondidit. Sed non est diu passus Flandrenses in sua consistere libertate; sed paulatim coepit eos opprimere et servitutis legibus subicere. Unde illi perterriti et quasi jam mortem in foribus adesse videntes, primo musitando, deinde apertius colloquendo, incipiunt consulere quomodo de hujus novi Pharaonis tam intolerabili jugo colla sua possint excutere. Quid multa? Audiunt quemdam adolescentem ex Theodorico duce et matertera Caroli comitis genitum, in Auxatia consistere, Theodoricum nomine. Quem secrete accersentes, post varios pugnarum eventus quos evolvere longissimum est, tandem apud castellum quod dicitur *Alost*, a quodam pedite in manu sub pollice vulneratus, Willelmus mortuus est. Quo apud S. Bertinum sepulto, dominatum totius Flandriae,

rege concedente, Theodoricus obtinuit. Quem Symon episcopus rogavit, ut sicut Willelmus praedecessor ejus Tornacensi ecclesiae jus suum recognoverat de xii altaribus, quae jam antecessores ejus injuste multis annis tenuerant, ita quoque ipse recognosceret et redderet ea sibi, sicut Willelmus coram rege reddiderat. Tunc comes ea episcopo reddidit et libera dimisit, seque nunquam ei super eis molestiam illaturum spondit, sed pro istis recognitionibus comitum nondum optimates Flandriae, qui ea in beneficium acceperant, reddere voluerunt; sicque ecclesiam exhaereditatam esse dolemus. In hujus ergo Symonis episcopi diebus Tornacensem ecclesiam respexit Deus, quod venit tempus miserendi ejus propriamque dignitatem VI^o annis perditam, et proprium episcopum Christi miseratione recepit, dominum scilicet Anselmum, sicut in sequentibus plenius narrabitur.

CAPUT III.

Quomodo Tornacensis ecclesia proprium episcopum recuperavit.

Universis S. matris ecclesiae filiis per orbem terrarum dispersis, B. Mariae Tornacensis ecclesiae canonici, supernae Hierosolymae civibus in coelesti curia sociati. Quum juxta beatum Paulum apostolum universalis ecclesia corpus Christi est, et hujus corporis membra sunt diversae ecclesiae vel singuli fideles, dumque patitur membrum, compatiuntur omnia membra, et dum glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra: misericordiam quam Deus ecclesiae nostrae, post longam et diuturnam voluntatem, proprium nobis pastorem restituendo in diebus nostris fecit, vestrae scribendo notificamus dilectioni, quatenus et vos congaudentes nobis Deo et piaie matri ejus gratias agatis. Tornacensem itaque ecclesiam¹ certum est olim proprium episcopum habuisse, sed jam per vj^o et amplius annos eo caruisse. Verum ne hoc sola fama vulgari videamur asserere, et nulla scripturae confirmare auctoritate, ea quae exinde in scriptis antiquorum reperimus, superius retulimus, totiusque operis textum altius incepimus. Nunc autem ea quae de restitutione episcopi in diebus nostris vidimus, superiorem materiam prosequentes, succincte revolvamus. Tempore Philippi regis Francorum, patrii

¹ Herim., parag. 97.

praefati Symonis episcopi, accidit, ut quidam canonicus Remensis ecclesiae magnaque probitatis vir, nomine Odo, vitam saecularem relinqueret, et in ecclesia Cluniacensi monachus fieret sub domino Hugone, ejusdem loci abbate. Cumque ibi per aliquot annos religiosissime vixisset, et dominus papa Gregorius VII eidem Hugoni abbati mandasset, ut sibi aliquos de monachis suis viros sapientes transmitteret, quos competenter episcopos ordinare posset, ei inter caeteros praefatum Odonem transmisit, quem papa in urbe Hostiensi episcopum consecravit. Defuncto autem papa Gregorio, Victor succedit; post quem idem Odo ad apostolicae sedis pontificatum eligitur, et Urbanus vocatur. Qui quum in ecclesia Remensi educatus fuerat, valde eam super alias diligebat, et ut ei pristinam dignitatem xii episcoporum redderet, valde desiderans, dum adhuc Hostiensis episcopus pro quadam legatione ab apostolica sede in Galliam directus Attrebatum venisset, et tam splendidam urbem vidisset, canonicos ejusdem urbis ad repetendum proprium episcopum verbis suasoriis accendere coepit, suumque auxilium eis apud papam omnimodis affuturum spondit. Cum autem eum reversum audiissent praefati canonici papam effectum, ex ejus verbis sumpta fiducia, dominum Lambertum virum religiosum et omnis probitatis famosum unanimiter sibi eligunt episcopum, et domino papae praestant consecrandum. Ille gaudens eum solemniterconsecrat, et ne unquam Attrebatensis ecclesia Cameracensem subjaceret episcopo, sedis apostolicae privilegio prohibet, sicque novum episcopum remittit ad propria laetum. Qui per Franciam concilia tenuit, et inter caetera, quae in concilio Clarimontensi decrevit anno Domini MXCVI, etiam Gualcherum, Cameracensem episcopum, pro eo quod episcopatum per pecuniam adeptus fuerat, excommunicationis gladio percutit et ab episcopali officio deponit, tuncque Cameracensem eligunt sibi episcopum Odonem, abbatem S. Martini Tornacensis, et Attrebatenses superius memoratum Lambertum; sicque ab invicem disjuncti sunt ii duo episcopatus per papam Urbanum.

Mandavit etiam Tornacensibus clericis, ut ad eum irent recepturi libertatem proprii episcopi. His litteris visis in unum convenimus, et tantam rem per solas ejus litteras incipere non audentes, donec ex ore ejus quod animo gereret agnosceremus, inito consilio duos ecclesiae canonicos viros prudentissimos Romam transmisimus, Elbertum scilicet et Gedulphum. Quo venientes jam papam defunctum invenerunt, et sine effectu redierunt, sicque totum primum inceptum nostrum remansit. Urbano successit Paschalis,

cujus tempore cum clerici Tornacenses Romanam curiam saepius frequentarent, pro dissentione quae inter monachos S. Martini et ipsos erat, Romani qui semper novorum negotiorum sunt cupidi, eos irridebant et sine jugo esse velle dicebant, quum proprium episcopum habere nollent, atque hujus modi verbis animos eorum ad repetendum proprium episcopum accendebant. Illi redeuntes quae audierant, referebant nobis et « nil tentare nocet, » subjungebant. Accidit autem cum jam concordati nobiscum fuissent, ut Baldricus, episcopus noster, pro quadam causa commotus, absque omni audientia et judicio canonico, missis litteris in urbe Tornacensi, divinum officium interdiceret. Unde Gonterus decanus et Gonterus praepositus irati canonicorum conventum evocant, et ad repetendam antiquam libertatem incitant. Continuo duos ex canonicis electos, Galterum scilicet, qui postea abbas S. Martini claruit, et Movinum, praecentorem ecclesiae, Romam transmisimus, per quos voluntatem domini papae scire possemus. Illis ergo necdum reversis contigit Baldricum episcopum mori.

Protinus Noviomenses congregati¹, dicentesque quod per pecuniam magis inceptum nostrum cassare possent, Lambertum, archidiaconum Tornacensem, pecuniae famosissimum, sibi in episcopum eligunt, et Noviomini accersitum in cathedra pontificali ponunt. Ille statim, utpote vir saecularis, regem Ludovicum et Radulphum, Remorum archiepiscopum, promissa pecunia sibi conjungit, et electionem suam fraudulenter facit confirmari, ita ut etiam rex consilio archiepiscopi Romam duos episcopos Aurelianensem et Parisiensem, tam pro hoc negotio quam pro aliis, miserit, per quos archiepiscopus papae mandavit, quod si Tornacensibus proprium episcopum daret, et episcopalis auctoritas plurimum vilesceret, et Noviomensi episcopo redditus sui nequaquam ad sola necessaria sufficerent. Nec mora Galterus et Movinus legati Roma redeunt, litteras ab apostolica sede deferunt, apostolica auctoritate praecipientes, ut remotis dilationibus, proprium episcopum nobis eligeremus, electumque Remensi metropolitano consecrandum praesentaremus. Ipsi etiam Remensi archiepiscopo papa mandavit ut electioni nostrae efficaciter insisteret, electumque consecraret. Convocatis igitur Tornacensis ecclesiae personis, unanimi consilio elegimus virum religiosum Herbertum, Morinensis ecclesiae archidiaconum, eumque a Johanne, tunc temporis Morinensi epis-

¹ Herim., parag. 98.

copo, litterarum apostolicarum coactione nobis traditum, Tornacum adduximus. Cumque ab archiepiscopo ut eum consecraret secundum praeceptum domini papae peteremus, ipse callide agens, utpote cujus animum jam Lambertus pecunia corruperat, respondit se nec Lambertum nec Herbertum consecraturum, donec legati regis, quos pro eodem negotio ad papam transmiserat, Roma redirent. Cum ergo utriusque electi consecratio suspensa et incerta fluctuaret, ecce legati, quos diu archiepiscopus desideraverat, Roma redeunt litterasque apostolicas ei deferunt, in quibus idem negotium in manu archiepiscopi ponebat, dicens eum sibi mandasse, quod si Tornacenses proprium episcopum haberent, et episcopalis auctoritas plurimum vilesceret, et Noviomensis ecclesiae redditus nequaquam episcopo ad sola necessaria sufficerent. His litteris susceptis, sibi subditos episcopos convocat, Noviomensibus ac Tornacensibus diem ponit, quo Lambertum electum praesentent, utriusque ecclesiae episcopum consecrandum. Ipso die, rex Ludovicus Remis adveniens, omnes episcopos advocat, et ut diligenter de eodem negotio inter se tractarent admonet: « Si, inquit, videritis magis ad Dei honorem et animarum salutem competere, ut Tornacensis ecclesia proprium episcopum habeat, ego libenter concedo, quia nihil me ex hoc perdere video, nec voluntati Dei vel saluti animarum in aliquo resistere volo, neque volo ut aliquis dicat per me hoc bonum remansisse vel se sub mea palliatione coram Deo possit excusare. » Cui Johannes, Morinorum episcopus, respondens: « Vere, inquit, domine rex, hoc dicto animam vestram liberastis, nunc videant domini nostri episcopi quid agant. » Sed archiepiscopus sciens non se accepturum pecuniam, nisi post consecrationem Lamberti, institit ut consecraretur super utramque ecclesiam episcopus, sicque consecrati sunt, eo die, Lambertus, Noviomensis episcopus, et Bartholomaeus, Laudunensis episcopus, plurimis mirantibus et derogantibus, quod magis expeteret pecuniam in marsupio reponere, quam Remensi metropoli antiquam dignitatem reddere, quod utique facile potuisset facere et regis permissu et auctoritate domini papae. *Nec tamen audaci Turno fiducia cessit*, secundum Virgilii dictum, quia Gontero praeposito cor non defuit. Quin potius junctis sibi praefatis litterarum latoribus, Galtero et Movino, nec non et abbate S. Martini, Segardo, electum suum Herbertum Romam duxit, eumque Paschali papae praesentat consecrandum. Nec mora Lambertus subsecutus affuit, dataque pecunia non modica, consecrationem ejus avertit, sicque laetus ad

propria redit. Clerici nostri post decessum ejus Romae remanentes, et papam cur se deluserit et sua pro nihilo expendere fecerit, vehementer increpantes, tandem ab eis vehementer anxiatus oravit, ut pro pace et quiete regni adhuc ad tempus Noviomensi episcopo, sicut olim, non gravemur obedire. Hoc ergo modo primum ratione curiae mutationem experti sumus. Herbertus autem, nullius exspectata licentia, ad archidiaconatum suum Morinensem reversus est, videns Romanam curiam nimium per pecuniam posse mutari, et cuncta venalia Romae, secundum Sallustii sententiam. Nos post hoc videntes totum orbem contra nos esse, et Romanos semper ei qui plus daret favere, omniaque auxilia nobis deesse, quievimus et Lambertum recepimus, sperantes nos, post decessum ejus, libertatem nostram assequi posse. Qui divina voluntate, non multis annis episcopatum tenens, Noviomii obiit. Post cujus decessum timentes Noviomenses ne rursus sermonem de repetendo episcopo moveremus, eligunt quemdam adolescentem, nomine Symonem, ex regali prosapia ortum, ut supra determinatum est. Huic ergo scientes Noviomenses nos facile non posse resistere, gloriosus enim comes Flandrensium Karolus Margaretam, sororem ejus, conjugem habebat, eum unanimiter eligunt, nobisque ipsam electionem innotescunt, assensumque nostrum exposcunt. Nos videntes quod si ei resisteremus contra torrentis impetum brachia tendere videremur, assensum praebemus, sicque tota spes nobis in vita ejus proprium episcopum habendi aufertur. Sed non est sapientia, non est prudentia contra Dominum. Quod enim tempore praedecessorum ejus, qui tanti generis non fuerunt, assequi nequivimus, hoc in istis diebus adepti sumus. Cum enim jam fere xxiiij annis pontificatum tenuisset, nullamque omnino diminutionis suspicionem haberet, contigit ut canonicus noster Henricus visionem supra scriptam videret, nobisque eam referens, inter caetera praedixit, quod ecclesia nostra infra non multum tempus proprium esset episcopum habitura et pristinam dignitatem receptura. Quae visio et prophetia futurae libertatis nobis indicia contulerunt. Quo tempore contigit ut, tam ex nostra ecclesia quam ex ipsa dioecesi, multi clerici famosi conversionis gratia, dominum Bernardum, abbatem Clarevallensem, sequerentur. Quorum relatione idem abbas de antiqua dignitate Tornacensis ecclesiae instructus, et quanta necessitas esset, ut propter infinitam populi multitudinem proprium haberet episcopum, edoctus ex visione adolescentis, sumpta occasione, aggreditur secrete Symonem episcopum, proponensque

ei periculum tot animarum sub cura sua degentium, ut Tornaci proprium episcopum ordinari benigne permetteret dulciter hortatur. Protinus dulci exhortatione abbatis compunctus, episcopus consensit precibus ejus, eo tamen pacto, ut de redditu Tornacensis ecclesiae, partem pecuniae in vita sua liceret ei retinere. Sed Noviomenses clerici, hoc audito, Radulfum, Veromandensem comitem, adeunt, et germanum suum vendidisse suum episcopatum derogantes, propositum abbatis per eum evacuant et evertunt. Per idem tempus inter papam Innocentium et regem Ludovicum, filium superioris Ludovici, cognatosque ejus supra memoratos, Symonem scilicet episcopum atque Radulfum comitem, lis exorta est, pro qua rex cum comite christianitate privatus est, et in bannum tenti sunt, episcopus vero ab officio episcopali per aliquod tempus suspensus. Papa enim clericum quemdam, cognatum cancellarii sui, in Bituricensem archiepiscopatum consecravit, quod quum rex concedere noluit, christianitate privatus est. Comes vero volens in matrimonium sibi copulari germanam Alienorae, reginae Francorum, uxorem suam legitimam de consanguinitatis linea, calumniari coepit; sed quia absque iudicio canonico ab ea separari non valuit, praefatum Symonem germanum suum, junctis et aliis duobus episcopis, Laudunensi scilicet et Silvanectensi, fecit per sacramentum testari, sic se propinquitatis linea cum uxore sua conjungi, ut foedera matrimonialia ab invicem deberent dissolvi. Quo juramento completo, ab ea se disjunctus et germanam reginae duxit, quae ambae fuerunt filiae comitis Pictavorum et ducis Aquitanorum, quae etiam propinquiores ei erant. Fama hujus perjurii per totam disseminata regionem, etiam ad apostolicam audientiam dilata est per comitem Theobaldum, Burgundionum principem, hujus enim erat neptis ea quam Radulfus comes dimiserat, et dedecus repulsae eum spectabat. Quam querimoniam cum per nuntios suos auribus papae deposuisset, comitem vinculo anathematis ligavit, et episcopos ab officiis episcopalibus per aliquod tempus suspendit. Hac ergo dissensione inter papam et regem atque episcopum Noviomensem comperta, Theodoricus praepositus, qui Gontero successit, ardensque desiderio cum clericis Tornacensibus, ut ecclesia nostra pristinam dignitatem reciperet, quemdam monachum S. Martini Tornacensis, nomine Hermannum, secrete alloquens ut Romam eat et animum papae super hac causa caute exploret, hortatur. Hermannus favens eorum precibus, Romam pergit. Innocentio papae litteras, quas olim Paschalis papa Tornacensibus transmiserat, ostendit totum-

que rei suprascriptae ordinem pandit. Tandemque etiam ipse ab eo litteras accepit, in quibus Tornacenses commonuit et apostolica auctoritate praecepit, ut communicato religiosorum et discretorum virorum consilio, remotis dilationibus, episcopum proprium eligerent, electum autem Remensi metropolitano consecrandum praesentarent. Quod si ipse nollet perficere, ad suam praesentiam ducerent. Has litteras Hermannus praesentat Tornacensibus, diem electionis ponimus, et personas dioecesis convocamus¹. Initoque consilio Absalonem, abbatem S. Amandi, virum religiosum, unanimiter in episcopum eligimus. Protinus electio Remensi archiepiscopo notificatur, sed ipse dicit, quod eum non auderet consecrare, pro regis et comitis Radulphi timore. Unde, necessitate cogente, compellimur Romam remittere, et ipse quidem electus, ut vir sapiens, renuit ire, veritus, quod postea accidit, ne Romana curia per pecuniam a sententia flecteretur, sicque sibi in dedecus verteretur, si repulsam pateretur. Clerici ergo Tornacenses, juncto sibi praefato Hermannus, Romam proficiscuntur, litteras suas pro electione facta papae ostendunt, et ab eo gratissime suscepti, de die in diem exspectant ejus terminale responsum. Cum subito Symon episcopus eos subsequutus adesse nuntiatur, ingressusque palatium cum clericis suis, papae conqueritur super clericis Tornacensibus, qui praetergressi fidelitatem et obedientiam, quam sibi promiserant, electionem alterius episcopi contra se fecerant. Respondet papa a fidelitate et obedientia quam sibi promiserant se eos absolvisse, et ut proprium episcopum eligerent eis praecepisse, ideoque nihil super iis eos deliquisse. Subjuxit quoque Hermannus, annuente sibi papa ut diceret, clericos Tornacenses nullam contra episcopum Symonem accusationem coram papa detulisse, sed ei, utpote viro nobili et laudabili, bonum testimonium ferre, nec pro aliqua malivolentia alium episcopum elegisse, sed si non inferioris meriti beato Martino ipse esset, eos tamen desiderare ut mater sua Tornacensis ecclesia pristinam dignitatem proprii episcopi reciperet; tantam autem hujus rei necessitatem esse, ut cum in Tornacensi episcopatu plus quam ix^e millia populi diversi sexus et aetatis continerentur, tamen propter absentiam episcopi, teste ipso episcopo, mortui essent infra decem annos plus quam centum millia, qui non fuerant consecrati oleo de manu episcopi, plus quam etiam..... non tam homicidio quam aliis criminalibus implicatos ibi esse, qui non suscepissent

¹ Heriman., finis parag. 113.

poenitentiam criminum suorum ab episcopo. Cumque haec et multa alia in praesentia episcopi Hermannus retulisset, quorum nihil episcopus negavit, papa stupefactus electionem Tornacensium coram omnibus confirmavit, seque eam perfecturum promisit, ac cardinales qui circum sedebant exhortatus, ut se exinde adjuvarent, de sede sua surrexit et in secretarium cum eis intravit, legatis nostris sperantibus causam suam citius terminandam. Postea eos plus quam xv diebus papa detinuit, donec dominus Symon, quingentis marchis argenti per curiales distributis, gratiam domini papae recepit. Qui tamen eum in secretarium nobis praesentibus evocans, coram cardinalibus praecepit ei sub periculo ordinis sui, ut nullam omnino malevolentiam in facto vel verbo Tornacensibus ostenderet, qui praecepto suo electionem episcopi fecerant. Sicque legatis nostris cum osculo reconcilians, litteras eis dedit, in quibus nobis mandavit, quod de electione nostra voluntatem iidem non mutasset, sed ad praesens per consilium differret, donec convocato episcoporum et metropolitanorum conventu, quod coeperat, confirmaret. Interim autem praecipiebat, ut ei solitam obedientiam exhiberemus. Sic itaque legatos nostros tristes dimittens, et multis male loquendi occasionem dans, sequenti anno moriens, Celestinum habuit successorem, qui infra unius anni spatium defunctus, Gerardo cancellario, qui Lucius dictus est, apostolicam sedem dimisit. Eo quoque similiter infra annum defuncto, Eugenius succedit, qui primo Bernardus vocatus, in coenobio Clarevallensi monachus fuerat, deinde ab Innocentio papa in monasterio S. Anastasiae abbas Romae ordinatus fuerat. Hic ergo cum nobis ab omnibus nuntiaretur avidus pecuniae non esse, per internuntios de negotio nostro edoctus et quid exinde facere vellet requisitus, respondit se facturum quidquid abbas Clarevallensis inde sibi per litteras mandasset. Cum itaque dubii sermones inter nos pro hac causa renovarentur, ecce subito Theodoricus, praepositus noster, infirmitate nimia gravatus et monachus factus, in coenobio S. Martini moritur. Sequenti etiam anno electus noster Absalon, abbas S. Amandi, vitae terminum fecit, sicque nobis ostensum est, quod nec ipse, nec Herbertus, Morinensis archidiaconus, a Deo praedestinatus fuit, ut fieret Tornacensis episcopus, alii enim istud officium servabatur. Sed nec Gonterus praepositus, nec Theodoricus successor ejus, patris sui filius, licet ecclesiae nostrae ferventissimi amatores existerint, et in secularibus satis potentes fuerint, hoc honore digni fuerunt, ut per eos tantum opus consummaretur. Nam et hic honor alii repositus

erat¹. Cum isti ergo ita defuncti defuissent, filius sororis Theodorici, nomine Ledbertus, ei in praepositura successit, cujus instinctu quidam alius Lambertus², cognomento Blandus, juvenis concanonicus noster cum litteris abbatis Clarevallensis Romam petiit, Eugenio papae negotium Tornacensis ecclesiae pandit, utque tandem debito fine opus quod sibi Deus reservaverat, terminare et consummare studeat, suppliciter exposcit. Volente papa ei litteras dare, ut rursus Tornacenses episcopi electionem facerent, respondit ille se nunquam hujusmodi litteras laturum, sed si papa sibi consecratum manu sua traderet episcopum, cum ipso se reversurum, eumque a Tornacensibus cum honore debito suscipiendum. Quid multis morer? Instanti ejus petitione et constanti pertinacia flexus, papa quaerit ab eo quem velit in curia sua eligere. Ille, ut sapiens juvenis, consilium suum in ore domini papae ponit. Convocat papa cardinales et quid sibi super tanto negotio faciendum sit consulit. Venerat tunc forte Romam Anselmus, abbas S. Vincentii Laudunensis, qui in coenobio S. Medardi Suessionensis monachus factus fuerat. Sed fama religionis et probitatis ubique praeconante, a monachis S. Vincentii expetitus, abbas est ordinatus. Qui etiam multis annis idem coenobium laudabiliter rexit, ita ut de monachis ejus tempore suo in diversis coenobiis decem abbates venerabiles exstiterint. Hic ergo illis diebus pro ecclesiae suae necessitatibus Romam veniens, et in curia papae notissimus, primum ab ipso papa nominatur, statimque a Lamberto³ et ejus sociis eligitur et papae consecrandus praesentatur. Reluctatur et contradicit, dicens se valida infirmitate detentum et de morte potius quam de episcopatu sollicitum. Persistit papa in sua sententia, et obedientiae vinculo coactum Dominica Laetare eum solemniter consecrat, consecratumque cum litterarum suarum auctoritate novum pastorem ovibus Tornacensibus destinat, et ut honorifice recipiatur, imperat, et eos ab obedientia Noviomensis ecclesiae absolvit, utque semper habeant proprium episcopum auctoritate privilegii sui promulgavit⁴. Regi vero Francorum Ludovico, qui etiam fuit dux Aquitanorum, et qui ad admonitionem Eugenii papae, ad expugnandos inimicos christianae religionis in Hierosolymam expeditionem paravit, deprecatorias litteras idem papa misit, alias quoque comiti Flandrensi Theodorico, necnon et civibus Tornacensibus, in quibus exorabat

¹ Herimannus, finis parag. 114.

² Vocatur Letbertus, in edit. D. Luc. D'Achery.

³ Letberto.

⁴ Herimannus, finis parag. 115.

ut episcopum quem ad honorem Dei et propter animarum salutem ordinaverat, omnes simul benigne concederent esse, et redditus episcopatus deinceps ipsi persolverent. Rex autem cum comite et civibus, interveniente Alviso religioso viro, Attrebatensi episcopo, paucis interpositis diebus, petitioni papae annuit. Sicque novum episcopum in sede pontificali recepimus: alias etiam litteras episcopo Noviomensi legavit, in quibus eum exhortabatur, ut patienter ferret Tornacenses proprium episcopum habere, et ne vel per se vel per subjectam sibi personam ei aliquam molestiam inferre praesumeret. Metropolitano quoque Remensi et comprovincialibus episcopis mandavit, quantum eum manu tenerent et in omnibus juvarent, atque ab omni praesumptione episcopum Noviomensem desistere monerent, et cum eo ad pacem concordarent. Sed ipse Symon mitissimus homo erat, et malefactoribus suis mala retribuere nesciebat. Unde factum est ut neque verbo neque facto contra praeceptum papae facere tentaret, quod etiam ad nobilitatem generis sui pertinebat. Sic ergo Deus ordinavit ut Herbertus et Absalon Tornaci eligerentur, et Anselmus Romae consecraretur. Sic Deus permisit ut Paschalis et Innocentius Tornaci juberent fieri electionem, et Eugenius Romae faceret consecrationem. Sic Deus disposuit ut Gonterus et Theodoricus praepositi laborarent pro electione, et Lambertus¹ gauderet de facta consecratione. Alii ergo secundum evangelicam sententiam laboraverunt, et Letbertus in labores eorum introivit, alii seminaverunt, Letbertus messuit. Benedictus Deus qui prosperum fecit iter ejus. Acta est consecratio domini Anselmi episcopi Romae, anno incarnati verbi Domini MCXLVI, quo anno fuit fames gravissima, ita ut Tornaci venderetur sextarius tritici lvj solidis. Sicut ergo per sanctum Medardum dignitatem proprii episcopi perdidimus, dum ipse curam episcopii Tornacensis sibi injunctam a clero et metropolitano tenuit, ita etiam per eundem libertatem nostram recepimus, dum Deus proprium pastorem nobis restituens, monachum S. Medardi in episcopum dedit. Benedictus Deus qui tales filios sancto Medardo imbuendos tradidit, per quorum ministerium Christus in filios adoptionis divina charismata effunderet, et ecclesiam suam sine ruga et macula conservare vellet². (Residuum chronicae episcoporum, qui Anselmo in regimine ecclesiae Tornacensis successerunt, quaere in fine praesentis chronicae.)

¹ Letbertus.

² Herimannus, finis parag. 116.

PARS SECUNDA CODICIS.

NARRATIO PRIMAE CONSTRUCTIONIS COENOBII SANCTI MARTINI TORNACENSIS ¹.*Incipit prologus.*

Quoniam quae divinitus circa homines misericorditer aguntur, oblivione praetereunda vel abolenda non sunt, cum de mirabilibus quae fecit Dominus mandatum sit prioribus notafacere ea filiis suis, ut ita per successiones cognosceret ea generatio altera, dum filii qui nascerentur et exurgerent et ipsi narrarent ea filiis suis, nos ea quae prioribus nostris narrantibus cognovimus de ecclesia B. Martini Tornacensis extra moenia civitatis Tornacensis, nunc sitam ad plagam meridianam, non debemus successuris occultare, nefas ducentes quae ad laudem Domini spectant super misericordiam et veritatem ejus latere. Hanc si quidem abbatiam antiquitus fuisse fama vulgavit, sed et scriptorum quaedam monumenta usque in hodiernum diem exstantia hoc declarant, quod quae supersim scripta sunt, praesentium tunc temporis incuria scire etiam cupientibus non omnia occurrunt. Quorum desiderii satisfacere cupiens ea quae diffusa repperi, vel fama praeconante prosensi, compendiose distinguere curavi, ut cuilibet legere volenti et scire cupienti gratum existat. — Explicit prologus.

CAPUT I.

Incipit narratio.

De ecclesiae itaque nostrae ortu seu procurso narrationem exordientes, non parvum difficultatis obstaculum in nostris, ut ita dicam, fundamentis incurrimus, ut enim brevitatis studio aliquando praeternitentibus nobis de admiratione factorum et laude factoris diminutio fiat, ut rursus dum cuncta

¹ Ex Herimanni narratione restorationis abbatiae S. Martini.

ad plenum prosequi volumus, ad superiora longe tempora recurrentibus prolixitas pariter et difficultas obsistet. Sed bonus lector si vires pensat et considerat, nihilominus voluntatem nostram, spero, non ingratus accipiet et non subsannabit rusticitati. Consideratis itaque omnibus et collustratis quae de ea audio per solam superstitem memoriam jugem, vel lego in chartis abditis et membranis, a beato Eligio principium meae narrationis incipio, qui septimo loco a beato Eleutherio sortitus est dignitatem cathedrae episcopalis Tornacensis ecclesiae, et a quo prima ejus moenia fundata fuisse audio.

Sanctus Audoënus¹, Rothomagensium metropolitanus, gesta beati Eligii clare et fideliter describens, inter caetera refert ipsum primitus aurificem fuisse in curia Lotharii, regis Francorum, filii Chilperici, qui ecclesiam B. Mariae Tornacensis valde ampliavit, ut diximus, ipsoque rogante expensasque praebente universas, tumulum beati Martini Turonis ex auro et lapidibus pretiosis composuit. Qua occasione atque opportunitate nec sine Domini voluntate, ut postmodum claruit, factum est ut duos dentes de maxilla sancti Martini detraheret, sibique pro reliquiis retineret, nec multo post longum tempus pastorali cura regendas suscepit plebes Tornacenses atque Noviomenses, anno Domini DCXLIX, quas rexit per xvij annos, id est usque ad annum DCLXV. Quo paucis diebus sacerdotio administrato, placuit Deo, qui illi suggesserat dentes sancti a corpore separare, quatinus jam ageretur opus, quo beata pignora in finibus Galliae venerationi haberentur, et quod saluti venerantium plurimum patrocineretur. Moxque divino inflammatus instinctu, mira erga sanctum accensus est devotione, deinde mente pertractans cum quanta reverentia excolendae essent reliquiae, nec fas esse eas sub modio latere, visum est ei per hoc praestantissimum honorem atque potissimam frequentationem obtinere, si tali loco reponerentur, quo memoria alicujus sancti hactenus minime habita fuisset, sed solummodo pro sui eximietate locus deinceps a populis frequentaretur. Igitur uno dente Noviomi in ecclesia Beatae Mariae recondito, alterum Tornaci detulit. Erat tunc in introitu ejusdem civitatis ad plagam meridianam, mons eminentissimus, silva operatus, arbustis pomiferis diversi generis consitus, ubi sic segnis animus recreabatur, ac si partem amoenitatis paradisi se occupasse gratularetur. In hoc dicebatur antiquitus beatus Martinus corpore consedissee, praedicationis gra-

¹ Ex Herimanni narratione restaurationis abbatiae S. Martini Tornacensis, § 45.

tia Gallias perlustrante, mortuumque ibi suscitasse et innumeris infirmis multa sanitatum beneficia praestitisse, per quae non modicam turbam gentilium ad cultum divinum convertit ¹. Ne cui autem incredibile videatur beatum Martinum in iis partibus advenisse, signa itineris ejus usque in praesentem diem demonstrantur.

In Lotharingia habetur quoddam municipium quod vocatur *Bovenias*, per quod dum transiret idem beatus, ad fontem secus defluentem, animal cui insidebat adaequare voluit. In cujus descensu saxum enorme repperit, in quo animal pedem suum quasi in mollissima cera impressit. Quod factum, sicut a pluribus contigit ignorari, silentio vel oblivione oblitteratum, ita ante nullis pacto quovis agnitum, nihilominus memoria conservatur. Rebus namque praetereuntium temporum sola superstes memoria diu vivit in posterum.

Locum ² ergo supra nominatum in introitu civitatis Tornacensis jam ab ipso Martino praelectum, et per suam praesentiam sacratum, Dei famulus Eligius expetiit eligendum. In quo dentem sancti reponens, domum illic baptismatis in honore ipsius aedificavit, quoad laudes divinas sacramentorum ministris celebrantibus populus Deo dignus posset confluere et charismata divina percipere. Qui nequaquam oblitus sui desiderii destinationem, habitationes monachorum ibidem construxit, verum progrediente tempore et crescente paululum devotione fidelium erga ipsum locum, videns nonnullos animatos ad hoc quod diu mente tractaverat, scilicet ad serviendum Deo sub regulari norma, atque communi vita vivere paratos, ne praeparata habitatio sine habitatoribus esset, collegit ibidem quamplures ex diversis gentibus tam servos quam ingenuos, abbatemque, ad cujus nutum penderent, eis praefecit. Vitae vero institutionem tam districtam indidit, ut pene singularis fuerit vita eisdem monachis pro caeteris Galliae monasteriis. Tunc undique nobiles inibi convenire coeperunt, ac se omnipotentis Dei famulatui tradentes, possessiones etiam suas haereditarias eidem loco delegaverunt. Ipse quoque Eligius amplioribus praediis locum illum ditavit, terras et redditus sufficienter delegavit, et omnia quae essent monasterio necessaria solerti satis cura providit. Ex quibus nonnulla de episcopalibus redditibus possederat, quaedam pretio comparaverat, quaedam ex munere regio perceperat, aliqua vero ab aliis potentibus gratuita largitate data susceperat. Regi nam-

¹ Herimannus, § 45, pag. 902.

² Herimannus, § 45, in medio.

que Clodoveo, cujus imperii tertio anno pontificalem susceperat infulam et cunctis primoribus ejus, pro anterioris fraternitatis conjunctione, quam cum eo in palatio sub patre suo Dagoberto atque avo Lothario habuit, in tantum carus erat, ut quidquid ab eisdem postulasset, absque dilatione impetrasset. Quidquid vero adipisci poterat, cuncta praedicto loco tribuebat, quem novissime in finibus Galliae fundaverat, post praeclara coenobia, quae per diversa loca construxerat. Unde factum est ut brevi elapso tempore res ibidem delegatae usibus fratrum illic Deo servientium per omnia sufficerent. Quarum possessionum sub hoc tempore ecclesiae collatarum exstant monumenta usque in hodiernum diem. Quae quomodo ad nostram notitiam pervenerint, hoc loco inserere dignum duximus¹.

In ecclesia B. Mariae Tornacensis², quidam canonicus, nomine Erbalus, existit, qui officium thesaurarii in ea pluribus annis administravit. Sed post aliquanta annorum curricula laetali infirmitate depressus, ad beati Martini confugit auxilium. Cui aegrotanti dum quadam die assisteremus et de antiquitate hujus ecclesiae mutuo confabulareremur, subito, aeger ut erat, talem sermonibus nostris responsionem consequentem intulit, dicens: « Vere, fratres, hic locus abbatia dudum fuit, quam ergo in quibusdam vetustissimis membranis infra ambitum ecclesiae B. Mariae repositis, antiquas possessiones et redditus hujus ecclesiae descriptos habuisse saepissime legi, ubi etiam servorum ejus atque ancillarum non minima multitudo continebatur. » Quae verba vel scripta antiquae ecclesiae testimonium reddunt. Neminem tamen ex servis atque ancillis vel possessionibus nominatim indicavit, quoniam quae posteritates vel familiae hodie ex istis existunt, vel quibus successoribus in dominium nunc tenentium devenerint, propter diuturnam exhaeredationem non facile edicere valuit. Cujus verba cum canonicis B. Mariae referimus, et veritatem nobis plenius sciscitamus aperiri, respondent nullum scriptum possessionum nostrarum nominatim in tota bibliotheca sua haberi. Sed priscis temporibus evenire potuit, ut aliquae determinationes finium nostrorum cum scriptis suorum intermischerentur, quae jam vetustate nimia deleta nusquam apparent. Sed etsi qua fuerunt, quamdiu integra manserunt, Erbalus cujus custodiae mancipata erant, saepe legendo reperire facile potuit, quod aliis nequaquam occurrit. Haec audientes, sed nihil proficere valentes, dolemus

¹ Finis § 43.

² Heriman., § 44.

firmissime, tamen tenemus quod relatione paterna didicimus, ut scilicet tempore persecutionis normannicae, cujus narratio post dicetur, nonnulla de suppellectili ecclesiae nostrae et possessionibus cum dente beati Martini, in cujus veneratione fundatum erat coenobium monachorum a beato Eligio, in canonicorum B. Mariae dominium tunc devenirent, aut ad custodiendum suscipientes, aut aliquae mutuae vicissitudinis gratia juri suo mancipantes. Usque in hodiernum etenim diem apud eos dens haberi dicitur, et per verba subscripta dignoscitur. Verba autem Erbaldi vera fuisse non dubitamus, quia mos qui in chartis scribendis hodie frequentatur, jam ab illis temporibus inolevit. Sicut enim de possessionibus et altaribus quae hodie a principibus et episcopis ecclesiis dantur, duo chirographa videmus conscribi, quorum unum ex propria impressione sigilli datoris sigillatum ecclesiae, cui traditur possessio, delegatur, alterum vero non sigillatum, ecclesiae ubi sedes est episcopi, remanet; ita scripta illarum possessionum quae antiquitus haec ecclesia possedit, eodem modo canonicis S. Mariae tradita fuisse liquida patet.

Nostris ¹ etiam temporibus, homines provecioris aetatis secus Scaldum circa *Helcim* et S. Genesium fuerunt, qui se ab antecessoribus suis audiisse dixerunt, quod ecclesia ista antiquitus infra fines memoratos praeclaros redditus possederit. Ipsas vero possessiones determinantes dicebant quod altaria villarum memoratarum, prata, nemora, terras arabiles, servos, ancillas et caeteros redditus, quos nunc ibi tenet episcopus, canonici et milites de episcopo, altaria quoque de Curtraco et de Hemniis, monachis discedentibus in persecutione normannica, sub eorum tutela reliquisse. Sed monachis non redeuntibus, juris sui allodium effecerunt. Quia autem restaurata est ipsa ecclesia, antiquitatis monumenta idcirco non deteguntur. Ne inter filios utriusque ecclesiae aliquod discidium vel controversia oriatur pro repetendis possessionibus, quod vero habeant privilegia ecclesiarum B. Quintini de foro, Beatique Petri de media urbe, in quibus congregationes Christo famulantium olim manserunt et adhuc inrestauratae manent, possessionesque earum teneant plenissime, fatentur ². Nostram ecclesiam priscis temporibus possedissee terras, super quas nunc restaurata est, et in circuitu ejus non modicam quantitatem comperimus, quae tempore secundae restorationis adhuc terrae sancti Mar-

¹ Herim., § 45.

² Finis § 45.

tini vocabantur, quas quando recuperaverimus, series secundae instaurationis declarabit. His de propinquis possessionibus dictis; ad ea describenda quae in longioribus provinciis possederunt flectamus articulos. In confinio Parisiorum data est villa huic ecclesiae per idem tempus, nomine *Supas*, ab Ingelramno comite de Castellandum. Videtur autem congruum commemorare quomodo deprehenderimus post tam diuturna tempora et in tam longinqua regione villam antiquitus nos possedisse.

Quidam¹ ex monachis nostris Corturiacum ad Clementiam comitissam directus, invenit ibi quemdam abbatem qui ad eandem venerat, a quo interrogatus unde esset, cum de S. Martino Tornacensi se esse respondisset, abbas protinus ille percunctari coepit ubi esset et cujus modi esset abbatia S. Martini Tornacensis. Cumque monachus prope eam esse nec antiquam sed novam et ante xx annos constructam fuisse dixisset, abbas protinus subjunxit: « Vere, sed plus quam quadringenti anni transacti sunt, ex quo abbatia S. Martini facta est. Nam in ecclesia nostra adhuc servantur privilegia S. Martini Tornacensis, quae monachi ejus Normannorum persecutionem fugientes ad nos attulerunt, ibique reliquerunt. Ego ipse multoties quaesivi ubinam terrarum sit ecclesia S. Martini Tornacensis, sed hactenus scire nequivi. » Tum monacho abbatem sciscitante unde esset, abbatem de Ferrariis se esse respondit. Rogatus vero multum ut Tornacum veniret, non sibi vacare respondit. Monachus rediens cum hoc nobis retulisset, illico rursus cum alio litterarum perito Corturiacum, sciscitandi plenius gratia, remittitur, sed abbas qui jam discesserat non invenitur. Magnus nobis dolor, magna quaestio exoritur, ubi sit Ferrariensis ecclesia, quaerimus sed discere nequimus. Post duos annos generale concilium Remis indicitur a papa Calixto, fratre Clementiae comitissae, qui prius fuit Viennensis archiepiscopus, et vocabatur Guido. Ibi spes aliquid audiendi nobis renascitur. Negotii hujus indagatio injungitur Hermannus, qui postea abbas in nostro coenobio claruit. Qui regressus a concilio sic nobis ea quae deprehenderat, referebat dicens: « Sedente concilio, ipse tota die circumeo ecclesiam Remensem et in tanto conventu oppressus et opprimens, cuicumque monacho obvius, ubi sit Ferrarias, requiro, et per triduum nihil proficio. Interdum deficio, sed vires mihi reddidit ille versiculus: *Labor improbus omnia vincit*. Tandem in epis-

¹ Quae sequuntur, legere licet in Herimanni Tornacensis, in *d'Achery Spicilegio*, ed. 2, t. II, narratione restorationis abbatiae S. Martini pag. 901, col. A, n° 41 et 42.

copatu Parisiensi Ferrarias esse audio. Deo gratias ! clamo , per clericos Parisienses abbatem Ferrariensem agnosco dominum sanctum Petrum , qui fuit monachus S. Mariae de Vizeliaco. Protinus illum adire cupio, sed turba impediante nequeo. Tandem diu desideratam papa dante comedendi licentiam , abbati me conjungo ; verba quae Gerardo , monacho S. Martini Tornacensis , apud Cortriacum ante biennium dixerat , recolo , facile eum recordari gaudeo, quid in illis privilegiis quae apud se servari dixerat , contineatur, sciscitor. Respondit, inter caetera quae reservabantur, Karoli, regis Francorum, cognomento Magni, esse unum privilegium, sigillo ejus confirmatum et in eo scriptum esse : Quod petente Ingelramno, comite de Castellandum, rex Karolus dederit S. Martino Tornacensi villam, quae vocatur *Supas*, in confinio Parisiorum, cum molendinis et omnibus aquae opportunitatibus appositis. In fine testibus et die simul ac loco donationis. Rogo illud mihi dari privilegium, quoniam ipsi non erat proficuum : respondet se non gratis illud daturum. Promitto ei centum solidos; diem mihi ponit quo ad eum veniam, viam docet qua pergam, ut scilicet primum Parisius, deinde Castellandum, inde Ferrarias proficiscar. Tornacum gaudenter redeo, audita refero, pecuniam defero, Parisius transiens, Ferrarias venio, abbati nummos ostendo, privilegium mihi dari postulo. Sed abbas sicuti monachi ejus mihi dixerunt, timens offendere militem qui villam tenebat, respondit privilegium illud se post concilium invenire nequivisse. Accepto a me tamen uno pretioso cingulo, ad villam ipsam quae *Supas* dicitur et duobus milliaribus aberat, me duci fecit, nec visis molendinis et loci opportunitatibus lacrymas tenere nequivi, ingressusque ecclesiam vetustissimum codicem pene jam dissolutum et putrefactum inveni, in quo scriptum vidi : *Liber S. Martini Tornacensis coenobii*. Egrediens cuidam seni et decrepito rustico obviavi, cumque cujus esset illa villa requisivi, respondit Joscelini militis esse et aliorum quorumdam. Cui ego : « Quaeso, inquam, pater, dic si aliquando eam audiisti alicujus sancti fuisse. » — « Scimus, inquit, omnes hanc villam fuisse cujusdam abbatiae, quae dicitur S. Martini de Turnio, sed nescimus ubi sit, et miramur quid faciant maledicti monachi illius abbatiae qui talem villam non repetunt. » — « Tu ergo et quomodo, inquam, pater, audisti talem villam datam fuisse tam ignotae et longinquaе abbatiae. » — « Audiivi, inquit, quemdam militem hujus regionis, cujus haec villa erat, in illam provinciam cum aliis militibus solidarium abiisse, ibique vulneratum et desperatum in abbatia illa monachum factum fuisse, sed pos-

tea sanatum huc rediisse et villam suam per regem Karolum eidem abbatae S. Martini confirmasse. » Hoc audiens sed nihil amplius facere valens, tristis reversus sum, super hoc tamen gaudens quod aliquantulum certior fui de abbatae nostrae antiquitate ¹. Hoc ergo privilegium et villa, hoc quod senex, qui absque cognitione cyrographiae enarravit modum donationis, testificantur hanc abbatiam antiquitus fuisse.

Sed ² et aliud testimonium ejus antiquitatis, quod usque in praesens tempus permanet, nequaquam silentio tegendum esse arbitror. Mos antiquitus institutus tunc temporis servabatur in ecclesiis, ut nomina fratrum circumjacentium ecclesiarum, quibus se mutuas orationes debere vel societatem promississe noverant, super sanctum altare scripta ponerentur, quatinus sacerdos missam cantaturus nominatim recitaret, cum ad illum locum venisset, quo dicitur: « Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis. » Tunc unus enim ministrorum altaris ei propinquans praesentabat recitanda. Hanc autem conjunctionis fraternitatem antiquos monachos coenobii hujus cum monachis S. Amandi Helnonensis novimus habuisse; scriptum namque illud, in quo nomina fratrum S. Martini cum nominibus fratrum ecclesiarum finitimarum continebantur usque ad nostra tempora in eodem coenobio Helnonensi permansit, quod etiam quidam nostrorum manibus tenuerunt et oculis inspexerunt. Auditum comperimus priscis temporibus infra muros nonnullarum civitatum cadavera mortuorum nequaquam sepulturae tradere, sed foris coemeterium habere, ubi corpora deferebantur humanda. Quod et nunc observatur Lauduni Remis, quod antiquum coemeterium extra muros demonstratur. Quam consuetudinem in Tornaco viguisse antiquiores nostri dixerunt, communemque sepulturam hujus civitatis antiquitus in hac ecclesia fuisse affirmarunt. Quorum verbis adstipulatur cuncta terra de circuitu ecclesiae, quam dum agricolando excolimus, repleta cadaveribus mortuorum deprehendimus sarcophago praeclara, ex plumbo et lapide sculpta, adhuc integra manentia. Aliud quoque testimonium ex vita beati Eligii proferre in promptu habemus, per quod elucet quod, adhuc ipso Eligio fundatore nostro superstiti in corpore, quidam abbas Balderedus nomine huic abbatae praefuit. Relegentes

¹ Hucusque Herimannus in *Spicilegio*, t. II, pag. 901.

² Ex eod. Herimanno ib., pag. 902—905. n° 46.

enim historiam vitae ejus, reperimus quod, cum pietas divina vellet eum a labore vitae hujus quiescere et suorum operum remunerator esse, paucis diebus antequam ad extrema perveniret, febris incommodo tactus sit; qui Noviomini recubans, grex sibi commissus, cui semper monita salubria tradiderat pene universus ad eum confluxus, tanto esse praesentia ejus requirentes ac exhortatione roborari cupientes, quanto certius amissurum esse cernebant. Inter eos vero qui convenerant Balderedus supra nominatus, dicitur affuisse. Quem videns beatus Eligius, spiritu prophetae repletus, praecepit ei, ne ad suos Turonis rediret. Quod si illud iter ultro arripere voluisset, sciret se minime reversurum. Quod postea rei probavit eventus, viro namque humanis rebus exempto, ad praedictam urbem sine cunctamine rediit. Quo non multo post a turba vehementer caeso et interempto, tardius quod debuit monita beati viri neglexisse poenituit. Nomina Turonorum hoc in loco posita esse quidam existimant pro nominatissima metropoli Galliarum, in qua beatus Martinus metropolitanus fuit, existimantes abbatem, de illa regione progenitum, causa propinquiorum suorum saepius fines illos invisere solitum fuisse, sed a beato Eligio interdictum esse, ne amplius gratia consanguineorum illuc tentaret retrahere. Nos vero relatione paterna didicimus nomen Turnorum, qui a progenie Turni regis descendant. Hic ad debellandum Julium Caesarem in Tornaco rex constitutus, quis qualisve fuerit superiora hujus operis relegens lector inveniet. Cujus progenies relicta fuerat in Tornaco, obeunte beato Eligio, nondum christianis legibus imbuta, sed omnibus excultoribus valde infesta; quia manebant secus ecclesiam ab ipso sancto Eligio constructam in vico, qui ex nomine eorum usque in praesentem diem Thuram nuncupatur. Interdixit abbati ne apud fratres suos qui inter Turnos commanebant rediret, quum pro assertionem verae fidei occidendus esset ab eis. Quod et factum est, ut praemisimus. His itaque testimoniis assumptis, quae aut scriptis aut successionibus cognovimus, fidenter antiquitus hunc locum abbatiam fuisse confirmamus. Neque tam praeclara testimonia superius relata in vanum usque in praesentem diem conservata fuissent, quanquam profiteamur non omnia notitiae nostrae occurrisset; idem vero auctor noster beatus Eligius, ut in gestis ejus legitur simili modo, in pago Medenatensi municipii Tornacensis, quod vocatur Siclinium, tumulavit beatum Piatonem martyrem, ecclesiam jam a passione ejusdem martyris constructam, juxta facultatem virium suarum amplificans, Dei se omnipotentis

comitante auxilio ac officia Domino famulantium clericorum constituens, sicut usque in praesentiarum cernimus. Sed nos Sicliniensibus augmentationes finium suorum monumentis tradere relinquentes, ad narrandum modum ultimae desolationis civitatis Tornacensis, calamum temperemus¹, per quam profligatas ecclesias finitimas, et nostram variis eventibus exigentibus ex toto deletam fuisse lector ex sequentibus reperiet. — Explicit prologus de prima constructione ecclesiae B. Martini.

CAPUT II.

Incipit narratio ultimae desolationis civitatis Tornacensis et B. Martini, a Normannis perpetratae.

Percepta² itaque cognitione fidei Domini nostri Jesu Christi a beato Piato, anno fere CCC° ab incarnatione Domini, cessante etiam persecutione atrocissima quam Diocletianus in Oriente et Maximianus Hercules in Occidente exercuerant, sub qua idem martyr passus fuerat, fundatis quoque ecclesiis B. Mariae sanctique Martini atque in deifica pace proficientibus, tam in interioribus quam in exterioribus coeperunt plebes Tornacenses crescere nomine, multiplicari propagine, dilatari possessione, gloriari vanitate, jucundari prosperitate, epulari delicate propriisque delectationibus frui per annos dictos minus xviiiij, id est usque ad annum Dominicum DCCCLXXXI, quibus deliciis non tantum feliciter usi quantum infeliciter decepti sunt. Ex vitiis namque concupiscentiae veram religionem neglexerunt, Deum offenderunt, ejusque iram incurrerunt, cum subito eisdem prosperatis temporibus animositatem dirissimarum gentium Deus commovit, viam offensionis suae contra populos diversarum gentium vindicaturus. Tuncque multitudo Normannorum properans truculenter, ut anno Dominicae incarnationis CCCCLIII Wandalos fecisse legimus, temporibus sanctissimi Nichasii, Merovaeo regnante super Francos, subvertit munitiones multarum urbium, gladioque et igni interemptis utriusque sexus progenitoribus cum filiis, ac per xxx fere annos Galliam depopulare insistens. Tornacensis quoque civitatis inter caetera facinora sua destruxerunt

¹ Finis § 47 Herimanni, pag. 905.

² Herimanni § 48.

muros, et aedificia depopulati sunt, cives et populos, desolatae sunt possessiones et suppellectilia universa cum ecclesiis finitimis, et inhabitabilem penitus reddiderunt: quod qualiter factum sit mandare scriptis notificare posteris de crevimus, quantum ex scriptis chronographorum vel dictis modernorum colligere possumus ¹.

In chronographia Sigeberti, monachi ² Gemblacensis, reperitur quod Normanni, adjunctis sibi Danis, anno Domini DCCCLXXXI, Franciam et Lotharingiam pervagantes, Attrebatis, Ambianis, Corbeiam, Cameracum, Taruennam, fines Menapiorum, Brabantensium, omnemque circa Scaldum flumen terram, Tornacum scilicet et ejus confinia, Gandavum, Curtracum, abbatiam S. Amandi Helnonensis, in Condato supra ripam Scaldi sedem sibi ponentes, primo anno episcopatus Heidilonis, Tornacensium episcopi, monasterium SS. Walarici et Richarii, Leodium, Trajectum, Tungris, Coloniam, Bunnam cum adjacentibus castellis, Aquis, oppidum et palatium, monasterium Stabulum, Malmundarium, Indam, Prumam, Treverim, Metim ferro et igni devastaverint. Qua tempestate Tornacum sedes episcopalis erat, et per trecentos annos transactos minus xvj ipsam dignitatem comprobatur obtinuisse, quia ab anno Domini CCCCLXXXIV sanctus Eleutherius pontificatum illius rexit, et ante paucis diebus praefuit Theodorus, de quo nec ortus, nec ordinatio, aut quantum temporis praefuerit scitur, sed tantum quod spiculo divino, id est, ictu tonitruum interemptus sit, memoratur. In hac depopulatione legimus omnem terram circa Scaldum fluvium eversam fuisse³. Qua terra nulla melius, nulla alia congruentius accipitur quam Tornacum, quae non solum secus Scaldum sita est, sed et ipse fluvius per medium ejus nando means atque influendo decurrens, ex utraque parte refertus esse cernitur habitatoribus. Hinc inde populosam habens habitantium frequentiam, immerito quasi proprio nomine appellatur circa Scaldum sita. Municipia vero ipsi civitati vel Scaldo contigua nominatim ponuntur, videlicet Gandavum, Curtracum et abbatia S. Amandi.

Exstat ⁴ et alia chronographia de hac infestatione normannica, proprie composita a quodam monacho Marchinensi, qui supradictae testimonium dat, nominatenus scribens Tornacum tunc depopulatum esse et ad nihilum re-

¹ Finis § 48 Herimanni.

² Herim. § 49.

Tom. II.

³ Finis § 50 Herimanni.

⁴ Herimannus, § 50.

dactum fuisse, addens quod Emmo, Tornacensis pontifex, a Normannis interfectus sit, anno Domini DCCCLX, ante hanc devastationem xxj annis. In quo opere idem digestor temporum praeclaro stylo digerit bella ac praelia, quae Normanni ob insatiabilem sitim fundendi humanum sanguinem habuerunt, adversus Remenses, Parisienses, Aurelianenses atque Compendiosos viriliter decertando ¹.

Unde satis mirantur Tornacenses, quod nullis scriptorum monumentis declarentur casus et eventus, quos tunc protulerunt. Sed hac de causa puto factum esse. In ipsa sua translatione atque exterminatione, qui Noviomum translati sunt, ut post ostendemus, malis et rapinis atque calamitatibus oppressi, quippe qui locum et gentem perdebant, manum ad scribendum minime appulerunt, aut si ab aliquibus scripto mandata sunt, forte illi non redierunt ad propria, sed in ipsa sua translatione vita decesserunt, sicque scripta eorum in exterorum dominium devenerunt et per incuriam deperierunt, ita ut usque in hodiernum diem minime visa referantur. Cives vero quamplurimarum urbium, causa evadendi hanc persecutionem, ad vicinas civitates cum suis omnibus se contulerunt, quas ab illa devastatione minime occupatas esse arbitrabantur. Ecclesiarum quoque rectores se et sancta pignora quae habebant, et quaeque ecclesiis in posterum profutura sperabant, asportaverunt, sicuti sunt chirographa possessionum, bibliothecae et caetera ornamenta ecclesiarum. Sciebant enim Dominum praecepisse: « Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam; » idque ipsum opere implevisse tenebant, qui sciens suam mortem ab Herode jamjamque invenire, fugit in Aegyptum. Quo opere atque praecepto commoniti, praesul Tornacensis Heidilo cum clero et plebe universa ad Noviomum civitatem se contulerunt, sanctuaria ecclesiae et ecclesiastica quaeque secum asportantes ibi reposuerunt, nullam aliam urbem utiliolem, nullos alios cives sibi fore clementiores aestimantes, quippe qui uno praesule imbuebatur una chrismatis gratia insigniebatur ex magna jam temporis antiquitate. Celebre autem habemus per xxx annos illic eos mansisse. Quo tempore qualiter se habuerint ex subjectis docemur. De quibusdam enim notificatum est, quod paucis evolutis diebus cum probi moribus essent et in arte negotiandi non parum vigerent, non immerito gratiam principum terrae acquisierunt. Factumque est ut uxores inducerent,

¹ Finis § 50 Herimanni.

praedia et possessiones cum eis accipientes, potius augere malentes quam dissipare seu minuere. Sicque terrae nativitatibus suae scilicet Tornaci obliti, solum terram incolatus et peregrinationis suae habitabilem et proficuum fecerunt, in qua bonis repleti, possessionibus amplificati, substantiisque ditati remanserunt. Ibi enim usque in praesens tempus posteritas eorum recognoscitur ab illorum progeniis qui remanserunt, sui quoque invicem congaudentes cognatos se esse mutuo fatentur. Tunc¹ monachi B. Martini ejusdem civitatis dispersi unusquisque per loca opportuna, in quibus se commodius acturos vel amplius profuturos sperabant, et locum proprium civesque, quorum tutamine dudum protecti fuerant, auxilio roborati, beneficio amplificati, relinquentes: pars quaedam eorum, quibus devotio major in Dominum et mens sanior inerat, ad abbatiam quae erat in episcopatu Parisiensi sita, in oppidum Ferrarias nominatum dimiserunt, deferentes secum de suppellectili ecclesiae suae pauca quaedam vel quae utiliora sibi fore arbitrati sunt. Cum quo specialiter fuisse chirographum villae cujusdam religionis, quae dicitur *Supas*, indicium supra relatis deprehendimus, anno fere XX^o secundae restorationis. Habebant enim in proximo, quasi in spatio duarum leucarum, eandem villam amplis possessionibus dilatata, redditus copiosos reddentem. Ad quam idcirco dimiserunt ut ex eis redditibus opportunius sustentarentur, ipsisque custodiendis vigilantius insisterent, quatinus usibus suis valentiores existere possent. Quam quomodo possederint, quia superius diximus, hic recapitulare superfluum duximus. Congregationi vero illi idcirco se sociaverunt, ut vota labiorum suorum, observantiam scilicet regulae quam Deo et beato confessori ejus Martino se noverant devovisse, quia in loco quo quidem potuerunt promittere, nequaquam valebant persolvere, saltem in alio loco regularium praeceptorum integra observatione recompensarent². Quo tempore³ credimus factum fuisse ut dentem beati Martini, cum scriptis supra declaratis et quibusdam utensilibus hujus ecclesiae, usurparent canonici B. Mariae. Quaedam vero quae deferre non potuerunt, sub terra circa ambitum ecclesiae absconderunt, sicut usque in praesentem diem dicitur, unde et ille thesaurus, qui ad caput capellae S. Mariae ostensus est in somnis cuidam clerico, nomine Bernardo, filio Vitalis, de quo in secunda restoratione dicemus, quem multi

¹ Herimannus, § 51 et in medio.

³ Herimannus, § 52.

² Finis § 51 Herimanni.

nostrum noverunt, de hac ecclesia creditur fuisse. Vidit enim assistere sibi quamdam puellam facie decoram, crinibus crinitis comptam, compositis vestibus ornatam, et dicentem: « Respice feretra, cruces, textus, philacteria, aliaque ornamenta ecclesiae quae ad solem defero. » Quae omnia cum ille diutius intuitus esset, adjecit puella et ait: « Vide ut nemini dicas haec tibi fuisse ostensa, quoniam si dixeris et mandatum meum praeterieris, infra xxx dies morieris. » Statim ille evigilans prae nimia cordis exhilaratione quae viderat silentio tegere nequivit, sed plenissime enarrans secundum verba puellae ante diem xxx obiit, ita ut cum vespere sanus dormitum iret, mane inventus esset mortuus. Sed quia thesaurum revelatum necdum videmus, somnium ejus verum fuisse non confirmamus. Tamen, ad hoc quod ad diem xxx non pervenit, falsum omnino non fuisse quod sonuit, claret. Forte enim nondum venit tempus eum revelandi, aut nondum cui repositum est advenit. Fuerit ergo necne quod ei ostensum est, nos tamen frequenti relatione antecessorum nostrorum didicimus copiosos thesauros circa ambitum ecclesiae repositos haberi. Loca quoque ubi conservantur nostris temporibus quibusdam per somnia revelata sunt, e quibus una matronarum exstitit, Hersendis nomine, quae duo loca nobis designavit, dicens demonstratum sibi fuisse in uno puteum haberi atque in altero thesaurum conservari. Puteum quaesivimus in loco designato, et invenimus nimium perspicuam aquam habentem. In quo et reperimus vasa quaedam aerea usibus ecclesiae satis congrua. Locum vero thesauri in proximo versus occidentalem plagam designato nondum effodimus, ideoque, si aliquid veritatis in eo contineatur, ignoramus ¹. In ecclesia B. Mariae in urbe Tornacensi constructa, quaedam nola nimium clare sonans cum caeteris campanis diu permansit, quam in hoc territorio inventam fuisse plures ex nostris testificantur. Sed de nostris dixisse sufficiat nec de contra.... ² referamus. In ³ praefata persecutione beatus Piatas Sicliniensis asportatus est Carnotum, ubi priusquam Tornacum veniret Christi nomen praedicaverat. Sed illis praedicationem ejus non recipientibus, Tornacum petiit atque fidem Domini nostri Jesu Christi defendit. De cujus corpore usque ad nostra tempora litigatio grandis existit, dicentibus nobis Siclinii relatum esse ad loca passionis suae, Karnotensibus vero e con-

¹ Finis § 52 Herimanni.

² Deest verbum in Codice.

³ Herimannus, § 53.

trario affirmantibus usque in praesentem diem apud se reservari. Ad quam litem sedandam fateri necesse est quod a majoribus nostris accepimus, ut, scilicet relato apud nos corpore, pars aliqua ibi credenda sit remansisse. Apud Siclinium enim detecta archa qua corpus martyris servabatur, anno Dominicae incarnationis MCXLVII, populo demonstratus est, de cuius corpore dentem suscipere meruerunt monachi S. Martini Tornacensis. Deinde pristino loco restitutus magna cum custodia servatur, gaudetque ecclesia Siclinii martyris praesentia se non esse destitutam ¹. Nostris enim temporibus in eadem miraculum a beato Martyre patratum cognovimus, in quo praesentiam suam patefecit, et omnibus se vocare volentibus fiduciam exhibuit. Quod nobis retulit dominus Walterus, abbas S. Martini Tornacensis, quo praesente res gesta est, nosque posteris transmittimus; dicebat enim ² quod cum esset primevae aetatis, in populo saeviebat pestis illa quae vulgo dicitur igitaria ³, ita ut quosdam non solum membris privaret sed et vitam eis auferret. E quibus multi ad beati martyris basilicam Siclinii constitutam manibus sunt delati. Hinc ecclesia clamoribus turbatur, Deique auxilium et martyris suffragium ab omnibus imploratur. In feretro autem, quo conservabantur beati martyris reliquiae, sculptae erant decem virgines evangelicae, quinque videlicet prudentes et quinque fatuae. Hae itaque omnes affectum martyris ostendentes, miserorum doloribus condolentes et Domini voluntatem exsequentes, ita flebant ut crederentur sensibiles. In quo facto summae virtutis potentia et beati martyris Piatonis claruit praesentia, qui sicut, dum in corpore viveret et populos ad fidem christianam cohortaretur, non solum lacrymarum copiam sed proprium ad extremum pro iis fudit sanguinem, ita tunc affectus magnitudinem per subjectas demonstravit imagines. Ex oculis namque prudentium guttae sanguinis emanabant, ex oculis autem aliarum lacrymae velut aquae fluebant. Post hoc autem miraculum divinum auxilium et martyris solatium infirmi persentiunt, et qui mori putabantur sanitati redonantur. His de praesentia corporis beati Piatonis dictis, ad loca desolata redeamus ⁴. Eodem tempore sanctus Amandus Helnonensis, cum quibusdam supellectilibus a monachis delatus est Parisius in ecclesia B. Germani, ubi persecutionis tempore requieverunt. Sed demum pace ecclesiis reddita, ipsi nihilominus pro-

¹ Finis § 5.

² Herimannus, § 54.

³ Apud d'Achéry : ignis (inferni).

⁴ Finis § 54 Herimanni.

pria repedaverunt ad loca ; pro expensis vero a se ibi necessario consumptis , talionem reliquerunt , crucem scilicet pretiosam et volumina praeclara , quae hodie usque demonstrantur , notamina habentes praefixa libri S. Amandi Helnonensis. Tunc quoque corpus sancti Vedasti Attrebatensis Belvacum asportatur et sanctus Amatus Duacensis Suessionis defertur. Quia vero ordinem desolationis civitatis Tornacensis digessimus , quomodo muris et aedificiis restaurari et rehabitari denuo a populis coeperit , cessante eadem persecutione subjiciamus.—Explicit desolatio.

CAPUT III.

Incipit restauratio urbis.

Quum autem huic desolationi Deo finem imponere placuisset et dispersos in terram suam revocare voluisset , Tornacenses scilicet in proprium solum , continuo nonnulli et quilibet unanimiter adunati Noviomum reliquerunt atque Tornacum remeaverunt. Inter quos dicuntur quatuor fuisse caeteris praestantiores atque ditiores , qui urbem Tornacensem sibi aequis partibus dividentes inferiores quosque tributarios atque vernulas suos constituerunt. Ut autem fama ad nos volitante prolatum est , unus ex ipsis vocatus est Algerus , cognomento Mulsus , ideo quod prae nimia senectute sanies ab auribus ejus efflueret , pilique super easdem tam grandes crevissent , ut eos simul retrorsum ligare potuisset. Qui secedens circa sanctum Piatum partes illas sibi usurpavit. Secundus autem circa sanctum Petrum divisionem suam obtinuisse dicitur. Tertius circa maulum et forum civitatis. Quartus ad salinas et juxta castellum partem suam vindicavit. Horum trium nomina a memoria exciderunt , de singulis vero usque in praesens tempus , qui est annus Dominicae Incarnationis MCXLVI , posteritates et familiae ferebantur esse , a quibus praedictae partes civitates iterum divisae in plurimorum dominium devenerunt. Cum his quatuor , quidam etiam strenuissimus princeps repatriavit , cujus genealogia hodieque manet apud ruinam ingenuos homines habens. Qui sibi totius religionis usurpans dominium , utpote quia nemo erat qui posset resistere , praedia et possessiones finitimas juri suo mancipavit , universosque comprovinciales sibi favorabiliter subjugavit. Cujus patrocinio et auxilio aliquantulum roborati ruinas civitatis paulisper relevare coeperunt.

Veruntamen antiquis aedificiis illam minime aequiparare potuerunt, quia illa a regibus romanis, thesauros et sumptus copiosos possidentibus, fundata erant. Isti vero prorsus nihil habentes, quippe qui haereditariis possessionibus exhaereditati erant, non solum illam ampliari, sed nec ad pristinum statum potuerunt reintegrare. Tunc quoque aliqui ex clero B. Mariae, in arcem ejusdem civitatis atque sedis episcopalis sitae, ad propria remearunt, suppellectilem suam quam sibi in peregrinatione sociam fecerant referentes, de qua a Noviomensibus plura ablata et dissipata fuisse usque in hodiernum diem conqueruntur. Qui cum rediissent et dissipata cuncta reperissent, non requisierunt viriliter possessiones suas neque restaurantes ruinas earum relevaverunt. Fuerunt enim contemptibiles personae genere ignobiles, virtute omnipotentes¹, et non potuerunt resistere bona sua diripientibus. Praedictis vero quatuor potentibus et incolis qui simul redierunt, illas invadere permiserunt, aliquod lucrum vel commodum idem accipientes, unde praesentem penuriam relevarent. Quaedam vero beneficia haereditarie ad redditum dederunt, sicuti sunt molendina Walteri Blondi, pro quibus singulis annis xxx solidi eis persolvuntur. Nonnullas quoque terras arabiles citra Tornacum rustici de eis tenent, quarum terragia et redditus per singulas praebendas distributi sunt. Nec isto modo exhaereditari ecclesiam doluerunt, sed sibimet ipsis duntaxat providentes, omnem terram supranominatam inter *Ries* et Mairam jacentem, molendina quoque Scaldi disperdiderunt, ita ut de his omnibus quae quondam ex integro sua fuerunt, modo non nisi parvissimos census habeant. Sed civium repatriationem prosequentes a calamitatibus nostrum longius digressi sumus, redeamus ergo ad ipsos, expleto prolixo itinere civium, et quid egerint cessante persecutione referamus. Justo Dei judicio desolationem civitatis et loci accidisse intellexerunt, quapropter cum filiis Dei potius se macerari temporaliter flagello paternae corruptionis eligentes, quam suppliciiis deputari aeternis iudicio districtae examinationis: illud oraculum propheticum per annos promulgatum in consolatione sua, quasi sibi dictum reputaverunt. Tantummodo vos cognovi, dicit Dominus, ex omnibus nationibus terrae, idcirco visitavi super vos omnes iniquitates vestras; et Johannes in Apocalypso. « Ego quos amo, etc. » Quibus exhortationibus animati eo se filios Dei esse senserunt, quia illos per persecutionis flagella castigabat. Nisi

¹ Forte legendum *impotentes*.

enim correptis haereditatem dare disponderet, eos per molestias non curaret, aspiciabant enim in remunerationem. Quorum promissionum spe roborati, cum essent dispersi per amplissima mundi spatia, bonis quoque quae ubique reperierunt jucundati. et consuetudine locorum quae invenerunt contenti, ut multorum verba testantur, loca sua, prius desiderabilia nunc in planitiem deducta, ulterius repetere neglexerunt, neque laborem ipsas ruinas relevandi assumere voluerunt, sed illis in locis quo confugerunt praesentem vitam terminaverunt, possessiones suas haereditarias pro beneficiis acceptis eisdem locis perpetua donatione tradentes. Nonnulla vero pro penuria et incommoditate necessitatum suarum vendiderunt, accepto pretio, quaedam vero tutore et defensore carentes in dominium laïcarum potestatum transierunt, sicuti est villa Supas supra memorata, quam nunc tenent milites. Illa quoque quae circa Tornacensem regionem habuerunt, invaserunt potentes hujus regionis: de qua possessione et episcopus Fulcerus longo post tempore existens, id est anno LXXI, terras de circuitu ecclesiae, et supra quas nunc restaurata est ecclesia, quam sine defensione reperit, absque alicujus contradictione usurpavit, militibusque Noviomensibus distribuit. His itaque digestis, secundum quod a patribus nostris accepimus, si cui incredibilia videntur, recolat incommoditates, quas propter possessiones detinendas hodie plerumque perpetimur, et facile fidem iis adhibere poterit. Cum enim nostri utilitatem volumus, insurgunt calumniatores, raptores, et qui nostra juri suo mancipare contendunt. Quibus resistere per nos utique non valemus, sed iudices saecularium potestatum expetere et ab ipsis justitiam quaerere opus. Quos cum requirimus. donativa etiam non minima tribuentes pro justitia obtinenda, pro tuitione et defensione nostrorum, aut vix aut nullo modo obtinemus, sed quibusdam verbis suasoriis nos delinientes, ipsos nostros molestatores plerumque contra nos et jus nostrum videntur tueri. Quorum ignaviam sentientes, nos aliud facere non valentes, per desidiam saepe negligimus ne iteratis querelis eos ulterius repetere velimus, unde factum est ut locus quondam amoenus monachorum sub regula et abbate servientium, caeteris populosus possessionibus, amplificatus nomine, dilatatus sanitate et religione famosissimus, anno Dominicae incarnationis DCCCLXXXI, sicut per successionis seriem fama usque ad nos manavit, a Normannis modo miserabili pessumdatum sit cum tota civitate Tornacensi, quae una ex nobilissimis Galliae Belgicae civitatibus dinoscitur esse, ac inhabitabilis effectus per tempora ducentorum et xj an-

norum, id est usque ad annum Dominicum MXCII, quo restorationis suae sumpsit exordium. Cujus restorationis series a quodam monacho ejusdem coenobii, nomine Herimanno, clare et luculenter monumentis litterarum tradita apud nos habetur. Qui in principio restorationis ad conversionem veniens cum patre et matre tribusque germanis locum istum de paternis possessionibus copiose ditaverunt. Ipse etiam tertius locum regiminis tenuit, et usque ad senilem suam aetatem et restorationis annum lx vivens, cuncta quae suis temporibus in eodem coenobio acciderunt memoriae dignum claro stylo digessit. In quo opere nonnulla gesta comitum Flandrensium tunc temporis terram tenentium inseruit. Quae nos propter nimiam verborum copiam omitentes de ejus facunda narratione illa tamen excerpimus, quae ad restorationem videbantur pertinere et huic operi inseruimus, ut quibus opus illud onerosum est propter sui enormitatem, istud fiat gratum compendiose digestum.—Explicit ultima restauratio urbis.

CAPUT IV.

Incipit prologus in restauratione coenobii S. Martini.

Dilectissimis ¹ dominis, patribus, fratribus et filiis universis B. Martini Tornacensis coenobii monachis, frater Herimannus, ultimus eorum servulus, super flumina Babylonis supernae Sion jugiter recordari. Pro dilectione quam mihi ab infantia mea exhibuistis, Deo et omnibus vobis gratias refero, utque vobis ipse Dominus retribuatur, ejus misericordiam exoro. Quia vero nonnulli vestrum multoties a me petierunt, ut modum constructionis sive restorationis ecclesiae nostrae litteris mandando tam futuris quam praesentibus notificarem, ecce petitioni eorum libenter satisfacere volo, sciens priorum notitiam plerumque posteris profuisse, eorumque ignorantiam saepenumero non parvum detrimentum intulisse. Nostis autem ex quo adolescentulus fui me idem facere voluisse et etiam tabulis aliqua impressisse, sed dum considerarem primos ecclesiae nostrae inceptores adhuc vivere, adulationis notam timuisse, si eorum actus viventibus ipsis viderer scribere, sicque ea quae inceperam delevisse. Nunc vero quia jam duobus primis defunctis,

¹ Initium narrationis Herimanni, in *Spicilegio*, tom. II, pag. 888.

ego tertius abbas successi, ac de prioribus monachis aut nullum aut paucos superstites video, simul etiam jam quinquagesimum annum restorationis nostrae transiisse non ignoro, ecce securior petitioni vestrae possum acquiescere. Si enim ulterius differam, tempore praetereunte, multa possunt paulatim oblivioni tradi, quae necesse fuisset describi. Sed hoc praemisisse sufficiat, nunc subjungatur relatio.

Francorum ¹ regni sceptrum gerente Philippo, filio Henrici, filii Roberti, filii Hugonis Capeti, qui reges de stirpe inclyti Karoli de regno expulit et principatum obtinuit, fuit quidam clericus Aurelianensi oriundus civitate, patre Gerardo matreque Cecilia exortus, nomine Odo. Hic a pueritia studiis litterarum instanter intentus, infra tempus adolescentiae tantum scientiae est adeptus, ut nemini sui temporis Francigenarum in ea judicaretur secundus. Unde magistri potius quam discipuli nomine dignior habitus, primo in urbe Tullensi scholasticos docuit, deinde a canonicis B. Mariae Tornacensis evocatus scholae eorum magister constituitur. Quam fere per quinquennium regens, adeo sui nominis opinionem dilatavit, ut non solum ex Francia vel Flandria seu Normannia atque Burgundia, verum ex ipsa quoque longe remota Italia atque Saxonia clericorum catervae diversorum ad eum audiendum quotidie confluerent, ita ut si civitatis plateas circuiens greges disputantium conspiceres, cives omnes relictis aliis operibus soli philosophiae deditos crederes. Jam vero si scholae appropriares, cerneres magistrum Odonem nunc quidem peripateticorum more cum discipulis docendo deambulantem, nunc stoïcorum more residentem, et diversas quaestiones solventem, vespertinis quoque horis ante januas ecclesiae usque in profundam noctem disputantem et astrorum cursus digiti protensione discipulis ostendentem, zodiacique seu lactei circuli diversitates demonstrantem. A quibus cum plurima ei darentur, unus inter caeteros annulum ei dedit aureum, in quo hic versiculus erat sculptus :

Annulus Odonem decet aureus Aureliensem.

Sed cum omnium septem liberalium artium esset peritus, praecipue tamen in dialectica eminebat, et pro ipsa maxime clericorum frequentia eum expetebat. Scripsit etiam de ipsa duos libellos, quorum priorem, ad cognoscenda devitandaque sophismata valde utilem, intitulavit *Sophisten*, alterum appel-

¹ Incipit parag. 1.

lavit *Librum complexionum*. Tertium quoque *de Re et Ente* composuit. In his tribus libellis, sed et in caeteris opusculis suis, non se Odonem, sed sicut tunc ab omnibus vocabatur, nominat Odardum. Cum¹ ergo magister Odardus pro scientia sua ubique laudaretur, tanta nihilominus in eo religionis pollebat dignitas, ut non minus pro ipsa ab omnibus undique celebris et famosus haberetur. Quum enim praecedentem et ad ecclesiam tendentem ducentorum fere clericorum cohortem, ultimus ipse suo more subsequebatur, vix in aliquo districtissimo monachorum coenobio majorem invenire potuisses religionem. Nullus enim socio colloqui, nullus ridere, neque dextera laevaue vel modicum oculos praesumebat deflectere. Ubi vero in chorum ventum esset, superflue aliquis distractionis causa alium Cluniacum quaesisset. De frequentationibus porro feminarum, de criminum seu vestium incompositione vel similibus, quae hodie passim exerceri videmus, abusione, supervacuum est aliquid dicere; quoniam hujusmodi pestes sine dubio aut schola pepulisset, aut scholae magisterium ipse reliquisset. Tanti praeterea rigoris erat, ut nullum omnino laicum ingredi claustrum hora legendi permitteret. Nam cum ante ejus adventum milites et cives ad audiendas et determinandas forenses causas, ex consuetudine claustrum canonicorum abuti soliti essent, ita jam eos omnes penitus exinde eliminaverat, ut ne ipsum quidem Everardum, potentissimum ejusdem urbis castellanum, qui castellum Moritaniae antea prorsus inexpugnabile eodem tempore militari strenuitate violenter captum dominio Tornacensi addiderat, pro hujusmodi causis nec ad horam quidem in eo residere permitteret, licet eum exinde non parum offendi sciret. Nihil enim minus quam injustas divitum vel potentium iras pertimescebat, magnumque dedecus viri sapientis esse dicebat, si pro favore vel gratia principum vel modicum a tramite rectitudinis declinet. Pro talibus ergo moribus non solum a canonicis, verum ab ipso Rabbodo, tunc temporis ejusdem urbis venerabili episcopo, cunctisque civibus valde diligebatur, meritoque honorabatur. Sed jam de his quae in scholis gessit haec dixisse sufficiat, nunc ad ejus conversionis veniamus exordia. Cum² scholae Tornacensi fere per quinquennium praefuisset, oblatus est ei a quodam clerico venalis liber beati Augustini, *de libero Arbitrio* quem magister ob solum bibliothecae suae comparans supplementum, in scrinio cum caeteris libris

¹ Incipit parag. 5.

² Incipit parag. 4.

projecit, utpote qui adhuc mundanae sapientiae deditus magis delectabatur lectione Platonis quam Augustini. Cum ergo per duos fere menses Boëtium *de Consolatione philosophiae*, discipulis legens, ad quartum librum, in quo de libero arbitrio disserit, pervenisset, recordatus empti libri, cogitansque si quid dignum memoria in eo posset inveniri, quem de eadem materia constabat intitulari, vocato ministro suo jussit sibi eum deferri. Allatum itaque aperiens et duas vel tres paginas legens, paulatim coepit eloquii venustate delectari, protinusque convocatis clericis utpote omnis expertus invidiae, et inventi thesauri volens eos participes esse: « Vere, inquit, hactenus ignoravi Augustinum tantae tamque delectabilis fuisse facundiae. » Dixit, statimque librum ipsum a capite incipiens non solum tunc, sed et sequenti die coepit eis studiose legere, et in locis obscurioribus diligenter exponere. Cum ecce legendo ad tertium librum pervenitur, in quo praefatus doctor servo pro criminibus suis de priori dignitate pulso, et mundandae cloacae deputato comparat peccatrices animas, quae coelestem quidem gloriam pro sceleribus suis perdunt, hunc vero mundum cloacae foetidae similem quodammodo decorant quamdiu in eo vivunt. Hanc ergo sententiam audientibus discipulis cum legisset, tactus nimio dolore cordis intrinsecus et ex imo pectore trahens alta suspiria: « Heus! inquit, quam fortiter ista nos premit sententia! Haec revera tam proprie mihi videtur nobis congruere ac si propter nos solummodo fuerit scripta. » His dictis surrexit, totusque lacrymis perfusus ecclesiam intravit. Tota subito schola turbatur, canonicorum etiam conventus admiratione nimia concutitur. Post haec ergo paulatim coepit sese scholis absentare, ecclesiam plus solito frequentare, pecuniam congregatam pauperibus erogare, jejuniorum rigorem attentare, ita ut multoties panem pugno includens, et quod exterius eminebat cultello praecidens, non plus ad comedendum retineret, quam in pugno remansisset; et ecce homo quondam lactei candoris corpulentique nitoris, subito jejuniorum maceratione attritus, in tantum macer et tenuis ossibusque prominentibus siccus, et exilis intra paucos dies redditus est, ut ab his qui eum videre consueverant quasi in virum alterum mutatus putaretur, vixque jam a multis cognosceretur. Fama protinus circumvolat per totam regionem quantocius seculo renuntiaturum magistrum Odonem, unde quatuor ex ejus clericis ipsum sequentes eique adhaerentes, promittunt ei quocumque iret, se eum fore secuturos, et ab eo responsum accipiunt, quod nihil faceret absque eorum communi assensu. Hos autem his nominibus appellatos fuisse accepimus:

Gerbertus, Rodulphus, Willelmus, qui X kalendas Maii praesentem vitam terminavit. Obitus domini Odonis XIV¹ kalendas Julii celebratur. Lamfridus quartus² eorum socius fuga lapsus periit. Protinus abbates totius provinciae tam monachorum quam canonicorum sigillatim Tornacum adveniunt, magistrumque Odonem ac ejus socios ad suam unusquisque invitat ecclesiam. Clericis vero magistri canonicorum magis quam monachorum ordinem placet assumere, quia et in ecclesiasticis officiis et in quotidiano victu seu vestitu canonici tolerabiliorem ritum ducerent quam monachi. Quamobrem nunc ad montem S. Eligii, nunc vero Gautenias ubi canonici districtioris vitae manebant, visitationis gratia proficiscentes, sollicite explorabant quo loco remanere sibi competentius foret, sed divina dispositio de eis jam aliter ordinaverat³.

Erat⁴ siquidem tunc temporis extra ejusdem urbis portam meridianam modica ecclesiola in honore beati Martini in monte constructa; hanc fama vulgaverat antiquitus abbatiam fuisse, sed tempore persecutionis Normannicae, anno Dominicae incarnationis DCCCLXXXI perpetratae, cum caeteris gallicanis ecclesiis a paganis destructam, ad nihilum devenisse desertamque permanisse per ducentos et XI annos, id est usque ad annum Dominicum MXCII, a quo restorationis suae sumpsit exordium. Ipsa vero ecclesiola ad tantam solitudinem fuerat redacta, ut nullum omnino fieret in ea divinum officium, quoniam nec presbyteri, qui parochiales ejusdem urbis tenebant, in ea missam cantare volebant, utpote nullo superveniente qui eis ibi aliquid offerret. Pauperes solummodo qui nihil penitus habebant, et procul a parochialibus ecclesiis mortui non inventes qui illos ad eas deferret, ad hanc, quia propior erat, deferrebantur, tuncque superveniens presbyter de vicina S. Piatii ecclesia, eos sepeliebat, et si quid forte ab aliquo fideli oblatum fuisset asportabat⁵. Quaedam tamen terrae ejus in provincia remanserant, quae ab omnibus adhuc terrae S. Martini vocabantur, sed in laicorum manus devenerant, qui eas in beneficio de manu episcopi tenebant. Ex iis⁶ unus erat Fastredus, ejus urbis advocatus, qui videns Idam conjugem suam, germanam Theodorici de Avesniis, easdem terras rusticis suis ad inhabitandum distribuentem, corripiens eam dicebat quod male faceret, quum S. Martini terras distribueret alienis, ut postea patuit.

¹ Apud *D'Achery*; XIII.

² Apud eundem: *quintus*.

Finis § 4, Herimanni.

⁴ Herimannus, § 5.

⁵ Finis § 5, Herimanni.

⁶ Herimannus, § 9.

In eadem ¹ etiam urbe Tornacensi duo milites manebant, quorum unus Gualterus, filius Huberti de potentioribus provinciae optimatibus habebatur. Alter vero, nomine Radulphus de *Osmunt*². Hos ergo duos milites quidam juvenis vidit in somnis in ecclesia stantes et antiquas ejus ruinas restaurare molientes. Quod cum evigilans matri suae retulisset, illa protinus respondit dicens: « Crede, fili, eandem ecclesiam Domini misericordia citius restaurandam, hosque duos milites eidem loco multum profuturos: » Quod sic contigit, quia postmodum ambo in eadem ecclesia S. Martini monachi sunt facti.

Cum ³ ergo in Tornacensi regione hujusmodi sermones a diversis pronuntiarentur de ejusdem ecclesiae restauratione, videntes cives magistrum Odonem cum suis IV⁴ clericis secularem vitam velle relinquere, necdumque quo ituri essent deliberasse, dominum Rabbodum episcopum adeunt, et ut eos in eadem ecclesia remanere exhortaretur, deprecant unanimiter. Congaudet episcopus, eisque secreto convocatis petitionem civium innotescit, multaque suasoria superaddit. Quatuor ⁵ clerici respondent, quidquid vellet magister Odo se concessuros: tota summa concessionis in magistri pendet arbitrio. Episcopus proinde preces replicat, utque tanti boni intrepidus inceptor existat, assidue exorat. Sed ille videns ibi non nisi unam ipsamque veterem et semidirutam consistere ecclesiolam, tanti ponderis sarcinam aggredi pavitabat. Egreditur de domo episcopi, nullo certo responso reddito. Nec tamen cessat episcopus iterum iterumque animum ejus ad hoc opus aggrediendum accendere, vidensque se parum proficere, quemdam religiosum presbyterum nomine Gislebertum accersit, qui in eadem regione tunc temporis ac si propheta quilibet honorabatur, quique nunc in ecclesia S. Petri Helnonensis coram altari sepultus quiescit. Hoc ergo sibi juncto, iterum totis viribus animum magistri nititur inflammare, proponens apostoli sententiam: *Quod qui plus laboraverit, plus mercedis accipiet, et quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Tot tantisque sententiarum spiculis tandem magister devictus ad ultimum respondet, se ibidem mansurum, si episcopali privilegio ab omni exactione libera sibi traderetur eadem ecclesiola. Supra modum pontifex exhilaratus canonicorum conventum evocat, utque hoc benigne concederet exorat. Sed illi jam quodammodo futurorum praescii

¹ Herimannus, § 10.

² *Pater auctoris hujus historiae*, ait *D'Achery*.

³ Herimannus, § 11.

⁴ Apud *D'Achery*, V.

⁵ Apud eundem, *quinque*.

conjectores, id omnino concedere denegant, dicentes comprovinciales suos matrem ecclesiam deserturos, et S. Martini monasterium pro inhabitantium religione frequentaturos, sicque se quidem diminuendos, illos vero super se fore augmentandos. Talibus objectionibus cernens episcopus per aliquot dies petitionem suam prolongari, metuensque ne in iis dilationibus magistrum Odonem contingeret alias proficisci, rursus evocans canonicos, ubi vidit preces suas omnes incassum effundi, aliquantulum animo motus: «Eia! inquit, jam in nomine Domini et in virtute obedientiae praecipio vobis, ut dicatis mihi si ecclesiam, quae in manu mea est, et ad vestram communionem nequaquam pertinet, non liceat mihi tradere his qui in ea Deo serviant et ad honorem Dei construere eam studeant.» Tunc illi obedientiae vinculo constricti, scientesque ecclesiam illam in episcopi manu esse, et quod vellet exinde licere ei facere, nec se iudicio canonico aliquid contradicere posse, tandem consilio accepto, dicunt se quod episcopo de ea placeret esse concessuros; ea tamen conditione, ut de parochianis suis absque sua concessione nullum liceret, postquam in seculari vita defunctus esset, ibidem sepeliri. Episcopus itaque magnifice gratulatus, sequenti Dominica, quae fuit in ¹ kalendis Maii, in festo scilicet apostolorum Philippi et Jacobi, congregata maxima processione canonicorum totiusque populi, praefatum magistrum Odonem cum suis quatuor clericis, ad ecclesiam S. Martini deducit, eamque illis liberam et episcopali privilegio confirmatam coram omnibus tradit, sicque eos ibidem sub regula S. Augustini canonice in habitu seculari ² Deo servituros dimisit. Facta vero sunt haec anno Dominicae incarnationis millesimo XC secundo, apostolicae sedi praesidente papa Urbano, Remensi vero archiepiscopo Raynaldo, Tornacensi ac Noviomensi episcopo domino Rabbodo, Francorum regnum regente Philippo; Flandrensium comitatum tenente juniore Roberto, Frisonis filio ³. Recedente ⁴ itaque domino Rabbodo episcopo cum processione, remanserunt pauperi Martino quinque pauperes clerici. Mox vero auxilio civium empta una domo lignea a monacho, qui provisor erat curiae S. Amandi de *Willemel*, et juxta ecclesiola aedificata, paulatim crescere coeperunt, ita ut anno altero adventus eorum jam XVIII fratres ibi invenirentur. Paupertatem tamen non parvam imprimis ibi sustinuerunt, ita ut unde viverent non habe-

¹ Apud Herimannum, § 11, legitur: Sequenti Dominica, quae fuit VI nonas Maii in crastino apostolorum Philippi et Jacobi.

² Apud Herim. *clericali*.

³ Finis § 11 Herim.

⁴ Herimannus, § 37.

rent, sed a quibusdam laïcis reliogiosis sacci publice per urbem quotidie circumferebantur, et ut pauperibus S. Martini succurrerent clamabatur, talique subsidio integro anno transierunt.

Interea¹ quidem adolescens clericus, nomine Alulfus, Sigeri canonicorum S. Mariæ praecentoris filius, relictis secularibus divitiis, sese illis sociavit. Quod ubi patri ejus nuntiatum est, continuo congregatis propinquis suis ad S. Martinum furibundus venit, adolescentem per capillos apprehensum terrae prostratum graviterque caesum, domum reduxit. Sequenti die, adolescens dum putaretur ad ecclesiam S. Mariae ire, furtim se subducens ad S. Martinum rediit, sed rursus a patre suo continuo reducitur, et in compedibus ponitur. Cumque hoc saepius fieret, adolescente scilicet ad S. Martinum quandocumque poterat fugiente, et patre suo protinus eum reducente, contigit Haymericum, Aquicinensem abbatem, Tornacum venisse, ad invisendos et confortandos pauperes illos. Quem cum Odo consuleret quid sibi agendum foret super adolescente illo, qui quotidie a patre suo violenter reducebatur, protinus abbas, ut vir sapiens, competenti comperta occasione in id, quod ante moliebatur, erupit, dicens: « Vere, bone magister, idem vobis non solum de isto juvene, sed etiam de aliis fratribus vestris continget, nisi monachi efficiamini. Juxta urbem enim habitatis et fratres vestri juniores a secularibus clericis suis sociis decepti ad seculum reducentur, quia unus idemque vester et ipsorum est habitus. Si autem monachi essetis, postea de vestris nullum tentarent reducere. Quoniam tamen monachorum niger sit habitus, clericorum vero candidus, tanto horrore clerici habent habitum monachorum, ut quem semel viderint monachum nunquam deinceps dignentur habere socium. Considera etiam quod mollior et remissior sit vita clericorum, etiam regulariter viventium, quippe cum lineis induantur, carnibus frequenter vescantur, festis diebus non nisi ix lectiones legant. Cum ergo tu famosus ubique et celebris habearis et seculo renuntiaveris, si mihi credere velles, magis consulerem tibi clericisque tuis rigidiorem quam remissio-rem expetere ordinem. » His abbatis Aquicinensis persuasionibus magister Odo animatus socios evocat, abbatis consilium narrat, consensumque eorum super hoc expostulat. Protinus dictis ejus consentiunt et ne ab aliquo si differretur averti posset, abbatem praefatum ea nocte ibi manere depos-

¹ Herimannus, § 38.

cunt seque die sequenti monachos futuros promittunt. Crastino igitur summo mane, finito capitulo, ad altare S. Martini duodecim clerici eunt, vestem clericalem deponunt, et monasticam cum benedictione et triduo silentio per manum abbatis Haymerici suscipiunt, ita ut cum matutinas et primam ritu clericali cantassent, jam tertiam et omnes sequentes horas usque in hodiernum diem monachorum more cantaverint. Nec fefellit magistrum boni consilii susceptio. Sigerus siquidem, ille canonicorum praecentor, videns adolescentem filium suum monachum factum, nequaquam illum reducere tentavit, sed ad perseverandum vehementer accendit, imo ipsemet postea nutu Dei compunctus, relictis mundanis divitiis, una cum fratre suo Herimanno, majoris ecclesiae praeposito, cujus longe superius mentionem fecimus, in coenobio nostro factus est monachus; sicque bonum consilium abbatem Haymericum magistro Odoni dedisse patuit ex fine.

Completo itaque triduo silentio, abbas Haymericus monachis quos fecerat, ut jam sibi abbatem eligerent, consuluit. Cumque magister Odo unum de sociis suis, Radulfum scilicet, eligere conaretur, omnes super eum irruentes unanimiter ipsum eligunt, electumque domino Rabbodo episcopo praesentant confirmandum; consecratusque est sequenti dominica Tornaci, in ecclesia S. Mariae, anno tertio conversionis suae. Adolescens vero ille quem praediximus, Alulfus, monachus factus in coenobio nostro, armarii seu cantoris officium xlvij annis tenuit, omnesque libros beati Gregorii saepius relegens, imitatus Paterium, universas tam veteris testamenti quam novi sententias ab eo expositas excerpens, tres exinde codices¹ composuit et quartum de diversis et valde utilibus sententiis superaddidit, eisque Gregorialis nomen indidit, sicque quinquagesimo² conversionis suae anno, in bono proposito vitam terminavit³. Cujus anniversarius est quinto nonas Martii.

Radulfus vero religiosus presbyter⁴, quem dominus Odo facere voluit abbatem, de horis pulsandis sollicitudinem gerebat, et sicut ejusdem officii moris est procuratoribus, in remotiori parte ecclesiae lectulum suum posuerat, non pro custodiendo ecclesiae thesauro, qui nullus adhuc erat, nam nec ca-

¹ Hi codices, ait d' *Achéry*, exstabant in bibliotheca S.-Martini et ad calcem quarti legebatur hoc distichon :

Haec de Gregorii qui traxit opuscula libris,
Gregorii precibus in pace quiescat Alulfus.

TOM. II.

De Alulfo et de Paterio videre licet *Histoire littéraire de la France*, tom. XII, pag. 244-45.

² Apud d' *Achéry*, XLVIII.

³ Herimannus, § 58, ad finem.

⁴ Ibid. § 66.

licem argenteum nec crucem vel textum abbas habere volebat, sed solummodo pro pulsatione vigiliarum diligenter providenda. Cum ergo quadam nocte, sicut idem Radulfus, vir veracissimus, nobis multoties retulit, in lectulo suo recubans, psalmis et orationibus pervigil insisteret, audivit in choro quasi aliquam multitudinem venientem, et modesta voce responsorium illud de sancta Trinitate cantantem: « Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu. » Completo vero responsorio, audivit duos ad altare procedentes et versum responsorii: « Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, » dulcissima et protracta melodia subjungentes, finitoque versu rursus chorum finem responsorii repetiisse sicque siluisse. Cumque aliquoties religiosus ille monachus audiens, domino Odoni abbati et quibusdam senioribus spiritualibus secreta retulisset, omnes in commune dixerunt, se credere quod animae bonorum ibidem quiescentium essent, qui de ecclesiolae illius restauratione Deo gratias agerent.

Itaque Odo, abbas sanctus¹, cum monachis suis instituta et collationes seu vitas patrum assidue legere coepit, et quidquid legissent illico volebant opere adimplere, unde factum est, ut zelum Dei habentes, sed forte non secundum magnam scientiam, tertio adventus sui anno, conqueri inciperent, se non in bono loco remansisse, ubi clamores juvenum, cantilenas puellarum audiebant, quibus ab intentione sua plurimum animus eorum impeditur, desertum potius expetendum, ubi liberius divinae possent vacare meditationi. Haec et his similia per dies singulos invicem conferentes et multoties exinde graviter suspirantes, tandem unanimi accepto consilio, dum quadam nocte solito temperius matutinas decantassent, finitis illis, vestes suas et libros plaustro imponunt, sicque ante mediam noctem ecclesiam vacuam relinquentes, praecedente abbate, omnes nullo sciente homine, quantoties de provincia exire satagunt. Mane vero facto, cum cives ecclesiam S. Martini orationis causa ex more adeuntes, quod gestum fuerat comperissent, illico, quasi urbis interitus immineret, gemere, alter alteri quod audierat cum moerore nuntiare, non se dignos eorum consortio fuisse proclamare, postremo ad ipsam ecclesiam catervatim recurrere, ubi dormierant, ubi comederant, cum lacrymis circuire, universaeque regioni novam quamdam calamitatem superventuram ejulando coeperunt pronuntiare. Ubi vero per sanctimoniales quasdam prope ecclesiam commanentes,

¹ Herim., § 39.

didicerunt eos Noviomum ire, quatinus a domino Rabbodo episcopo, qui tunc ibi commorabatur, abeundi licentiam peterent, protinus evocato domino Everardo castellano, totius regionis illius principe, cunctisque majoribus urbis in unum celeriter congregatis, accepto generali consilio, ad episcopum festinato miserunt, mandantes ei ut nullam spem ulterius ingrediendi Tornacum haberet, si eis licentiam daret. Legatus itaque, equo vehementer caribus fatigato, monachos praevenit, episcopo rem gestam retulit, deinde principis et civium verba subjunxit. Protinus episcopus lacrymis perfusus respondit, « hoc superfluo cives mandasse, quoniam etiamsi ipsi rogarent, ut monachos abire permetteret, ipse nullo modo super hoc eis assensum praeberet. » Continuo ergo in via, qua eos venturos sperabat, ipse explorandi gratia legatum dirigit, eisque propinquantibus in occursum eorum pergit, vidensque eos omnes fere xxx pedites venientes, militibus et clericis suis, ut de equis descenderent et monachos ascendere facerent, praecepit. Monachi vero ascendere nolentes usque ad episcopum perveniunt, et in medio portae Noviomensis urbis pedibus ejus prostrati abeundi licentiam deposcunt. Protinus episcopus cum nimio fletu e contra pedibus eorum prosternitur, et hoc se nullo modo facturum jurejurando profitetur, sicque ad domum suam eos ducens, ac pro tanti laboris levamine triduo secum retinens liberaliterque reficiens, ad ultimum eos obedientiae vinculo constrictos, Tornacum redire coëgit. Quod ubi civibus innotuit, illico quasi post tenebras solem cernebant redeuntem, exultant et procul ab urbe eis occurrere praeparant. Contigit autem eos redire in exaltatione sanctae crucis, quando illam celebrem processionem per circuitum urbis populus faciebat, quae ab episcopo Rabbodo eodem tempore fuerat instituta, pro ignea pestilentia¹, quae divino judicio nimis istam provinciam oppresserat, adeo ut plurimorum membra publice comburi viderentur². Cujus pestis immanitate permotus, supradictus Rabbodus episcopus totius provinciae populum ad S. Mariae ecclesiam congregari fecit, factoque cunctis generali sermone, omnibusque nimium perterritis, plus quam mille juvenum comas totondit, vestesque per terram defluentes et libidini potius quam necessitati servientes praecidit. Deinde universis una sexta feria integra usque ad noctem jejunare, ita ut etiam infantuli nutricum papillas non sugerent, indixit. Praeterea in sequenti sanc-

¹ Herim., ad finem § 59.

² Ibid. § 6.

tae crucis exaltatione universum populum cum sanctorum pignoribus nudis pedibus totam urbem forinsecus processionem faciendo circuire constituit, sicque iram Domini in misericordiam conversam experti sunt cuncti, multis pro ea orationibus et eleemosynis factis. Quae processio in praefata sanctae crucis exaltatione, per ejusdem urbis circuitum usque in hodiernum diem servatur¹, ita ut de circumpositis regionibus nonnunquam ad eam fere centum millia plebis diversi sexus et aetatis congregari videantur, nisi quod jam non nudis pedibus eam faciunt, sed potius milites et juvenes ludos exercent in ea diversarum vanitatum et cursus equorum, plusque ipsa die ibi inveniatur levitatis, quam religionis vel devotionis, plurimis jam pro diurnitate temporis ignorantibus qua necessitate vel causa eadem processio primitus fuerit instituta. Canonici² itaque, qui urbe cum sanctorum pignoribus egressi fuerant in anniversaria processione, ut monachos S. Martini reverti audierunt, cum tota processione fere sexaginta millium hominum, eis obviam pergunt et cum gaudio ad S. Martini ecclesiam eos reducunt. Tuncque³ primum cives Tornacenses, certiores facti de eorum stabilitate, praefatum episcopum adeunt terrarum antiquarum S. Martini, quae quondam destructo coenobio in manu episcopi devenerant, et de manu episcopi advocatus Tornacensis in beneficio tenebat, mentionem faciunt, utque eas S. Martino redderet unanimiter deposcunt. Ea tempestate, Fastredus supra nominatus qui restaurationem hujus nostrae ecclesiae valde desideraverat videre, ab inimicis suis in festo sancti Medardi occisus erat, et Fastredus, filius ejus, ei in advocacione successerat. Quo expulso a patria pro interfectione Tiberti, fratris Theodorici monetarii, de quo in sequentibus plenius dicemus, dedit episcopus Rabbodus⁴ advocacionem ejus cuidam Rodulfo, militi Noviomensi, terrasque S. Martini cum advocacione in beneficio de manu episcopi suscepit. Hunc⁵ itaque Radulphum episcopus secrete convocans, suasoriis verbis ad eleemosynam accendere coepit, et ad ultimum, ut easdem terras monachis illis pauperibus pro anima sua dimitteret, rogavit, et, o indicibilis Sancti Spiritus clementia! inflammatum est illico cor hominis, benigne ad omnia respondit, et sine ulla dilatione terras illas episcopo reddidit; episcopus vero eas privilegii sui auctoritate S. Mar-

¹ Isthac processio etiamnum celebratur. Quotannis dominica praecedente a concionatore annuntiat causa hujusce processionis. (Nota D. D' Achéry.)

² Herim., ad finem, § 59.

³ Ibid., § 40, et passim.

⁴ Ibid., § 59.

⁵ Ibid., § 40, in fine.

tino liberas reddidit ¹, omnem scilicet terram de circuitu ecclesiae, super quam nunc restaurata est et versus Dafflerias dimidiam quadrigam arabilem.

Quum ² ergo dominus Rabbodus has terras nobis reddidisset, veniens in capitulum, consuluit abbati Odoni caeterisque fratribus, ne sibimetipsis ulterius crederent, nec quaecumque in vitis fratrum legebant protinus facere vellent, sed potius aliquod coenobium eligerent, cujus consuetudines servarent. Placet consilium episcopi, eligitur coenobium Aquicinense, quod xv annis ante nostrum fuit constructum, quodque solum tunc temporis in provincia nostra et religionem et consuetudines servabat Cluniacensis coenobii. Dominus itaque Odo abbas abbatem Aquicinensem Haymericum expetit, et quia tam se quam fratres suos monachos ejus esse recognoscebat, utpote ab eo factos et benedictos, ut etiam qualiter vivere debeant, doceat, exorat. Annuit religiosus abbas, statimque de suis monachis in coenobio nostro priores constituens, ac de nostris Aquicinctum secum ducens, libenter nobiscum laborat, et tam ipse quam fratres ejus efficiuntur nobis, in consilio ut patres, in auxilio ut fratres, in famulatu ut servi. Unde prae caeteris comprovincialibus coenobiis majorem semper familiaritatem erga Aquicinenses habuimus, ita ut communia sint omnia nostra tam intrinsecus, quam extrinsecus, et quidquid agimus pro fratribus nostris vivis vel defunctis, hoc pro illis nos agere concesserimus, idemque reciproca vicissitudine ab eis accipiamus.

Exinde ³ coepit ecclesia nostra paulatim cum Dei adjutorio crescere, et multiplicari usque in praesentem diem.

Coeperunt ⁴ interea seculo renuntiantes quamplures utriusque sexus ad ecclesiam nostram conversionis gratia venire, nobisque de facultatibus suis tradere. Prima vero, quantum mihi videtur, ad conversionem venit Ida, illa nobilis matrona, cujus superius mentionem feci, quae fuerat conjux Fastredi advocati, qui magnopere restaurationem ecclesiae nostrae videre desideravit, sed morte praeventus videre nequivit. Haec nobis inter caetera unam domum in urbe, prope S. Petrum et tertiam partem molendini inferioris de Maira donavit, et cum esset nobilissima, nunquam tamen inter alias sanctimoniales nisi ultimae ancillae officium tenere voluit. Haec fuit germana illius nobilis principis Theodorici de Avesniis, qui eodem tempore in propria terra sua coenobium Lesciense a fundamentis construxit, omnibus-

¹ Hucusque e § 40.

² Herim., § 55.

³ Herim., § 40.

⁴ Ib., § 56.

que officinis peractis, monachos ibi posuit, et unde victum et vestitum haberent abundanter providit. Hujus Idae filius Fastradus ¹, cum pluribus annis advocatus Tornacensis fuisset, aegritudine correptus, in nostro coenobio factus est monachus, sicque defunctus. Cujus uxor Richeldis, imitata praefatam Idam, mariti sui matrem, relicto seculo, apud nos sanctimoniam habitum suscepit, et cum esset nobilissima et ditissima, per xx tamen annos nihil omnino superbiae inter alias ostendit, sicque humiliter degens bono fine quievit. Gualterus vero filius ejus, videns patrem suum et matrem apud nos sepultos esse, pro animabus eorum et sua, dedit nobis tertiam partem molendini quod dicitur Tiscelini, super *Ries* fluviolum, et xij bonarios terrae apud Dulciolpetram, et quamdiu vixit quasi pater ecclesiae nostrae ubique fuit.

Nunc ² vero ad priora redeuntes, de illis duobus militibus, Radulfo scilicet et Waltero, quorum longe superius mentionem feci, dicendum est breviterque ostendendum, quod verum fuit illud somnium, quo in ecclesia S. Martini stare et parietes illius renovare visi sunt.

Tempore ³ quo dominus Odo scholam Tornacensem regebat, priusquam ecclesiam S. Martini intraret, deliberavit Radulphus, una cum uxore sua Mainsende, seculum relinquere et monasticam vitam assumere in coenobio S. Amandi, quod Helnonense dicitur, quoniam coenobii nostri necdum mentio aliqua facta fuerat. Sed eodem anno magister Odo seculo renuntiat, et cum clericis suis, sicut supra narravimus, ecclesiam S. Martini intrat. Mainsendis eos frequentat, multoties eis suas eleemosynas transmittens, nullo tamen adhuc intra urbem sciente ea quae cum marito suo agere disposuerat. Quadam ergo dominica, missam eorum auditura et processionem visura cum filio suo Theodorico, parvulo clerico jam fere septenni, ad ecclesiam S. Martini pergit et exspectat donec missa cantata fuit. Puer vero, ea ignorante, se clericis illis conjunxit et cum eis remansit. Finita missa, mulier filium suum inter vicinas requirit nec invenit. Credens vero eum cum pueris ludere, domum revertitur. Parato prandio, puer quaeritur, mater dicit eum secum abiisse ad S. Martinum; nullus adhuc conversionis ejus suspicionem habebat; finito prandio miles equum conscendit, ad domum germani sui Theodorici veniens, tam ibi quam et in caeteris domibus propinquorum suorum, filium suum quaerit et nullum signum de eo audit. Inde ad S. Martinum pergit, abba-

¹ E § 57 desumptum. ² Herim., § 57, in fine. ³ Idem, § 61, in medio, p. 907.

tem Aquicinensem Haimericum cum abbate Odone invenit, puerumque coram eis sedentem et eos audientem conspicit. Militem secum abbates sedere faciunt et de mandatis Dei libenter audientem instruunt. Vespere propinquante miles abeundi licentiam ab abbatibus petit et accipit, filioque suo ut secum domum redeat praecipit. Tunc primum puer voluntatem suam aperiens : « Vos, inquit, si vultis, domum redite, ego enim nunquam amplius domum vestram ingrediar, sed hic cum pauperibus istis remanebo; nec patrem aut matrem me habere cognosco, nisi Deum et sanctum Martinum. » Tunc pater admirans et eum ludendo haec dicere credens : « Veni, inquit, quoniam non haberes hic, quod hac nocte comederes, vel lectum in quo jaceres. » Et puer : « Si non habent, inquit, quod manducent, ego urbem circumiens eleemosynas petitas eis afferam, nocte vero super nudam humum quiescam. » Ridente patre et haec puerilia fore dicente, puerumque violenter reducere volente, tandem abbas Haymericus, vir prudentissimus : « Domine, inquit, Radulfe, si mihi crederetis, puero nullo modo violentiam inferetis; dimittite eum nobis, sufficienter enim una nocte providebimus quae necessaria ei fuerint. Et si quidem ex Deo voluntas ista ei venit, crastina die apparebit; si vero ex infantia, non cogatis eum, etiam sponte domum revertetur. » His auditis pater acquievit, domumque reversus, conjugi suae haec retulit. Protinus illa, genibus flexis, manus et oculos ad coelum levans : « Gratias, inquit, ago Deo meo, quia primogenitum filium meum servitio suo mancipavit. Videtur ergo mihi, Domine, quod Deus vult ut ecclesiolam illam ex facultate nostra aedificemus et hoc signum Dominicae voluntatis habebimus. Si puer in incepto perseveraverit, tunc certi simus verum esse quod dixi. Si vero redierit, tunc aliud vult Deus de nobis. » Mane facto, rursus miles equum conscendit, S. Martinum repetit, puerum in eo quod coeperat constantissime perseverantem repperit. Protinus propinquos suos accersit, filium suum, utpote puerum septennem necdumque legitimae aetatis existentem, S. Martino, coram altari offert et cum eo quatuor molendina, quae super *Ries* fluviolum habebat, confert.

Eodem anno¹ per abbatem Haymericum, sicut supra dictum est, clerici illi monachalem habitum susceperunt, tuncque idem puer Theodoricus cum eis factus est monachus. Cum vero monachi, ut superius relatam est, ab ecclesia discedentes deserta petere voluissent, Theodoricum ibidem relinquere

¹ Herim., § 62.

voluerunt. Sed cum remanere nolisset, nec tamen utpote puer octo annorum, itineris laborem pedes sustinere possent, plaustro eum cum libris suis superposuerunt, sicque secum abduxerunt. Quod ubi Radulfo, adhuc in lecto suo dormienti, summo mane nuntiatum est, illico festinus surgit, ecclesiam S. Mariae petit, canonicorum conventum celeriter convocat, pontinagium eorum, quod violenter eatenus ad censum tenuerat, eis liberum reddit, et de illata violentia veniam petit, voluntatem suam aperit, quod scilicet illico seculum relinqueret et monachos S. Martini, qui discedebant, prosequeretur. His dictis, comitatus clericorum et populi maxima turba domum revertitur, conjugisque suae manum tenens et ad coelum oculos levans: « Domine Deus, inquit, tu mihi dedisti hanc conjugem, et ego ei, te teste, usque in hodiernum diem legitimam servavi fidem, nunc autem pro amore tuo eam relinquo tibi que eam commendo. » Post haec filios suos parvulos, Walterum et Herimannum, sumens et sursum elevans, Deo eos obtulit et commendavit. Quantum ibi omnium luctus prae dulcedine fuit, cum vidissent quartum filium Radulfum adhuc lactentem, cum cunabulo allatum et de cunis a patre extractum, sursum elevatum Deoque commendatum! Statimque, equo conscenso, monachos celeriter sequens, antequam Siclinium venirent, eis se sociavit; prostratusque abbatis Odonis pedibus, ut se comitem peregrinationis suae esse permetteret, postulavit. Admiratus abbas tantum hominis divitis ardorem, monachos, qui secum pedites ibant, convocavit, et de conversione ejus sumens initium exhortationis: « Ecce, inquit, nos monachi aliquid fecisse putabamus, et tamen a seculari Zacheo publicano victi sumus. » Sic ergo cum eis usque Noviomum pergens, episcopo Rabbodo voluntatem suam aperuit. Episcopus vero prae nimia admiratione lacrymas fundens, eumque exosculando, Deo gratias agens, per manum comprehensum in manu abbatis posuit, sicque subjunxit: « Dic nunc, bone abba, cur vis relinquere Tornacum? Parumne te profecisse putas, qui talem peccatorem diabolo abstulisti et Deo cunjuxisti? Revertere ergo laetus et festinus, quoniam revera per hunc Deus lucrabitur alium. » Reversus ergo Tornacum, cum rursus abbatis prostratus pedibus, ut susciperetur, rogaret: « Non te, inquit, abbas suscipiam, donec proberis, secundum regulam sancti Benedicti dicentis: *Probate, Spiritus, si ex Deo sunt.* Vade ergo et publice coram populo victum tuum laborando quaere, aquam ad tabernas portando, ligna caedendo, equorum stabula mundando, et similia, ut opus videris, faciendo. » Exsequitur ille liben-

ter abbatis imperium, omnique rubore procul posito, vilissimis se submittit operibus. Videns haec Mainsendis, quondam uxor ejus, nullo timore terretur, sed adscito Theodorico monetario, mariti sui germano, totius urbis ditissimo, ad sanctum Martinum pergit, filios suos Deo tradit, minimumque cum cuna super altare ponit, non sine lacrymis multorum circumstantium. Theodoricus vero, patruus eorum, misericordia motus, concedente abbate, infantes ad domum suam causa nutriendi deferri facit, multoque tempore secum retinet. Mainsendis vero super altare ducentas marcas argenti ponit, duo molendina super *Constentem*, et reliqua omnia quae sibi maritus suus reliquerat, S. Martino tradit, sicque omnibus spoliata pedibus abbatis prosternitur, orans ut suscipiatur.

Cui abbas: « Opus te, inquit, prius probari. Vade ergo per urbem et victum tuum quaere, nendo, texendo, lanam pectendo, et si forte aliquis tibi vir vel femina integrum panem dare voluerit, non suscipias, sed frusta panis more pauperum eleemosynas petentium concisa. » Exultat femina talibus pasci deliciis, pulsoque rubore, publice eleemosynas petit, matronis quae haec videbant flentibus, et per pedissequas suas copiam panum cum ea ad S. Martinum mittere volentibus. Hujusmodi ergo fuit conversio eorum. Haec sunt vero quae ecclesiae nostrae contulit: Quatuor molendina super *Ries*, quae Scaldo sunt propinquiora. Quintum autem super Scaldum habebat, sed quia, crescente aqua Scaldi, facile ejus redundantia absorbebatur, postmodum illud fecit destrui, stipites tamen in testimonium antiqui molendini jussit relinqui, ob hanc causam, ne quis, futuro tempore, aliquod molendinum sub illis quatuor usque ad Scaldum posset aedificare, quoniam si construeretur, constaret non parvum detrimentum eis per illud posse contingere. Duo etiam molendina super *Constentem* nobis dedit cum adjacenti terra, quae de paterno jure ei provenerat. Molendinum vero unum supra *Marvi* habebat, sed quum primum voluntatem habuit renuntiandi seculo, sicut supra dictum est, S. Amando illud dedit, quia in ejus coenobio quod Helnonense dicitur monachus fieri voluit, quum necdum coenobii nostri mentio aliqua apud homines facta fuerat.

Erat ¹ tunc temporis ejusdem coenobii S. Amandi abbas, nomine Hugo, qui ipsam ecclesiam S. Amandi ante paucos annos casu combustam a fundamentis reaedificans decentissimeque renovans, cum claustro et turribus et

¹ Herim., § 65.
Tom. II.

officinis, sicut hodie cernitur, aedificavit. Hic itaque charitatis dulcedine plenus, videns Radulfum cum uxore et filiis divitem S. Amandi ecclesiam reliquisse et pauperulam S. Martini expetisse, convocatis monachis suis: « Ecce, inquit, fratres dilectissimi, secularis ille miles Radulphus divitiis nostris paupertatem S. Martini pertulit, et in paupere ecclesia monachus fieri voluit. Charitatis itaque viscera nos demonstramus habere, et molendini quod nobis dedit medietatem pauperi ecclesiae S. Martini conferamus, sicque ejusdem molendini beatum Martinum cum patrono nostro S. Amando participem esse faciamus. » Consenserunt omnes, et ne unus quidem paternae charitatis se degenerem fore ostendit. Sicque praefatus dominus Hugo Tornacum veniens, pauperum monachorum societatem et fraternitatem expetiit et accepit, medietatem illius molendini eis donavit, semperque deinceps paterna viscera se super nos habere monstravit. Nam etiam quando monachi cum domino Odone deserta petere volentes, de ecclesia S. Martini discesserunt, praefatus dominus Hugo, abbas S. Amandi, quinque de suis monachis, ne ecclesia S. Martini divino careret officio, illuc direxit, victumque quotidianum eis dirigens, usque ad reditum monachorum S. Martini eos ibidem morari praecepit.

At vero ¹ Radulphus duos germanos milites in urbe habebat, quorum major vocabatur Thetbertus, alter Theodoricus, monetarius ². Thetbertus praepositus erat Rabbodi episcopi, et fidelem se ei sicut domino suo exhibebat. Unde Fastradus advocatus, contra eum iratus quoniam pauperes rusticos episcopi ubique defendebat et tuebatur, primum dolose se ei familiarem fecit, filiumque ejus in baptisate suscipiens, compater ei fuit, sed post paucos dies nihil mali suspicantem, venatuque lepores insequentem persecutus, eumque ut compatrem suum dolose osculatus, protinus incautum occidit, et de provincia statim fugiens, ad avunculum suum Theodoricum Avesniensem secessit, et cum eo fere per triennium mansit; tuncque advocationem ejus dominus Rabbodus episcopus Radulfo militi Noviomensi dedit, Fastradumque omnino pro hoc scelere exhaeredavit. Quidam dixerunt hoc Dei voluntate accidisse, quoniam ille Radulphus novus advocatus terras S. Martini quas tenebat, petente episcopo, sicut supra dictum est, facile reddidit, quas Fastradus, sicut postea multoties asseruit, si tunc tenuisset, nullo modo reddidisset.

¹ Herimannus, § 59, pag. 906.

Ita *D'Achéry*, secundum *Usus et consuetudines Tornac.*, tom. III, pag. 551.

² Eo quod praesidebat monetae, quam Philippus Augustus in urbe Tornacensi instituerat.

Verum post aliquot annos, Fastradus pedibus propinquorum Thetberti, nudis pedibus, cum amicis suis provolutus, et amicitiam eorum et haereditatem suam ab episcopo recepit. Viginti vero libras nummorum, quas ab eo pro concordia acceperunt fratres occisi, protinus S. Martino dederunt¹. Insuper etiam sex bonaria terrae addiderunt apud Salemgotum mairiam, quoque de qua cervisiae fermentantur nobis pro anima defuncti dederunt, ita ut quantumcumque opus habuerimus, absque omni emptionis pretio accipiamus. Theodoricus vero, alter Radulphi frater, pro caeteris urbis civibus multis modis nobis praefuit. Cum enim Radulphus² eidem germano suo Theodorico inopiam ecclesiae indicaret, et rogaret ut sibi pecuniam ad emenda fratribus necessaria commodaret, statim ille xl marcas argenti ei commodat, quas tamen nunquam postea recipere voluit; sed post pro anima sua ecclesiae dedit. Unum etiam hortum super Scaldum prope S. Medardum valde utilem ecclesiae nostrae donavit. Alium Baugerus modo dedit, qui conservat ea quae per navigium adducimus. Postmodum ad aedificandum templum centum solidos dedit, et ad opus refectorii centum solidos, et ad cellarium totidem dedit. Quoties vero conventui refectionem plenariam piscium miserit, ipsi numerandum et renumerandum relinquatur pro quo fecit. Per³ hunc vero Radulphum multi de Tornacensi urbe ad conversionem coeperunt venire, ejusque fervoris imitatores existere. E quibus fuit unus Walterus supradictus, qui vocabatur filius Huberti, eratque unus de potentioribus Tornacensis provinciae optimatibus. Hic cum uxore sua Oda ad conversionem veniens, anno fere tertio adventus domini Odonis abbatis, dare nobis voluit quamdam terram, quam habebat in nemore de Pevela juxta Templovium, sed non poterat, quia eam in beneficio tenebat de Roberto, Flandrensi comite. Comes enim tantam terram, quae de beneficio vel feodo suo erat, gratis concedere ecclesiae nolebat. Cum ergo, ut hoc comes concederet, laboraretur, forte Radulphus, ille praenominatus miles, unum equum magni pretii habebat, pro quo illi comes xl marcas dare volebat. Rogavit ergo comitem idem Radulphus, ut equum illum acciperet et terram illam pro anima sua in eleemosynam S. Martino daret. Consensit comes et privilegii sui auctoritate eandem terram coenobio nostro confirmavit, sicque praefata terra, cum molendino super Mairam fluviolum sito, ubi tota annona molitur, de qua fit panis qui in coe-

¹ Finis § 59. ² Ad finem, § 69. ³ Herim., § 58.

nobio comeditur, quod cum Hugone seniore de Rameniis dedit idem Walterus, plus quam mille libras nobis postea reddidit. Jam vero factus monachus qualiter se habuerit nullus facile explicabit. Cum nullo optimatum regionis inferior fuerit, omnibus rusticis se viliorem exhibuit. Ipse aquam ad coquinam deferre, scutellas et ollas abluere, equorum stabula mundare, fimum deferre, cernentibus et per admirationem plorantibus militibus et cognatis suis, nunquam erubuit, multosque suo exemplo convertit. Ipse ecclesiam novam sive templum istud, quod videmus centum monachis posse sufficere, ex eleemosynis fidelium, quas non reliquias circumferendo, sed quasi dulciter cum Tornacensibus civibus ludendo, ab eis gratanter extorquebat, incepit et Deo favente consummavit, atque post laudabiliter actam vitam bono fine quievit iij^o idus Decembris. Post¹ hunc Henricus, vir ditissimus, cum uxore sua Berta et filio Johanne adhuc lactente, duabusque filiabus Trasberga scilicet et Julitta, eodem pene modo quo Radulphus, ad conversionem venit. Pecuniam magnam, de qua dormitorium constructum est, et terras quasdam ecclesiae donavit. Ipseque publice eleemosynas petere ab abbate jussus, et quod revera magni fervoris esset probatio, sic tandem monachus est factus, pluribusque annis in coenobio nostro cellerarius existens, et boni exempli omnibus existens, per xxij fere annos conversionis suae laudabilem vitam bono fine concludens, decimo septimo kalendas Maii, Deo spiritum reddidit. Uxor vero ejus cum filio et filiabus, in monachali habitu multis annis irreprehensibiliter viventes, de labore ad requiem transierunt. Postea vero videres² mirum in modum juvenes et virgines senes cum junioribus de tota provincia relicto seculo ad conversionem venientes, ita ut, sicut in Actibus³ legitur, vendentes ea quae habebant, pretia rerum suarum abbati Odoni deferrent. Et si quidem tunc abbas ille, more abbatum hujus temporis, pecunias et facultates sibi datas voluisset retinere, et in ecclesiae commodis expendere, non parum eam potuisset, quantum pluribus videbatur, amplificasse. Sed quia tunc temporis, memoratus Everardus, Tornacensis castellanus, contra Robertum, comitem Flandrensem rebellans, magnam militiam tenebat, et de terra comitis tam divites quam pauperes frequenter capiens, redimi cogebat, illi compedibus et fame oppressi, ad abbatem Odonem gregatim veniebant, suisque miseriis subvenire cum lacrymis exorabant. Abbas vero eorum fletibus

¹ Herim., § 64. ² Herim., § 64, pag. 909. ³ Actibus apostolorum.

compatiens, pecuniam quae sibi deferebatur abundanter eis erogabat, sicque multos redimebat. Praefatus¹ vero abbas, instituta et doctrina antiquorum patrum legens assidue, et etiam secularis illius poëtae versiculum recolens: *Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?* non cruces aureas fabricare cupiebat, sed omnem quae sibi deferebatur pecuniam, egentibus et egenis oppressis erogabat. Omnes tamen ad conversionem venientes retinebat. Nullum antequam probaretur recipere volebat, et in ipsa probatione tanta eis onera imponebat, ut omnes antiquorum probationes excedere videretur. Nam cuidam converti volenti praecepit, ut saxum enorme, quod vix a pluribus moveri posset, ultra urbem Tornacum solus duceret. Videres hominem, nunc brachiis ac manibus, nunc toto corpore, sese saxo totis viribus supponentem, rivumque sudoris ex omni parte emittentem et pro posse magistri obedientiam implere conantem. Aliis etiam multa alia praecipiebat. Sed quamvis eis tam dura et importabilia praeciperet onera, miro tamen modo multo plures tunc ad conversionem in ecclesia nostra tam milites quam clerici veniebant, quam hodie venire videamus cum jam nullus probatur, immo ut veniat multis blanditiis et promissionibus demulcetur. Eo si quidem tempore etiam ex canonicis S. Mariae aliqui ibi conversi sunt: dominus scilicet Amandus, qui pluribus annis prioratum Acquiciniensis ecclesiae tenuit, deinde Marceciensis abbas effectus, illam pene destructam tam interius in religione, quam exterius in divitiis, renovando correxit; dominus etiam Walterus, qui in ecclesia nostra prior existens, post multos annos in Catalaunensi² episcopatu in coenobio quod dicitur Mons S. Martini, abbas est factus, ibique defunctus; dominus etiam Gonthardus, qui multis annis prioratum ecclesiae nostrae tenuit; dominus quoque Bernuinus. Hos ergo quatuor, divites primo clericos, postea vero pauperes monachos, si quomodo ab abbate Odone probati fuerint, referre audisses, admirari potuisses. Videns aliquem eorum nimis esse superbum, per aliquot dies eum vaccas mulgere et cascum facere praecepit. Cum autem³ omnes secum vult ad Deum pertrahere, tantam multitudinem mulierum non solum pauperum sed et divitum suscepit, ut eis seorsum monasterium nec esset nec videretur posse construi. Quamobrem considerans abbas domum lapideam, quae quondam fuerat supradicti Radulphi militis, et quam ei veniens ad conversionem conjux ejus dederat, non parvae esse am-

¹ Herim., § 67, pag. 909. ² *D'Achéry*: Cameracensi. ³ Herim., § 68, pag. 910.

plitudinis, distinctis in ea parietibus, oratorium, refectarium, dormitorium composuit, et lx fere mulieres conversas ibidem intromisit, sororemque suam sanctimoniam nomine Eremburgem eis praeposuit. Inter caeteras vero mulieres etiam Mainsendem, quondam Radulphi conjugem, ibi manere praecepit, et in alia ejusdem parte urbis totidem conversas sub alia magistra constituit. Eodem ¹ anno victualium penuria et famis atrocitas totam provinciam vehementer afflixit, et abbas, pauperibus ad se confugientibus, quidquid habere poterat, misericorditer tribuere coepit, ita ut nec in horreo nec in cellario aliquid remanserit. Tumque demum necessitate compulsus, fratribus per totum annum in claustro reclusis jugique silentio domitis, et quae foris agebantur nescientibus, rem sicut erat in capitulo aperuit, magnam scilicet multitudinem virorum ac mulierum se suscepisse, et unde vel una die viverent se non habere. Obstupefacti omnes admirati sunt tantam rem eum sine alicujus consilio fecisse, rogaveruntque eum ut exteriorum curam alicui viro prudenti committeret, ipse vero doctrinae et saluti animarum insisteret, nec deinceps aliquem absque fratrum consilio susciperet, et quos suscipiebat, non more antiquorum gravia et importabilia onera imponendo probaret, sed institutis et regula Cluniacensis coenobii contentus esset. Acquiescit abbas consilio fratrum, statimque Henricum ordinans cellerarium, Radulpho committit praeposituram, sociumque ei donat Waltherum, filium Huberti, iisque tribus totius ecclesiae provisionem in exterioribus commendans, ut sine licentia claustro egrederentur, permisit, caeteris, ut secum religioni et silentio instarent, indixit. Illi de capitulo egressi coquinam introeunt, quod fratribus praeparari posset quaerunt, sed nihil inveniunt. Ingrediuntur deinde portam urbis, et civibus sibi occurrentibus ac veluti de longa carceris custodia ereptis, quomodo se haberent inquiringibus, illi laeto vultu omnia prospera esse respondent, sed post paululum eis necessitatem fratrum innotescunt. Protinus cives invicem colloquentes, et alio frumentum, alio siliginem, alio fabas, alio pisa dante, eos confortantes, hilares et laetos ad fratres mittunt. Quantam ² autem inopiam panis pauper conventus illo anno integro pertulerit, vix credi potest. Sola avena eis molebatur de molendino relata, nec cribro, nec tamisio purgabatur farina, sed statim aqua calida superfusa panis exinde fiebat. Monachi vero, fame tabescentes, tanta aviditate panem illum

¹ Herim., § 69, pag. 910.

² Herim., § 70, pag. 911.

avenacium comedebant, ut de eo nec micae, nec paleae superessent. Nonnulli ex eis multoties cogitaverunt si aliquem possent videre diem; quo ecclesia S. Martini tam dives esset, ut ipsi pane solummodo saturari possent. Quicumque ergo successorum nostrorum haec legerint, orent pro animabus antecessorum suorum, qui panem non ordeaceum sed avenacium cum paleis comedendo, copiam eis panis triticei patientia sua per Dei gratiam acquisierunt. Unum tamen tunc accidit, unde dolemus, quum dominus abbas non valens retinere multitudinem feminarum, quam susceperat, licentiam dedit eis abeundi quaerendique victum. Illae autem accepta licentia recesserunt, pecuniam tamen quam quaedam earum dederant eis non reddidit, quam aut pauperibus donaverat aut in ecclesiae usibus expenderat. Radulphus ergo ¹, praepositurae pauperis onus suscipiens, vidensque et sciens ecclesiam pauperem redditibus carentem, sine agricultura non facile posse subsistere, totum studium suum ad emendas et acquirendas terras convertit. Quatuor itaque quadrigas jumentorum in ecclesia posuit, et terras eis sufficientes partim ex donationibus fidelium, partim emptas pecunia deputavit. Duo siquidem cives Tornacenses, quorum unus vocabatur Walterus, cognomento parvum adjutorium, alter Letardus, venientes ad conversionem cum uxoribus suis et filiis, dederunt nobis domus officinales quas habebant in Tornaco, et terras arabiles citra Tornacum ad valens ducentarum marcharum. Terrae vero Letardi de antiqua possessione S. Quintini ecclesiae, quam supra diximus a Fulcero episcopo destructam fuisse, dicuntur esse, sed postquam eas idem episcopus militibus Noviomensibus tradidit, illi non multum proficuas sibi fore cernentes, Tornacensibus civibus vendiderunt, aliquod redditum inde accipientes. Has autem quas Letardus dedit, de episcopo tenemus ad censum viginti duorum solidorum. Deinde Radulphus quatuor curtes ² in pago Tornacensi infra unum pene milliarium prope ecclesiam construxit, quarum prima dicitur Warnavia, secunda Duciolpetra, tertia Longa Kalix³, quarta Tintenas. In his quatuor domibus xij quadrigas posuit, terramque eis sufficientem acquisivit. Quintam autem curtem inter Namen et Templovium in terra, quam a comite Roberto pro equo suo ecclesiae dari impetraverat, constituit, et in eas quatuor quadrigas posuit. Sextam apud *Canfem* ⁴ duas quadri-

¹ Herim., § 71, pag. 911.

² Herim. habet: *Quatuor domos sive mansiones quas abusive curtes vocamus.*

³ Hodie *Ferme del longue Saulx*, prope Frasnés-lez-Buissenal.

⁴ Hodie, *Canaf*, vel Camphin.

gas terrae habentem, septimam apud *Constentem*, octavam apud Audelmansum supra Scaldum, nonam apud *Falrem*¹, decimam apud *Vescim*, undecimam apud *Catinias*², duodecimam apud *Domerias*. Interea, defuncto Rabbodo episcopo, ei succedit in episcopatu Baldricus, Noviomensis archidiaconus. Qualiter Rabbodus obierit, in serie episcoporum inferius descriptum invenies. Post hunc, Tiebaldus, Rotnacensis ecclesiae praepositus, pater Radulphi Cameracensis archidiaconi, ad conversionem veniens, dedit nobis in eodem Cameracensi episcopatu altare de *Flodesberch*, ad quod altare pertinebat quaedam terra supra Teneram fluvium, ubi praefatus Radulphus aedificavit tertiam decimam curtem, et optimum molendinum construxit. Deinde Mascelino, Lutosensis ecclesiae praeposito, cum uxore sua Mainsende et filio Alexandro, ad conversionem veniente, nobisque duo altaria scilicet de *Boveniis* et de *Branteniis* dante, praefatus Radulphus in ejusdem parochiis tres alias curtes superaddidit, sicque sextum decimum numerum replevit. Septimam decimam prope *Brugias*³ in ecclesiola, quae S. Trudonis dicitur, aedificavit. Deinde in pago Noviomensi, prope castrum quod dicitur *Torota*, ecclesiolam unam in honore sancti *Amandi* constructam invenit, sed ita vacuum et pauperulam, ut nec passum quidem terrae, nec domum vel aliquid ad victum pertinens invenerit. Adamato itaque loco illo solitario et longe ab hominum habitatione remoto, accedens ad dominum Baldricum, Noviomensem episcopum, ecclesiolam illam nobis dari poposcit et impetravit. Inde contra voluntatem multorum nostri coenobii monachorum, qui dicebant eum frustra tam procul et in tanta solitudine laboraturum, a domino abbate impetravit, ut illuc ire permetteret quemdam monachum presbyterum, genere normannum, nomine Radulphum. Hunc itaque illuc mittens, et de substantia et de pecunia ecclesiae nostrae ei tribuens, sic eundem locum, gratia Dei donante, provexit, ut intra breve tempus plures ibi Deo servire gauderet, ubi proprie nihil praeter vacuum ecclesiolam vepribus circum septam invenerat. Canonici, si quidem Noviomenses eundem locum frequentantes, et solitarie Deo servire volentibus aptum esse videntes, primo de rebus suis ibi conferre, deinde ad conversionem venire et monachi fieri coeperunt, benedictionem tamen, *Tornaci* professione facta in ecclesia B. Martini, ab abbate accipientes. Inter quos quidam nomine Petrus, aliorum canonicorum

¹ *D'Achéry*, Galren. ² *Wattines*. ³ *Brugelettes*, aut *Brugis* ubi monasterium S. Trudonis.

quasi pater existens, relicto seculo monachus factus, duas optimas vineas Noviomi sitas, dedit. Quodam autem tempore, cum fames nimia totam provinciam opprimeret, et praefatus Radulphus, prior, de fratrum penuria sollicitus pauperibus more solito eleemosynas erogare trepidaret, dominus vero Petrus ne aliquid de consueto numero minueretur suaderet, ecce subito pauperibus supervenientibus minister panes defecisse respondit. Cui dominus Petrus: «Vade, inquit, et quaere si forte aliquid frustum panis in archa remanserit.» Cum ergo minister se eadem hora archam vacuam dimisisse diceret, ille ad quaerendum instigaret, minister instantia ejus fatigatus ad archam rediit, et quam paulo ante vacuam reliquerat, usque ad summam superficiem repletam panibus invenit. Exinde coepit idem prior Radulphus supervenientibus pauperibus omnibus sic abundanter tribuere, ut nulli omnino panis negaretur, quantum vero plus tribuebat, eo magis substantiola domus Dei nutu augmentari videbatur, ita ut usque in hodiernum diem praefata ecclesiola multum a vicinis diligatur et frequentetur, jamque non solum de Noviomo et de Compendio aliisque propinquis locis, plures tam viri quam feminae ad conversionem venientes, eidem loco multa conferant, fratresque Tornacenses, qui contra Radulphum praepositum prius murmuraverant quod pecuniam de Tornaco illuc transmitteret, nunc gaudent quod voluntati eorum non crediderit. Praefatus autem Petrus multoties nobis familiariter loquens, dicebat se in Cathedra S. Petri natum et baptizatum fuisse et ad conversionem venisse, addens se credere quod in eodem festo moriturus esset, quod et contigit ¹.

Radulphus ² ergo praepositus, cum vidisset aliquantulum sibi juxta votum contigisse de ecclesiola S. Amandi, in pago Noviomensi, etiam Laudunensem regionem expetiit, vidensque ibi pro bello quod erat inter Thomam de Marla et Rogerum de Petreonte, plures villas ac terras vacuas desolatasque mansisse, data pecunia eidem Rogero, rogavit ut pro animae suae salute de eadem terra aliquid daret ecclesiae nostrae, ubi possemus laborantes proficere. Statim Rogerus, assensu Ermengardis conjugis suae, dedit nobis vacuam terram in loco qui vocatur Canteliva, et coram domino Ingelramno, tunc temporis Laudunensi episcopo, confirmavit. Nec mora, Radulphus domum unam ibi construxit, vidensque terram fertilem et sufficientem, quatuor carucas ibi posuit, ovibus ac bobus replevit. Inde ad alium principem, qui

¹ Ad finem § 75.
Tom. II.

² Herim. § 77.

vocabatur Gerardus de *Cherisi* accessit, dataque non modica pecunia, rogavit ut ipse imitando Rogerum aliquid pro anima sua daret ecclesiae S. Martini. Tunc ille terras quas habebat apud Livericum et Brangicurtem nobis dedit, et quia de feodo regis erant, per Ludovicum, regem Francorum, fecit confirmari. Hocque fuit privilegium primum quod ecclesia nostra de regibus habuit. Sic ergo Radulphus unam curtem apud *Liviri* et alteram apud Brangicurtem construxit; molendinum etiam ibidem quod prius erat destructum reparavit. Quartam etiam curtem non procul ab aliis, in villa quae dicitur *Moncellis*, construxit, quae tamen non ex unius sed ex multorum donatione et agricultura consistit. Post aliquod vero tempus, cum praefatus Thomas de Marla, videns curtem nostram abundantia pecorum repletam, cupiditate ductus, eam depraedatus fuisset, indeque excommunicatus absolvi deposceret, altare unum in villa quae dicitur *Froimuns*, pro praedae restauratione nobis dedit, et privilegio episcopi Laudunensis, de quo illud in feodo tenebat, confirmari fecit, sicque illius facti absolutionem recepit. Has ergo quatuor curtes saepe dictus Radulphus in pago Laudunensi construxit, et per eas non parum ecclesiam nostram ampliavit.

Aliam¹ etiam curtem in episcopatu Suessionensi construxit in nemore de *Pinon* et privilegio Lisiardi, Suessorum episcopi, confirmari fecit; filiumque suum Walterum ad construendum in eodem loco posuit, ita ut ecclesiolam lapideam, ex eleemosynis fidelium in honore sanctae Dei genitricis ibidem aedificatam, a praefato episcopo consecrari impetraverit. Radulfus² autem suasit domino Odoni abbati, ut si quis ecclesiae nostrae vellet dare altaria sine simonia pro anima sua, non renueret ea, more aliorum religiosorum abbatum, suscipere. Annuente abbate, primus dedit nobis altare *d'Esplicin* quidam canonicus S. Mariae, nomine Wericus; deinde Balduinus, cantor, altare de *Samium*; Letbertus quoque canonicus altare de *Pascendal*, et Gerricus canonicus cum Wenemaro milite partes quasdam altaris de *Templovio*; Adam quoque canonicus, germanus Alulphi, rogante patre suo Sigero praecentore, qui cum Herimanno praeposito apud nos monachus fuit, quinque altaria, scilicet de *Haltra*, de *Sarra*, de *Isengain*, de *Gudelengain*, de *Esteputh*. Odo, presbyter de *Boveniis*, altare de *Ostiolo* et de *Papengain*; Mascelinus altare de *Boveniis* et de *Branteniis*; Albertus, altare de *Sirau*. Erpulphus, clericus,

¹ Herim. § 78. ² Ibid. § 73, passim. Haec latius exponit Herim.

altaria de Willebecca et de Fivia, in pago Curtracensi; Desiderius, Tornacensis archidiaconus et praepositus Insulensis, altaria de Guerra et de Liedda; Geraldus episcopus et clerici de *Ecurt*, pro curte de Brugis, altare de *Mousscron*; Rabbodus episcopus, cujus tempore coenobium nostrum restauratum est, altare de *Euregnies*; dominus Odo primus hujus loci abbas, cum fuisset episcopus Cameracensis, altare de Malda ¹. Terras autem et vineas de *Pinon*, cum pluribus annis eas tenuissemus, vendidimus lx libras canonicis Praemonstratae ecclesiae, quoniam proficuae multum non erant, et emimus quamdam terram supra mare quae singulis annis, quamdiu eam tenuimus, tres marcas nobis reddidit. Sed monachi de Dunis eam sibi utiliorem fore sperantes, sibi dari postulaverunt et impetraverunt, nobisque pro ejus commutatione a domino Symone, Tornacensi episcopo, duo altaria scilicet de Beverna et de *Leudenghin*, dari fecerunt, quae singulis annis commodum quatuor marcarum praestant.

Insuper ², dictis itaque curtibus, quas in diversis locis praefatus Radulphus construxit, plus quam quinquaginta carrucas posuit, sicque Deo juvante, tam ex agricultura quam ex nutrimentis pecorum atque redditibus altarium, toti conventui ecclesiae nostrae in victu et vestitu necessaria providebat. Super quo dominus abbas Odo valde gaudebat et Deo gratias agebat, qui se a sollicitudine vel tumultu exteriori prorsus immunem et liberum esse fecerat. Commissa namque ei totius ecclesiae cura exteriori, ipse religioni et silentio tam ferventer insistebat, ut multoties integro mense de claustro non exiret, sed jugiter lectioni intentus, scribendis libris totum studium daret. Scriptorum quippe copiam a Domino sibi datam exultabat, ita ut si clastrum ingrederis, videres plerumque xij monachos diligenter cum silentio scribentes. Unde a Godefrido scripti sunt historia optima ³, quae a parabolis Salomonis incipiens, omnes prophetas et apostolorum actus atque epistolas continet; missalis, in quo quotidie utraque missa in conventu cantatur; textus evangeliorum; moralia beati Gregorii; Augustinus de civitate Dei et ejus Enchiridion, multique alii libri ⁴ qui ex similitudine pennae cognoscuntur de ejus scriptura esse. Hujus socius in scribendis libris fuit Gislebertus, qui et ipse scripsit historiam totius veteris testamenti, necnon et duos grandes et utiles libros, in quibus continentur lectiones omnium dominicarum et festivitatum

¹ *Maulde*.

² Herm. § 79.

³ Ibid. § 76, pag. 912 et § 79 in fine.

⁴ Non nullos codices MSS. ex his translatis in suam bibliothecam illustrissimus D. Carolus Letellier, archiep. Remens. an. 1668 (*D' Achéry*).

totius anni. Ab aliis quoque scriptoribus scripti sunt omnes libri Jheronimi in explanatione prophetarum, et quoscumque invenire potuit beati Augustini, Ambrosii, Bedae, Ysidori, necnon Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi, atque tam diligenter emendati, ut vix in aliqua vicinarum ecclesiarum similis inveniretur bibliotheca, omnesque pro corrigendis libris suis de nostra ecclesia peterent exemplaria. Magni nominis magnaue religionis tunc erat coenobium nostrum, quia in toto archiepiscopatu Remensi eo tempore non nisi tres inveniebantur ecclesiae, quae consuetudines Cluniacenses servarent, Acquiciniensis, Hafligemiensis et nostra.

Sed¹ cum, ut dictum est, inter vicinas ecclesias magna fama et prosperitate coenobium nostrum floreret, ecce subito cecidit corona capitis nostri et defecit gaudium cordis nostri. Dominus² siquidem Manasses, Remorum archiepiscopus, ex admonitione papae Paschalis, ad concilium generaliter mandans alios abbates, inter alios nominatim evocavit Odonem, abbatem S. Martini, Tornacensis. Cumque exinde admirantes quid de concilio nobis referretur, attoniti et suspensi exspectaremus, ecce repente audimus eum ad Cameracensis sedis episcopatum fuisse electum, et sine mora ab archiepiscopo et comprovincialibus episcopis consecratum. Quis eo die luctus totum conventum nostrum repleverit, nullus facile explicare poterit. Vix tamen octo dies transierant et rursum nobis quaedam redditur consolatio, quoniam, rebelante et resistente Gaulchero episcopo, quem papa Urbanus, inter caetera quae in Claromontensi concilio decrevit, excommunicationis gladio percussit et ab episcopali officio deposuit, pro eo quod episcopatum per pecuniam adeptus fuerat, et virgam atque anulum de manu imperatoris susceperat; ipse Odo pacifice non valens ingredi Cameracum urbem, rursum nobis ab archiepiscopo remittitur et per annum integrum nobiscum demoratur. Gaulcherus enim regali fultus violentia pluribus annis episcopatui superbe praesidet, et contra praeceptum papae in urbe Cameracensi divinum officium celebrari jubet. Ideoque abbas noster ingressum urbis et redditus regales non habuit, donec imperator mandavit³ Cameracensibus, ut Gaulcherum excommunicatum ex urbe pellerent, dominum vero Odonem reciperent. Tuncque primum dominus Odo urbem sedis suae pacifice ingrediens, cum jam xiiij annis coenobium nostrum rexisset, praecepit nobis ut abbatem eligere-

¹ Herim. § 80 in fine. ² Ibid. § 81 et 82 passim. ³ Ibid. § 84.

mus, et consilio ejus dominum Segardum, priorem nostrum, elegimus, qui jam multis annis prioratum ecclesiae nostrae tenuerat. Quo tempore ¹ maxima nobis tribulatio supervenit. Canonici Tornacenses, jam domino Odone episcopo facto, ne aliquem extraneum sepeliremus nobis interdicere coeperunt, dicentes ecclesiam nostram non esse abbatiam, sed juris sui capellam, nec nos in ea remansuros, nisi quamdiu ipsi vellent. Unde duo archidiaconi Cameracenses, Anselmus et Radulphus, qui frequentabant episcopum suum, adhuc nobiscum commorantem, tali contradictione canonicorum Tornacensium commoti, cum litteris deprecatoriis domini Odonis episcopi Romam petierunt, privilegiumque domini papae Pascalii nobis detulerunt, in quo nobis concedebat, ut omnes qui apud nos sepeliri vellent, nisi excommunicati essent, libere et absque ulla contradictione sepeliremus. Adjunxerunt etiam ut decimas laborum nostrorum quos circa monasterium laborabamus, ulterius non solveremus, quoniam a domino papa nobis remittebantur. Quod ut canonicis innotuit, illico contra nos surgunt, totumque orbem adversum nos incitant, incendiis et rapinis ecclesiam nostram valde perturbant. Cumque coenobii nostri praepositus esset frequenter superius memoratus Radulphus, canonicorum vero Gonterus, dum inter se non solum ecclesiasticis, sed etiam secularibus armis decertarent patruus et nepos, videbatur inter duas ecclesias geri non solum civile sed etiam plus quam civile bellum, dominus tamen papa nunquam auxilium nobis impendere destitit, sed ad se frequenter redeuntibus pie consuluit. Unde etiam hujus modi litteras Baldrico episcopo nostro transmisit:

«Pascalis² episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Baldrico Noviomensi, seu Tornacensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Fraternitati tuae jam secundas litteras misimus, ut monachis S. Martini justitiam faceres de injuriis illis quas a Tornacensibus clericis patiuntur. Caeterum eandem justitiam exercere diu multumque fraternitas tua dissimulavit. Unde opportunum duximus idem negotium Lamberto Attrebatensi, et Johanni Morinensi comprovincialibus fratribus commisisse, qui nimirum tanquam religiosi viri ad pacem vehementius intendentes, idem negotium minus canonicè tractaverunt, quamobrem nos utramque partem ad nostram praesentiam evocavimus. Ipsis itaque clericis ex sanctorum patrum auctoritate monstravimus, quam indebite in decimarum exactione et sepulturarum prohibitionem

¹ Her. § 86.

² Ibid. § 87.

monachos praegravarent. Beatus enim Gregorius Augustino Anglorum episcopo scribens : « Comuni , ait, vita viventibus jam de faciendis portionibus vel exigenda hospitalitate, et adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum, cum omne, quod superest, in causis piis ac religiosis erogandum est. » Quartus autem Leo synodali constitutione decrevit, ut decimae et primitiae seu quaecumque oblationes vivorum et mortuorum ecclesiis Dei fideliter reddantur a laïcis. Ubi notandum quod non a monachis, sed a laïcis reddi decimae jubeantur. Monachi namque, cum eorum plerique aut levitae aut sacerdotes sint, aut aliis ecclesiasticis ordinibus profruantur, cumque assidue per Dei gratiam divinis inserviant ministeriis, immunes profecto ab hujusmodi exactio- nibus sunt habendi. Idem etiam Leo episcopis Britanniae scribens, illis tantum ecclesiis, quae plebes vocantur, deberi decimas indicat, ubi sacrosancta dantur baptismata. In quibus videlicet verbis evidenter apparet, causa baptismatis, eucharistiae, poenitentiae seu caeterorum officiorum, quae a clericis populo exhibentur, decimas a populo esse reddendas. In quibus omnibus nullum a clericis servitium monachorum conventibus exhibetur. Porro de sepultura monasteriis permittenda beati Gregorii habetur manifesta sententia. Johannem enim Urbis Veteris episcopum, in monasterio sepeliri mortuos prohibentem, his verbis cohibere curavit : « Si ita est, ait, a tali vos hortor inhumanitate recedere, et sepeliri mortuos ibidem, vel celebrari missas, nulla ulterius habita contradictione, permittas : ne denuo querelam de his quae acta sunt, Agapitus vir venerabilis ad me depromere compellatur. » Hac sanctorum pa- trum auctoritate comperta et veritatis ratione cognita, praedicti qui ad nos venerant clerici Tornacenses debita humilitate cesserunt, et de caetero se nullam super his querelis molestiam monachis illaturos polliciti sunt. Tuam ergo sollicitudinem, frater carissime, commonemus, ne ulterius supradicti monasterii fratres patiaris molestiis talibus infestari, neque cathedram ibi colloces, neque aliud quid inferas, quo regularis ordo turbetur. De his autem eleemosynarum partibus, quae sunt a morientibus ecclesiis relinquen- dae, vestra interest dioecesis vestrae parochianos instruere, ut per tuae vigi- lationis diligentiam, largiente Domino, tam clericis quam monachis justa serventur, et ecclesiis pax firma permaneat. Data Lateranis, per manum Johannis cardinalis, iiij kalendas Novembris. »

¹ Herm. § 88.

Clerici itaque Tornacenses Roma reversi, et omnia, quae dominus papa eos sibi promississe dixerat, praetergressi, rursus nos incendiis devastare, militibus etiam ut nostra diriperent, pecuniam dare coeperunt. Quadam vero die advesperascente, servientes suos ad curtem nostram Dulciopetram depraedandam transmiserunt. Quod cum domino abbati Segardo nuntiatum fuisset, quemdam praemisit monachum, nomine Gerulphum, qui in vita seculari strenuus miles fuerat optimatumque regionis cognatus erat. Illi autem cum armis et multitudine venientes curtem depraedati sunt, monachumque sibi resistere volentem tam fortiter verberaverunt, ut eum in lectulo ad ecclesiam nostram necesse esset referri. Unde cognati ejus vehementer commoti per paucos dies contra clericos et fautores eorum venerunt, initoque bello ex servientibus eorum decem et octo occiderunt, quorumdem vero pedibus abscissis, omnes pariter in fugam converterunt. Dixerunt etiam quidam ex militibus se in eodem certamine vidisse sanctum Martinum in aëre super album equum sedentem et adversarios fugantem, et cum multo major eorum numerus quam nostrorum fuisset, nostris tamen victoria cessit. De qua victoria videns dominus abbas quosdam juvenum nostrorum exultantes, ingressus ecclesiam et coram altari prostratus, vehementissime flere coepit. Unde protinus convocatis omnibus in capitulum, praecepit ut sequenti die totus conventus in pane et aqua jejunaret, et nudis pedibus post primam totum psalterium legerent, et processionem facerent, et disciplinas susciperent. Cujus devotio quod Deo placuerit, protinus effectus monstravit.

Adhuc ¹ enim nobis in capitulo sedentibus, ecce subito Everardus castellanus, totius regionis princeps, insperatus ostium claustrum pulsavit, et ut in capitulum venire permetteretur, rogavit. Ingressus ergo cum quibusdam viris sapientibus: « Valde, inquit, domini mei, de restauratione hujus ecclesiae gavisi sumus, cujus cum necdum vicesimus annus compleatur, jam de ejusdem destructione valde contristamur. Scimus enim revera, quod clerici injuste vobis prohibent sepulturam eorum, qui non sunt sui parochiani, et nihilominus vos eis injuste decimas suas vultis auferre; licet enim terras nostras dederimus, decimas tamen S. Mariae vobis dare non potuimus. Quod vero vobis dedimus, tenete, et S. Mariae, vos sancti viri nolite auferre, quod nos ei dabamus. Si vero ei jus suum, quod jam plus quam quingentis annis tenuit,

¹ Herm. § 89.

vultis auferre, nescio quid prosit vobis secularem vitam reliquisse, quoniam, ut salva gratia vestra dicam, cupidiores et rapaciores atque pejores nobis esse videbimini. Unde precor vos, dilectissimi domini, quatinus ab incepta desistentes pertinacia, pro singulari et insolita libertate provinciam non perturbetis, sed vicinarum et antiquarum abbatiarum morem sequamini, et nos eandem libertatem sepulturae, quam ipsi habent, velint nolint clerici, faciemus vobis concedi. Si vero precibus nostris acquiescere nolueritis, tunc utique contra torrentem brachia tenditis, quoniam nos nullomodo patiemur dominae S. Mariae decimas suas auferri. » Huic ergo principis orationi conventus acquiescens, suasioni ejus cessit. Sicque statuto die, convenientibus vicinis abbatibus multisque aliis ecclesiasticis personis, utrimque statutum est, ut nos more solito daremus decimas, et de sepultura idem nobis liceret, quod ecclesiae S. Amandi et caeteris vicinis ecclesiis. Finita itaque concordia clerici, qui dudum nos radicitus evertere conabantur, tanta rursus nobis conjuncti sunt amicitia, ut ipse praefatus Gonterus nostris necessitatibus omni conatu subveniret, et mala quae nobis tempore discordiae fecerat, novis servitiis diluere et emendare studeret.

Dominus¹ autem Odo cum germano suo Benedicto, monacho nostro et elemosynario, petenti altare de Malda, ad expensas pauperum dedisset, et quosdam libellos, scilicet de Canone missae, de Disputatione contra Judaeum, de Origine animae composuisset, infirmitate corporis gravatus episcopatum reliquit, seque Aquicinctum in lectica deportari fecit. Dominus autem Segardus, abbas noster, hoc audiens, protinus cum monachis suis illuc tendit, utque se ad ecclesiam S. Martini, quam a fundamentis construxerat, ubi primo monachus, primusque abbas exstiterat, deferri permittat, exposcit. Sed abbas Aquicinensis Alvisus, qui postea episcopus Attrebatensis claruit, dicit se nullo modo passurum, ut is quem sibi Deus dederat, alibi deferretur. Sicque infra octo dies idem episcopus defunctus, in ecclesia Aquicinensi coram Crucifixo sepelitur, et de candido marmore imago ejus super sepulchrum ejus sculpitur.

Interea² quidam civis Tornacensis, nomine Movinus, videns se prolem non habere, ecclesiam quamdam in honore sancti Medardi prope Tornacum sitam, de opibus suis amplificat; utque in ea religiosos clericos ponat, a domino Simone episcopo postulat. Cujus ille petitioni favens quemdam canonicum,

¹ Herim. § 100.

² Herim. § 101.

nomine Ogerum, de Monte S. Eligii, ibi abbatem fecit, ipsamque ecclesiam ei liberam tradit. Ille vero protinus auxilio Dei et civium ibi se posse proficere videns, locum tamen illum angustum esse sciens pro construendis officinis conventui fratrum necessariis, terram quamdam super planitiem Scaldi fluminis inferius emit, ibique ecclesiam lapideam in honore sancti Nicolai cum officinis congruentibus construxit, pluresque tam clericos quam laicos necnon et mulieres ibidem congregavit, ipsamque appellari fecit abbatiam S. Nicolai de Prato.

Non multo¹ post Radulphus, praepositus noster, gravissima corporis infirmitate fatigari coepit. Cum enim oleo perunctus fuisset, eumque quatuor filii sui ad terram super cilicium deposuissent, rogantes ut juxta exemplum beati Martini in cinere et cilicio tribus aut quatuor diebus super terram jacere libenter pateretur, Theodoricus, germanus ejus, vir dives et secularis, audiens eum sic infirmari, protinus visitandi gratia supervenit. Cumque eum in cilicio jacentem videns vehementer fleret, ille eum de seculi contemptu exhortari coepit, dicens, omnino parvipendendas mundi divitias: « Quoniam si Adam, inquit, ab initio mundi usque in hodiernum diem in divitiis vixisset et hodie eum mori contingeret, nihil ei prodesset quod tamdiu eas habuisset. »

Post hunc sermonem, xiiij kalendas Januarii, Dominica ante natale Domini, circa mediam noctem, ea pene hora, qua sanctus Martinus transierat, etiam fidelis servus ejus Radulphus ex hoc mundo migravit. Sepultus quoque est prope capellam S. Mariae, quam ipse eodem anno construxerat retro altare, filioque ejus Herimanno praepositura commissa est. Qui praepositus factus, coepit pro posse paternos mores imitari, et maxime ut in habitu factisque suis humilitas potius quam superbia posset notari. Cumque a natali Domini usque ad Pascha praeposituram tenuisset, quadam nocte post Pascha visum est ei in somnis quod cum patre loqueretur, et an ex integro requiem invenisset requirebat. Protinus Herimannus evigilans, et hujusmodi somnium pro sua correctione se vidisse reputans, multaque secum revolvens, omnia omni dilatione, ut de praepositura absolveretur petiit et nimis insistens impetravit. Postque more suo ecclesiasticae psalmodiae et libris scribendis insistere coepit. Mainsendis vero, quondam uxor Radulphi, post mortem ejus, fere sexdecim² annis vixit, completisque in sanctimoniali habitu plus quam xl annis, praesentem vitam terminavit, et in eodem coemeterio sepulta est.

¹ Herim., § 102 passim et 105.

² D' Achéry, duodecim.

Defuncto¹ vero Radulpho praeposito, etiam dominus Segardus abbas coepit debilitari et viribus corporis deficere, longaque infirmitate gravatus, iij^o kalendas Februarii spiritum reddidit, die dominica, anno dominicae incarnationis MCXXVII. Eodem anno gloriosus comes Karolus Flandrensium, in ecclesia S. Donatiani, apud Brugas, ab inimicis suis clanculo interfectus, occubuit.

Herimannus supra nominatus, post decessum domini Segardi, ecclesiam nostram suscepit regendam et praefuit post decem annos. Quibus transactis, infirmitate corporis gravatus, quam paralytim vocant, sponte pondus pastoralis curae reliquit et habuit successorem dominum Galterum, de civibus Tornacensibus progenitum. Qui restaurationem ecclesiae nostrae commemoratam superius per omnia noscens, utpote qui septennis erat eodem tempore quo incepta est, ab ipso Odone, primo abbate hujus loci, saepe admonitus est, ut lenocinia mundi relinqueret, et cum coaevis suis, filiis Radulphi praepositi, habitum sacrae religionis acciperet. Sed cum per dies singulos hujusmodi sermonibus animum ejus accendere cuperet, et ille nequaquam assensum praeberet, tandem diuturna admonitione fatigatus abbas, quasi ludendo praedixit ei, quod priusquam vitae cursum terminaret, monachus S. Martini esset. Sed quia « Neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, nisi incrementum dederit Deus, » eo tempore verbum praedicationis non convaluit in eo, sed per xl fere postea annos in seculari vita remansit. Tunc namque cernens Dominus opportunum tempus accidisse, quo domini Odonis prophetia impleri debuisset, percussit eum gravi invaletudine corporis et toto stomacho deficiente, hamo suo extraxit eum ab amore secularis vitae, et in coenobio S. Amandi Helnonensis monachus factus est. Cumque illic uno fere lustro² laudabiliter vixisset, et pro sua probitate prior ibidem factus fuisset, petivimus eum nobis dari in abbatem et accepimus: sicque prophetiam abbatis constat impletam fuisse, quia ex eo tempore non solum monachus S. Martini fuit, sed etiam provisor et famulus totius domus.

His³ temporibus Eugenius papa, qui fuit monachus Clarevallensis, litteras exhortatorias in Galliam direxit ad exhortandum strenuos quosque homines, quatenus Jherosolymam ad Terram Sanctam pergerent, et fines illos, qui a gentilibus conculcabantur, defenderent et ditioni christianorum sub-

¹ Herim., §§ 104, 105 et 107. ² *D'Achéry*, per biennium. ³ Herim., § 117.

derent. Cujus exhortatione animati, Ludovicus, rex Francorum et dux Aquitanorum, Conradus quoque, imperator Romanorum et rex Theutonicorum, junctis sibi nonnullis principibus, cum multis legionibus christianorum illuc properaverunt, nonnulla praedia et possessiones, quae habebant vendentes, pretiumque eorum secum deferentes. Unde accidit ut Gossuinus, Tornacensis advocatus, quoddam molendinum in Scaldo, quod dicitur de Fossato, quod de episcopo Tornacensi et ecclesia B. Mariae in feodo tenebat, novies vigenas marcas nobis venderet, concedente Anselmo episcopo et privilegii sui auctoritate confirmante, personis ecclesiae qui interfuerunt et assensum praebuerunt in testimonium subvocatis. Sicque hanc possessionem cum supra determinatis tenentes, quotidie fines nostros amplificamus. Terras quoque nonnullas apud *Wez* Walterus de Gerbeciis nobis vendidit. Eodem tempore concedente supra dicto Gossuino, de cujus feodo erant, alia etiam apud *Warcum* emimus. — Finis est.

PARS TERTIA CODICIS.

ALIA NARRATIO CIVITATIS TORNACENSIS ET CLAUSTRI B. MARTINI¹.

Tornacum Galliae Belgicae civitatem antiquissimam esse, antiquitus etiam inter suas finitimas civitates nobilissimam claruisse, ex veterum scriptis cognoscimus et ostendere in promptu habemus. Sunt enim complura, ex quibus non mediocris conjectura de civitatis opinione colligitur. Jheronymus² namque, homo summae scientiae magnaevae memoriae, et qui innumera librorum percurrendo volumina potuerit ubicumque terrarum gesta, litteris duntaxat digesta, pene omnia nosse, nec ipse quidem, quamvis procul positus, memoratae civitatis nomen ac fortunam ignorat penitus atque reticet. In

¹ Cod. Insul., fol. 21 verso.

tom. I, pag. 790, et D. Bouquet, *Recueil des*

² Cons. Cas. Oudin, *Comm. de script. eccl.*, *Historiens de France*, tom. I, passim.

epistola namque, quam ad Ageruchiam¹ scribit, inter alia ista subtexit: « Innumerabiles et ferocissimae nationes universas Gallias vastaverunt, » et caetera quae in eadem continentur. Quae nimirum omnia jam tunc temporis completa fuisse, si verum est, non immerito credimus, quod ipso eodem tempestatis turbine, quo Remorum civitas a Wandalis eversa est, Tornacensis pariter involuta est, quamvis legamus memoratos hostes dejecta in urbe, itemque beatorum martyrum Nichasii sociorumque ejus caeterorumque civium caede completa, divinitus exterritos, qua venerant pedem retulisse. Potuit namque fieri, ut aliqua eorum parte adhuc detenta in obsidione urbis, pars interim caetera finitimas civitates aggressa sit expugnare, vel certe terrore illo divino, quoad tempus turbati sunt non immutati, jam sopito, nihilominus obdurata mente, nostris quoque in partibus eadem quae Remis perseveraverunt perpetrare. Quod qui imputandum putaverunt, ostendant vel ipsi excidium illud Tornaci quo potissimum tempore atque a quibus gentibus administratum sit. Neque enim illo in loco Jheronimus alia commemorat, quam quae suo tempore vel forte paulo ante gesta legerat, ipse sive audierat. Quod si verum est, constat procul dubio Tornacensem civitatem infra quadringentos ferme annos bis numero pene usque ad internecionem profligatam esse. Primo omnium sub Julio Caesare, quando et potissima florebat, et civibus fere suis omnibus, quos innumeros et strenuos habebat, orbata est.

Anno praeterea Dominicae incarnationis DCCCLXXXI, cum suis finitimis civitatibus, oppidis, castellis et villis, a Normannis ferro et flamma modo miserabili pessumdata est, ex quibus omnibus colligere possumus, quam nobiles et strenuos et prius structores, et postmodum instauratores et semper administratores habuerunt. Narrant igitur historiae praefatam urbem a Turno rege denominatam, olim regalem exstitisse et tam potentissimam, ut etiam portas ejus ad Arduennam sylvam usque protingeret. Hoc alio nomine a Servio, Romanorum rege, Nervia nuncupata est, prima quidem littera mutata, videlicet S in N, ne forte servitutis elogio notaretur aliquando. Cujus civitatis vel totius regni habitatores Nervii vocabantur, qui tam rebelles et audaces erant, ut ipsum quoque Caesarem cunctis formidabilem nequaquam cunctarentur bello appetere. Conserto itaque praelio inter Quirites et Nervios, innumeri ex utraque parte trucidantur. Attamen Caesar tandem potitus victoria,

¹ Epist. xci ad Gerontiam seu Ageruchiam videtur et D. Bouquet, tom. I, pag. 744. Vide Oudini, *Comm.*, tom. I, pag. 802,

jussit eorum urbes et oppida destrui. Quo postea a Romanis interfecto, suscepit imperium Octavianus Augustus, pronepos ejus, sub quo Jesus Christus nascitur. Illo etiam de medio facto, regnum adeptus est Tiberius, privignus ejus, sub quo passus est Dominus, cujus mortis signa per totum orbem visa sunt. Nam Dionysius Areopagita in Aegypto tunc positus, cernens ab hora sexta diem in noctem tenebrescere usque in horam nonam, dixit noctem illam significare Deum verum cum luce vera cito venturum. Verum ut longam narrationem compendio comprehendam, anno quinto redemptionis humanae, apostoli et eorum discipuli, qui erant plus quam quingenti, passim per orbem dispersi, innumerabiles filios per lavacrum regenerationis Deo acquisierunt, et ipsi nihilominus alios, de quorum numero beatus Piatas, genere Beneventanus, exstitit, qui tanquam a Deo missus, ad nos bene venit, aqua renovationis patrias nostros abluit, urbemque regum vocabulis insignitam, quamvis eam Caesar alieno dudum sanguine polluerit, ipse tamen martyr primo postmodum decoravit. Fuerunt autem et alii praedicatores sancti admodum viri, videlicet Eleutherius, Medardus, Amandus, Eligius, qui velut quatuor paradisi flumina gentem regionis nostrae diversis modis rigaverunt. Quorum praedicationibus ecclesia Dei in iis partibus roborata, usque ad tempora Normannorum floruit. Qui de Norwegia venientes, postquam pene cuncta ferro flammaque vastassent, ingressi Neustriam, quam vocaverunt Normanniam, in tantum eam possidendo profecerunt, ut ibi cum principe suo baptizarentur. Qui pridem viderat se per soporem in fontem pulcherrimum, balneandi gratia, descendisse, ac denique ut in duobus regnis, id est in Sicilia et in Anglia, potenter regnarent, quod usque nunc faciunt¹. Quidam falso putant monasterium S. Martini ab iis subversum fuisse. Post hanc autem tribulationem secuta est et alia in episcopatu Tornacensi ac Noviomensi, per tres senos menses praesulante Fulcero crudeli tyranno, qui omnes abbatias quas destruere potuit, destruxit atque exspoliavit, inter quas et nostram, sicut dominus abbas Galterus vivens testabatur, penitus destruens, terras ejus ac praedia et caetera quaeque clericis atque militibus dedit, permittente tamen Deo qui non multo post retributionem talem ei retribuit, ut a pediculis suffocatus pessima morte interiret. Cujus interitum audientes viri religionis, quos exosos semper habuerat, quidam eorum pro ejus absolutione non

¹ Ex quo conjici potest hanc partem codicis fuisse scriptam xi^o seculo.

Requiem aeternam, sed Te Deum laudamus cantaverunt. Post multa vero annorum curricula restauratum est coenobium istud, anno scilicet Verbi incarnati MXCII, a domino Odone, annis scilicet septem antequam Hierosolyma a Francis caperetur, in qua primus intravit quidam de patriotis nostris, nomine Letardus, vir fortis, cum duobus sociis. Huic venerabili abbati post xiiij annos ad episcopatum promotus, dominus Segardus prior, vir magnae religionis, succedit. Accidit in una dierum, ut quidam monachus habitans in possessione monasterii supra Scaldum, ingrederetur fluvium sua levaturus gurgutia. Qui dum cerneret hospitem comesturum cum eo curtem intrasse, non parum contristatus nassam quam pene plenam piscibus extraxerat, statim in aquam rejecit. Veniens autem domum salutavit eum dicens: « Bene veneris, domine monache, vere si aliquem piscem capere potuissem, libenter tibi attulissem. » At ille, his verbis credulus, resalutavit eum. Quo post esum panis et casei discedente, ille hospitalitis ignarus ubi pisces absconditos reliquerat regressus, nullum prorsus repperit. Quod cum esset abbati nuntiatum, coepit illum monachum pro hoc facto vehementer arguere. — Explicit.

PARS QUARTA CODICIS.

SEQUITUR RESIDUUM CHRONICAE PONTIFICUM TORNACENSIIUM.

Sequitur continuatio chronicae Tornacensium episcoporum. Pro quo sciendum est, quod ecclesia Tornacensis spatio vi^c annorum vel amplius, a tempore videlicet beati Medardi vel Eleutherii usque ad Symonem inclusive, suo proprio pastore viduata fuit. Quousque per merita beati Bernardi, Clarevallensis abbatis, proprium recuperavit episcopum. Qui domino papae Eugenio tertio, suo quondam ordinis Cisterciensis monacho, sic fieri debere persuasit et scripsit. Vivente igitur dicto episcopo Symone, anno suae consecrationis vi-

gesimo quarto, successit ei Ancelmus, abbas S. Vincentii Laudunensis, quem dominus papa Eugenius elegit, confirmavit et consecravit, supra dicto anno MCXLVI, quemque Tornacenses ut patrem et dominum suum gratanter et benigne receperunt, cum debito honore, reverentiam et homagium exhibentes. Qui quidem Ancelmus dedit eidem ecclesiae pro anniversarii sui celebratione altare de *Stades*, anno ix^o consecrationis suae, quod quidem anniversarium celebratur ix^o kalendas Septembris. Ancelmo successit Gerardus episcopus, confirmatus anno MCLIX, qui dedit ad opus refectorii, altaria de *Mulem*, *Oedoke* et *Elseghem*, anno MCLXVI. Hujuscemodi anniversarium celebratur pridie idus Julii, et nota quod iste primus est episcoporum, qui reperitur quantacumque refectorio contulisse, quod ejus etiam tempore videtur fuisse primitus ordinatum propter societatem sacerdotum majoris altaris quae eodem tempore instituebatur, ut patet per eorum foundationes, quae raro praecesserunt; et tunc etiam non erat nisi unicus capellanus in ecclesia Tornacensi institutus perpetuus per Letbertum Blondum, decanum, anno MCL. Iste Gerardus instituit et fundavit capellam et domum leprosorum Vallis, anno MCLIII¹. Cujus regimen et administrationem capitulo commisit, quemadmodum haec in hospitali pauperum Nostrae-Dominae Tornacensis. Gerardo successit Walterus, Tornacensis decanus, in episcopatum, consecratus anno MCLXVI. Iste dedit fratribus Deo militantibus, in ecclesia Tornacensi, anniversaria praebendarum de viva manu in vivam manum transeuntium anniversarium non habentium ad usus refectorii canonicorum sine aliqua diminutione convertendo dictum, anno MC. . .² Item, et ad opus refectorii etiam contulit altaria de *Roubaix*, *Kesselare*, *Ursele*, *Zomerghem*, *Meren-dre* et de *Gothem*, et de altari de *Bondues*, quod Letberthus Blondus tenuerat, unam canonicam sacerdotalem instituit ad capituli dispositionem, ita quod si negligens aut indignus inveniatur, alter loco sui absque reclamatione vicarius instituatur eidem. Item et de altaribus de *Olsene*, *Elseghem*, Fivia, S. Eligii ac de *Mouvaux* et quibusdam aliis bonis per Thomam³ appositis. Consimilem vicariam instituit anno MCLXXI, cui bona per praefatum Thomam apposita sunt, dominus juxta mansum magistri Gossuini.

Item, apud *Dafflieres* quinque quartas terrae. Item, in vico S. Martini x

¹ In valle *D'Orque*, in suburbio Tornac.

³ Deest aliquid in codice.

² Deesse hic videntur numeri.

solidos et unum denarium redditus, et in vico de *Salines*, ante portum *Willardi*, xiiij hospites. Require in nova capsula primi lecti, et in secundo chartas folio xxii, et tertio folio xx. Iste etiam, auctoritate domini Alexandri papae tertii et de consensu capituli, statuit de xxx praebendis fieri xl, anno MCLXX. Ejus anniversarium celebratur xiiij kalendas Septembris.

Waltero successit Evardus, consecratus anno MCLXXII. Iste statuit terram foraneam cellarii, quam singulares canonici in villagiis prope Tornacum tenebant, ipsis canonicis decedentibus debere cedere ad usus canonicorum ecclesiae servientium, actum anno Domini MCLXXVIII. Item, ad usus quotidianae distributionis canonicis, qui cum psallentibus in choro in propria persona se competenter exhibuerint in horis diei et noctis, dedit altare de *Morselede*, anno MCLXXVIII¹. Item, ad easdem distributiones dedit altare de *Derlike*, anno MCLXXI. Item, et altare de *Warenghem*, anno MCLXXIX. Item, ad usum refectorii dedit altare de *Lugne*, *Zwindrecht* et de *Barlare*, anno MC...². Item, et pro anniversarii sui celebratione dedit refectorio altare de *Huerne*, anno MCLXXII. In cujus distributione associavit singulos presbyteros et clericos chorum frequentantes. Et nota, est primus episcoporum qui presbyteris et clericis in refectorio distributiones ordinavit. Quo tempore erant solum quatuor aut quinque capellani perpetui in ecclesia Tornacensi instituti. Ejus anniversarium celebratur iiiij kalendas Octobris. Everardo successit Stephanus, consecratus anno MCXCII. Iste, auctoritate domini papae Celestini, reformavit et moderavit statutum per dominum Symonem episcopum factum super residentia canonicorum, satis conforme statuto Walteri de *Marvis*, sed multo strictius, nullus enim poterat se absentare ab ecclesia ultra xx dies quolibet anno. Iste dedit tabulam argenteam inferiorem ante majus altare. Idem dedit urceolum cum duobus thuribulis majoribus. Item, situlam et aspensorium argenteum. Item, ordinavit duas speciales refectioes, unam in die sanctorum Prothi et Jacynti, quando ejus celebratur anniversarium; aliam in die commemorationis animarum, pro quibus dedit refectorio xvij bonaria terrae jacentia apud *Barges*, ex quibus etiam fiunt distributiones in ejus anniversario, ordinato tertio idus Septembris. Dedit etiam ecclesiae alia plura bonaria in dicto anniversario latius expressa. Item, instituit duo festa

¹ Hanc et sequentes donationes multo serius col. 214.
ponit *Gallia christiana*, quam vide, tom. III,

² Deest numerus. *Gall. christ.* anno 1175.

in perpetuo celebranda, scilicet sanctorum Eunurcii episcopi et confessoris, et Genovefae virginis. Iste etiam, de promissu capituli, construxit oratorium S. Vincentii, per quod episcopus habet ingressum in ecclesia, et in eodem oratorio perpetuum capellanum episcopis commensalem instituit, anno MC. . 1.

Stephano successit Gossuinus, Tornacensis archidiaconus, consecratus in episcopum anno MCC. Iste ordinavit missam de Nostra-Domina per duos canonicos praebendas sacerdotales obtinentes, quotidie durante sonagio primae, celebrari. Et pro anniversario suo dedit refectorio unam decimam Waesmonstrae, et aliam decimam apud Nivellam, una cum domo sua in Normeria sita, cum quibusdam aliis bonis in ejus anniversario quarto kalendas Novembris latius declaratis. Isti episcopo recognovit Philippus, rex Franciae, civitatem Tornacensem et ejus jurisdictionem ad episcopum pertinere, anno MCC. Item, iste excommunicavit comitem Flandriae, et ejus patriam supposuit interdicto. Item, istius tempore cives Tornacenses extraxerunt a claustro Nostrae-Dominae Jacobum Clerici et eum suspenderunt propter homicidium per ipsum in civitate commissum.

Gossuino successit Walterus de *Marvis*, oriundus de Tornaco, canonicus, deinde in episcopum Tornacensem consecratus, anno MCCXIX. Iste viriliter et utiliter conservavit, augmentavit et defendit ecclesiam et ejus libertates, et jura et cives Tornacenses pro supradicta extractione Jacobi Clerici, tempore Gossuini episcopi, punivit et perpetuae servituti redegit, juxta canonicas sanctiones in praestatione juramenti et alias. Iste Walterus fundavit ecclesias monialium de Pratis fratrumque minorum Tornacensium, ac beghinarum, necnon et domos emeritorum et bonorum puerorum. Item, redemit de manu laica patronatus ecclesiarum *d'Eynes* et Cominensis, quas olim Harduinus episcopus alienaverat, et in eisdem ecclesiis hic Walterus beneficia instituit et delegavit abunde. Item, iste novum chorum ecclesiae Tornacensis incepit fabricare. Item, parochias suae dioecesis certis limitibus non limitatas limitavit, et novalium decimarum intra terminos parochiarum limitatarum, unam medietatem capitulo Tornacensi donavit, reliquam sibi et suis successoribus reservans, per totum comitatum Flandriae provenientem, dempta Wasia, cujus decimas novales monasterio de *Baudeloo* assig-

¹ Deest numerus.

navit. Item, dedit capitulo medietatem decimarum de *Capric*, *Eeclo*, *Lembeke* et de *Bassevelde*. Item, fundavit parochialem ecclesiam de *Nazareth*, et ministros in eadem instituit. Item, pro anniversario suo dedit refectorio decem libras *parisis* annui redditus, super decimam de *Schelmes* capiendas. Item, pro eo dedit quamdam decimam apud *Frelenghem*, cum certis pecuniarum summis ad redditus comparandos. Item, ad opus horarum cellarii dedit certas obligationes seu vadia decimarum sibi invadiatarum ad summam ix^e libras *parisis* ad redditus comparandos. Item, et ad opus panis communis dedit ij^e libras. Item, officiis fabricae et thesaurariae fecit multa bona. Item, de mandato Innocentii papae, reformavit statutum super residentiam canonicorum. Item, visitando suam dioecesim, reformavit omnes ecclesias et earum statuta. Item, tempore suo fuit indictus generalis accessus ad Terram Sanctam cum indulgentiis consuetis, quem pro se redemit de ij^m libris veteris arg., et ejus anniversarium celebratur xiiij kalendas Martii. Vivente adhuc eo, fuit retractata donatio novalium extra Wasiam consistentium per dominam comitissam Flandriae. Ita quod de portione episcopi, decani et capituli Tornacensis, hospitale Insulense inde recepit tertiam partem, ut constat, per concordiam super hoc factam.

Waltero de *Marvis* successit Walterus de Cruce, decanus Tornacensis, postea episcopus, consecratus anno MCCLII. Iste Walterus retractavit donationem decimarum novalium Wasiae per suum praedecessorem monasterio de *Baudelo*, datarum absque consensu capituli sui. Super quibus tandem concordatum existit, quod episcopus, decanus et capitulum unam medietatem dictarum decimarum novalium inter se pro aequali portione dividendam percipiunt, et reliquam medietatem dictum monasterium retinuit, salva debita portione presbyteris parochialibus locorum facienda. Item, praedictus Walterus supra portione suarum praedictarum decimarum assignavit refectorio pro anniversarii sui celebratione octoginta libras *parisis* annui redditus. Item, dedit xx libras *parisis* etiam annui redditus, capiendos supra decimam Gerardi de Gandavo, militis dicti Dyaboli, apud *Capricke*, de quibus redditibus fiunt distributiones in ejus anniversario, tam in feriis quam in refectioibus et aliis, prout in ejus authentico continetur vi kalendas Decembris. Item, dedit ad augmentum distributionum parvarum horarum cellarii medietatem dictae medietatis novalium Wasiae, super monasterium de *Baudelo* recuperatarum.

Waltero de Cruce successit Johannes *Buchel*¹, oriundus de Tornaco; primo magister scholarum, deinde presbyter S. Quintini Tornacensis, postea canonicus, consequenter decanus, et deinde tandem fuit episcopus Tornacensis, consecratus anno MCCLXIV. Iste dicitur patrem suum naturalem, tunc praepositum, communionem Tornacensem excommunicasse, propter jurisdictionem ecclesiae quam dictus praepositus perturbabat. Iste fundavit anniversarium suum in refectorio prout continetur v^o kalendas Martii.

Johanni *Buchel* successit² dominus Philippus de Gandavo, canonicus et cancellarius Tornacensis, in episcopum consecratus anno MCCXLVIII³. Ab isto recepit Philippus rex licentiam usque ad certum tempus cudendi monetam auream in Tornaco, anno MCCXLII. Item, pro anniversario suo dedit cellario decimam de *Huerne*, unde restituuntur refectorio quolibet anno, nonodecim librae *parisis*. Item, ipsius tempore facta fuit inter ipsorum xix dignitates ac capitulum Tornacense specialis ordinatio super regimen domorum emeritorum, bonorum puerorum et sacerdotum introductione.

Philippo successit Michaël de *Warenghem*, scholasticus Tornacensis, in episcopum consecratus anno MCCXLIII⁴. Iste excommunicavit comitem Flandriae in festo omnium sanctorum in aula Insulensi. Item fecit erigi patibulum supra altiores muros Pratelli, domus episcopalis Tornacensis versus forum; pro eo, quod cives nolebant permittere quod quidam malefactor educeretur extra curiam episcopalem ad jurisdictionem temporalem episcopatus, in mortem mercedem recepturus. Item, iste fecit construi castrum et turrim de *Helcim*. Item, ordinavit scholasticum Tornacensem qualibet hebdomada debere legere in altera majorum facultatum, propter quod assignavit dicto scholastico certos annuos redditus a cellario percipiendos, et in officiis cellarii et refectorii suum anniversarium opulenter fundavit, ut habetur xvij^o kalendas Decembris.

Michaëli successit Johannes de Wassonia, de stirpe regali Francorum descendens, primo archidiaconus Brugensis, deinde consecratus in episcopum Tornacensem anno MCCCCLIX⁵. Iste, de consensu capituli, fecit aedificari capellam in honore sancti Ludovici, regis Franciae, et in eadem instituit

¹ *Buchiau* vel *Buchiel* vocat *Gallia Christ.*

² Omisit auctor hic Johannem *d'Enghien*, successorem Johannis *Buchel*, promotum anno MCCLXXIV ad episcopatum leodiensem.

³ Error est manifestus, lege MCCLXXV.

⁴ Lege MCCCLXXXIII.

⁵ Lege MCCXCII.

duos perpetuos capellanos, et ad decimam de *Menin* eorum fructus assignavit. Pro anniversarii sui celebratione refectorio contulit v° libras, et ad redditus comparandos, prout habetur, quarto kalendas Aprilis.

Johanni successit Guillelmus¹, filius comitis de Ventadorio, Lemovicensis, monachus ordinis sancti Benedicti, per papam promotus. Iste pauca fecit notanda; habuit lupum in tibia et *Wasenmes* morabatur, fundavitque debiliter anniversarium suum, ut xvj° kalendas Junii continetur. Et eidem successit² Andreas de Florentia, consiliarius regis Franciae, per papam promotus in episcopum Tornacensem, deinde in cardinalem. Iste, tempore episcopatus sui, movit capitulo magnam litem super punitione et correctione clericorum extraneorum in ecclesia vel coemeterio ecclesiae Tornacensis delinquentium, quae tandem per concordiam fuit sopita, sicque dicta correctio totalis commissa fuit thesaurario ecclesiae praedictae, sub nomine dignitatis, ut habetur per litteras super hoc confectas. Iste fundavit anniversarium in refectorio, et certas distributiones faciendas in festis nativitate Mariae et sancti Andreae, pro quibus dedit quamdam decimam apud *Rie-merch*, in parochia de *Menin* currentem, ut habetur quarto nonas Junii. Obiit anno MCCCXLIII, et sepultus est Florentiae in ecclesia S. Benedicti, prope palatium civitatis, quam ipse de bonis suis fundavit.

Andreae successit Petrus de Foresta, consiliarius regis, qui fuit per papam confirmatus. Dicto Petro successit Johannes de Pratis oriundus de territorio Belvacensi, consiliarius regis Franciae, per papam confirmatus anno MCCC....³ Iste movit capitulo gravem litem pro apertura graduum capellae S. Vincentii et accessu ad ecclesiam per eosdem gradus. Item, iste ordinavit singulis diebus missam cum nota hora prima ante imaginem Nostrae-Dominae de beata Virgine celebrari. Item ordinavit tria anniversaria certis diebus fieri in refectorio, pro quibus omnibus adimplendis dedit medietatem decimarum redditus et proventuum villae de *Noyelle*, in territorio Insulensi, sicut per litteras super hoc confectas continetur, et in ejus anniversario quod idibus Junii habetur.

Johanni successit Philippus de Arbosio, Burgundus, consiliarius Ludovici de *Male*, comitis Flandriae, primo curatus de *Bewvri*, prope Bethuniam,

¹ Omittuntur hic Guido de *Boulogne* et Helias de *Ventadour*. *soire*, vita functus eodem anno quo fuerat electus.

² Immediate successit Theobaldus de *Sau-* ³ Deest numerus.

deinde eleemosynarius dicti comitis, postea Noviomensis et tandem Tornacensis episcopus, qui viriliter defendit jura episcopalia et fecit aedificari ecclesias ac monasteria, videlicet Cartusiensium, prope Tornacum, eremitarum S. Augustini in Tornaco, et B. Mariae novae in oppido Insulensi. Item, fundavit unam praebendam in ecclesia S. Donatiani Brugensis. Item, unam perpetuam capellaniam altarium sedentem in ecclesia Tornacensi. Item, instituit decantationem ante *Salve Regina*, in choro cum certa distributione. Item, processiones post nativitatem Domini cum decantatione de *Inviolata*, et post Pascha de *Regina coeli*, cum sonagio majoris campanae et indulgentiis apostolicis personis eisdem processionibus interessentibus. Item, dedit refectorio xiv^o scuta de cuncto domini Johannis, regis Franciae, in bursa dicti officii perpetuo remansura, ad finem quod dictum officium valeat singulis septimanis personis chori de suis anniversariis et lucro satisfacere. Item, dedit thesaurario calicem aureum cum patena. Item, pelvim et urceolum argenteos cum pluribus ornamentis. Item, fundavit xij solemnes obitus in principio cujuslibet mensis, cum sono duarum majorum campanarum celebrandos, pro quibus omnibus speciales et sufficientes redditus consignavit. Iste abunde et laute vixit largas eleemosynas pauperibus erogavit, et de residuo bonorum suorum in loco de Arbosio, in comitatu Burgundiae, unde ipse erat oriundus, est ecclesia collegiata xij canonicorum secularium cum caeteris personis redditibus, et bonis rebusque et ornamentis necessariis et decentibus opulenter dotata. Cujus anniversarium celebratur sexto nonas Julii.

Philippo successit Petrus de Auxio, canonicus Tornacensis per capitulum electus, confirmatus anno MCCCLXXVIII. Quo tempore exortum est in ecclesia universali pestiferum schisma, quod annis fere xl duravit post obitum Gregorii papae XI. Eodem etiam tempore viguerunt in Flandria guerrae gravissimae, Gandensibus et pluribus de Flandria cum eis contra Ludovicum de *Male*, comitem Flandriae, saevientibus. Ita quod interdum in obedientia matricis ecclesiae Tornacensis nihil habuit pro tunc dictus episcopus nisi Tornacum, et ejus ballivatum cum ejus pertinentiis, nam tota Flandria cum castellaniis Orchiensi et Insulensi, obedivit intruso, matrice eorum ecclesia derelicta et in alia obedientia existente. Et ob hoc idem Petrus quamplurima sustinuit incommoda et injurias non modicas pro obedientia recuperanda. Quam tandem apud Insulam et *Orchies* recuperavit, schismaticos defunctos exhu-

mando et eorum sacramenta comburendo ; postea Parisius per suos servitores deprædatus obiit et sepultus est in ecclesia minorum.

Ibidem ei successit Ludovicus de Trimollia, consiliarius domini Philippi senioris, ducis Burgundiae, per papam Clementem VII promotus, qui dicti domini ducis comitis Flandriae auxilio, quasi totam Flandriam ad obedientiam matricis ecclesiae Tornacensis cum multis laboribus et expensis reduxit, deinde Parisiis obiit, sepultus in ecclesia praedicatorum. Cui successit Johannes de *Thoisi*, praedicti Philippi necnon Johannis et Philippi Burgundiae, ducum et comitum Flandriae, successive consiliarius, primo Autissiodorensis, deinde Tornacensis episcopus per papam Johannem XXIII promotus, anno MCCCC. Cujus tempore praedictum schisma sopitur, nam Martinus papa quintus in concilio Constantiensi Moguntinensis provinciae assumitur. Item, anno MCCCCXXIII, in profesto sancti Medardi, populus Tornacensis assumpsit auctoritate propria et erexit vexilla sua, decanos officiorum ordinando et sibi quasi totaliter jurisdictionem attribuendo et assumendo. Decimas vinearum et hortorum ultra Scaldam et foragia vinorum ex dictis vineis provenientium, quadam die a capitulo vi et minis sibi dari et perpetuo remitti sibi procurarunt. Nemine canonicorum tunc in capitulo audente contradicere, propter metum eidem incussum, super quo dicti decani diversis vicibus requisiverunt sibi litteras concedi et dari, quas tandem habere nequiverunt. Item et eodem tempore pluribus annis coloni Tornacenses, praetextu dictorum vexillorum decimas majores et minores, tam citra quam ultra Scaldam, et braxatores multuram brasii et foragia quatuor lotorum, pro centenario numero debita, de facto solvere renuerunt et sibi retinuerunt. Populus etiam Tornacensis, sine exceptione personarum viros ecclesiasticos laicorum servientibus subegit. Ita quod sicut populus ita et sacerdos. Iste dedit thesaurariae Tornacensi unam imaginem Nostrae-Dominae argenteam ponderis xx marcharum vel circiter. Item, dedit officio refectorii pro suo anniversario celebrando quamdam partem in decima de *Helsenghem*, videlicet medietatem quam paulo ante ejus obitum emerat et admortizari procuraverat. Cujus anniversarium celebratur secundo nonas Junii.

Dicto Joh. de *Thoysi*, successit Joh. de Haricuria, primo Ambianensis, deinde Tornacensis episcopus, per papam promotus anno MCCCCXXXIII. Qui tamen paulo post per dictum papam ad prosecutionem Philippi, ducis Burgundiae et comitis Flandriae, volentis ad dictum episcopatum Torna-

censem Johannem *Chevroti*, ejus consiliarium promovere, translatus fuit ad archiepiscopatum Narbonensem, et ad dictum episcopatum Tornacensem dictus *Chevroti* promotus. Cui translationi dictus de Haricuria aliquibus annis nolens consentire, remansit in Tornaco, subtracta sibi obedientia in Flandria et alibi, extra Tornacum et ejus ballivatum, et duravit controversia usque ad annum XXXVIII, qua occasione ecclesia Tornacensis passa fuit multa incommoda, damna et expensas. Tandem dictus de Haricuria consultus suae translationi consensit, victus tamen vexationibus et quasi invitus, sibi aliquibus refusus expensis, ad quam refusionem expensarum pro bono pacis civitas et ecclesia Tornacensis contribuerunt. Dicto de Haricuria sic translato ad archiepiscopatum Narbonensem, remansit unicus et pacificus Johannes *Chevroti*, consiliarius Philippi, ducis Burgundiae et comitis Flandriae, episcopus Tornacensis, ut supra dictum est, per papam promotus. Iste dedit ecclesiae Tornacensi primo unam imaginem sancti Johannis evangelistae, argenteam et deauratam ponderis....¹ marcharum. Item, unam notabilem et magnam crucem argenteam et deauratam cum toto Crucifixo, faciebus et imaginibus beatae Virginis, et beati Johannis evangelistae, de puro auro esmailliato, ornatis lapidibus pretiosis. Item dedit notabilia ornamenta, cappas vj, casulam cum tunicilibus, ut contra, de panno albo aureo. Item, dedit *Speculum historiale* in iiij voluminibus, Guillelmum de Universo et Henricum *Boic*, in duobus voluminibus². Item, fundavit suum anniversarium opulenter super decima de *Mouvanla*, fundavitque festum duplex beati Hippolyti, fundavit etiam singulis diebus missam coemeterii post matutinas in altari de requie, retro majus altare, et fundavit distributionem denariorum ad omnes horas, tempore adventus et a septuagesima usque ad caput jejunii. In suo vero testamento legavit eidem ecclesiae, ad ampliandum et augmentandum distributiones denariorum ad horam, ij^m et v^c scuta auri in redditibus implicanda. Omnia vero arreragia sibi ad causam novallium debita fabricae dictae ecclesiae donavit, legavit et unam notabilem casulam panni aurei de veluto de *cramoisi* ad serviendum in celebratione suarum missarum. Etiam legavit duo notabilia gradualia cum duobus sequentiariis:

¹ Numerus deest. In margine codicis, manus sec. XVII additur: Ille idem epis. Johannes *Chevroti* aperuit feretrum et visitavit corpus sancti Piatii, martyris, in ecclesia collegiata Sicliniensi,

anno 1458, 25 Maii, cui praesens adfuit dom. Dionysius de *Farais*, abbas Cysoniensis.

² De his auctoribus cons. Trithemium §§ 480 et 671.

Sexagesimus sextus succedens Johanni *Chevroti*, Tornacensis episcopus factus est Willelmus, Tullensis episcopus, consiliarius magni ducis Philippi, Flandriae comitis, etc., qui fuit abbas sancti Bertini in *Sithiu* villa, praesentatus per dictum ducem. Hic frequenter ad provincias diversarum regionum nomine Philippi ducis directus, orationes lepidas peroravit, si quidem et ipse peritus in arte et canonico jure suo tempore non inferior aestimandus. Composuit librum egregium de Vellere aureo ¹. Haec inter caetera magnifica, quae gessit in episcopatu, fundavit in ecclesia Tornacensi festum duplex beati Bertini abbatis, necnon diem obitus sui. Dedit etiam ornamenta pretiosa, casulam, dalmaticas et cappam purpurei coloris, dedit etiam tabulam ad majus altare congruam, quae apponitur altari in festivitatibus beatæ Mariae, quae artificiose facta est cum acu, opere polito ex auro puro cyprico et serico. Qui etiam ad honorem Dei commissam sibi ecclesiam S. Bertini multis ampliavit divitiis, in qua sepultus. Fecit oratorium et aulam exstruxit in honorem Philippi, ducis qui visitare locum non parum delectabatur. Post cujus ducis obitum unus ejus filius et successor, Karolus dux, bello metuendus, diaetas saepe suas ibi statuit parlamentandi, tractandi conveniendique cum suis adversariis, quorum protensae materiae forsitan aures offenderent, si recitarentur. Praefuit autem circiter xvj annis, obiitque Gandavi ² et sepultus est in ecclesia S. Bertini, cujus epitaphium exstat :

Abbas quisquis erat, clara Willermus in alba,
 Hoc jacet in templo, cui bona multa tulit.
 Viriduni fuit hic praesul Tullique deinceps,
 Indeque Tornaci per pietatis opus.
 Hic ducis invicti Burgundi in sede Philippi
 Consilii primus, qui bene nosset, erat.
 Sic omnes morimur, sed virtus sola beatos
 Efficit. Illa, comes, teque Guillerme, beat.

Sexagesimus septimus Tornacensis episcopus Willermo, succedens erat Ferricus, de Clugniaco protonotarius, in episcopum Tornacensem consecratus a Sixto papa IV, anno MCCCCLXXIII. Data in hoc versu habetur :

PraesUL FerrICUs preCor Ut faC fiat aMICUs.

¹ Willelmus *Filatre* alias *Delatre* scripsit gallice duos libros de *Aureo Vellere*, excusos primum Parisiis in-f^o anno 1517.
² *Brugis*, juxta *Gall. Christ.*

Hujus frater, nomine Guillelmus, erat coadjutor perpetuus Morinensis, vivente episcopo Morinorum, Henrico de Lotharingia, sed cum accusatus esset cum aliis Gandavi, capitali sententia puniendus, occasione regiminis sub duce Karolo, relicta Flandria, devenit ad Ludovicum regem Francorum, qui eum in episcopatum Ebroicensem praefecit. Iste Ferricus ad altiora tendens factus est cardinalis tituli S. Vitalis, ut manus evaderet malignantium in Flandria, praecipue Brugensium, a quibus in quadam commotione captivus retentus parumper exstitit. Guerras fugiens, Romae se recepit, galeroque suscepto, ut fertur, extoxicatus est. Cujus morte cognita, cardinales commendaverunt magistrum Johannem *Monissart*, decanum ecclesiae Morinensis, qui cum praefato Ferrico ascenderat, cui illico summus pontifex Sixtus episcopatum tradidit et confirmavit.

Sexagesimus octavus Tornacensis episcopus Ferrico succedens erat dominus Johannes *Monissart*, per papam Sixtum quartum promotus et confirmatus, in urbe Roma existens anno MCCCCLXXXII. Et cum ad notitiam capituli Tornacensis nova de morte Ferrici pervenirent, capitulum volens ignorare promotionem dicti Johannis, instinctu regis Francorum Karoli, et vigore pragmaticae sanctionis elegit dominum Ludovicum *Pot*, monachum ordinis S. Benedicti, qui assequi non valuit episcopalem benedictionem, obstante Romana curia. Ipse vero dominus Johannes nunquam introitum suum in Tornacum fecit, sed semper in urbe manens obedientiam tantummodo habuit in Flandria, et non sub regno. Anno autem Domini MCCCCXCI¹, xviiij die Augusti migravit a seculo, sepultusque est in ecclesia beatae Mariae de populo, juxta praedecessorem suum Ferricum, cardinalem tituli S. Vitalis.

Sexagesimus nonus episcopus Tornacensis, succedens Johanni *Monissart*, factus est dominus Anthoniotus, cardinalis tituli sanctae Anastasiae, per papam Innocentium octavum promotus in urbe, anno Domini MCCCCXCI². Et de dicto domino cardinali sanctae Anastasiae, assecutus est dictum episcopatum Tornacensem dominus Petrus de *Quike*, Gandensis, abbas S. Amandi in Pabula, et successive et alternatis vicibus habuerunt recredientiam fructuum in partibus Franciae ipse et Ludovicus *Pot*. Tamen ipse de *Quike* consecratus est in episcopum Tornacensem sub titulo ecclesiae Tornacensis, et diu prae-

¹ *Gall. Christ.* MCCCCLXXXIV.

² *Ibidem*, MCCCCLXXXIV.

valuit, sed defuncto Ludovico *Pot*, capitulum Tornacense elegerunt episcopum de mandato regis Franciae eligendum dominum ac magistrum Karolum *Du Haultbois*, anno Domini MDV. Quo facto dominus Petrus de *Quike* cessit episcopatu, ad requestam principis ac regis Castellae, mediante annua pensione II^m florenorum, et fuit schisma a morte Ferrici, usque ad tempus praesens, xxij annorum spatio. Annuat Deus pacem et unionem in ecclesia sponsa sua. Domino Karolo *Du Haultbois* successit in episcopatu Tornacensi dominus Ludovicus *Guillard* Parisiensis, per resignationem domini Karoli praedicti; quam resignationem dominus papa Leo decimus confirmavit ac eum super aetate et aliis dispensavit, qui accepit possessionem, die mensis Augusti anno MDXIII ¹.

Domino *Guillard* ² successit dominus Karolus A Croyo (*De Croy*).

Praedicto Karolo coadjutor praefuit dominus Guilbertus *D'Ognyes*, Tornacensis episcopus, anno Domini MDLXV, qui peste sublatus Cortraci, anno MDLXXIV in Augusto, sepeliendus translatus est in ecclesiam suam Tornacensem.

Antedicto domino Guilberto *D'Ognyes*, successit in episcopatu Tornacensi dominus Petrus *Pentaflour* Casletensis, antea officialis et postea decanus: confirmatur anno MDLXXV ac mortuus anno MDLXXX xi Aprilis, sepelitur in dicta ecclesia.

Domino Petro *Pentaflour* successit dominus Maximilianus *Morillon*, patria Lovaniensis, juris utriusque licentiatus, denominatus a rege Hispaniarum Philippo II, anno MDLXXXII, aetatis anno LXII, antea ecclesiae collegiatae S. Petri Ariensis praepositus. Consecratur in ecclesia cathedrali B. Mariae Tornacensis ab illustrissimo domino Ludovico de *Barlaymont*, archiepiscopo Cameracensi, xviii Octobris MDLXXXIII, assistentibus reverendissimo domino Remigio Druitio, Brugensi episcopo, et reverendo domino abbate S^u. Guisleni. Obiit, xxvii Martii MDLXXXVI.

Hujus successor dominus Johannes de *Vendville*, Insulensis, doctor et professor juris, Philippi II Hispaniarum regis consiliarius. Qui electus in episcopum Tornacensem, tempore Sixti Papae V, praevia consecrationis solemnitate,

¹ Finis chronicae. Quae sequuntur, temporum successu addita sunt, et variis manibus exarata.

² Sub episcopatu Lud. *Guillard*, Tornaco po-

titus est Henricus VIII, rex Anglorum, qui episcopum nominavit celebrem Wilh. *Wolsey*; hic postea cessit episcopatu, sed partem non exiguam reddituum sibi retinuit.

sex septimanarum spatio Duaci solitarie vivens, se disponit orationibus, meditationibus aliisque piis exercitiis ad tantum onus episcopale aggrediendum, illudque rite obeundum ad majorem Dei gloriam, animae suae salutem et ovium sibi commissarum. Post confirmationem a summo pontifice, consecratur in ecclesia abbatali S. Martini ab illustrissimo domino de *Berlaymont*, archiepiscopo Cameracensi, xxix Maii MDLXXXV¹, sibi assistentibus reverendissimis dominis Mattheo *Moulart*, episcopo Attrebatensi, et episcopo Chalcedonensi, sedis metropolitanae Cameracensis suffraganeo. Administrationis suae diebus, bis Romam ivit ad summum pontificem pro bono dioecesis et ecclesiae Tornacensis, nec non ob augmentum piarum congregationum et conventuum religiosorum ac diversarum nationum pro fide in Belgio exulantium. Tandem plenus meritis cum magno sui desiderio obdormivit in Domino, xv Octobris MDLXXXII².

Mortuo domino Johanne de *Vendville*, Philippus, Hispaniarum rex, pro successore et administratore episcopatus Tornacensis Clementi VIII praesentandum voluit et nominavit illustrissimum dominum Ludovicum de *Berlaymont*, archiepiscopum Cameracensem, tunc ob bella et tumultus Belgicae exulem, quam administrationem produxit ad triennium. Excessit e vita xv Februarii MDXCVI Montibus Hannoniae, ibique sepelitur in capella B. Mariae Magdalenae, quam prius aedificaverat in conventu sororum S. Augustini.

Successit in episcopatu dominus Michaël *D'Esne*, dominus temporalis de *Bethencourt*, anno MDXCVII consecratus in ecclesia monasterii S. Martini Tornaci, per illustrissimum dominum Octavium, nuntium apostolicum, septima die mensis Decembris, assistentibus in consecratione reverendissimis dominis Petro *Damant*, episcopo Gandensi, et Petro *Simoens*, episcopo Yprensi, anno xvij suae administrationis episcopalis, prius munitus viatico et sacri olei unctione, die festo sancti Michaëlis archangeli, xxix Septembris, post varia pietatis opera moritur primo Octobris, die sancti Pii, Nerviorum apostoli, anno Domini MDCXIV.

Dominus Maximilianus Villani a Gandavo, filius Maximiliani comitis *D'Isenghem*, gubernatoris Insulensis, successit reverendissimo domino Michaëli, consecratus dominica quarta Quadragesimae, vulgo dominica *Lactare*, xiiij^o Martii, anno MDCXVI. Vixit in episcopali dignitate annis bis quatuordecim,

¹ *Gall. Christ.* MDLXXXVIII.

² *Ibidem*, MDXCII.

scilicet viginti octo annis, et plenus dierum obiit xxix Novembris, vigilia S. Andreae apostoli, MDCXLIV.

Illustris et reverendissimus dominus Franciscus Villani a Gandavo, ex comitibus *D'Isenghem*, nepos defuncti reverendissimi domini Maximiliani, et in episcopatu successor, consecratur Bruxellis, die sancti Eligii etiam episcopi Tornacensis, prima Decembris MDCXLVII. Solemni processione ingressus est ecclesiam suam cathedralem B. Mariae Virginis Tornacensis, eodem anno, xv ejusdem mensis, dominica iij Adventus, alias dominica *Gaudete*. Adhuc modo vivens anno regiminis tertio, MDCXLIX ¹.

¹ In catalogo MS. D. Gerard, n° 1793 MSS. bibliothecae regiae Brux., pag. 263 tertii voluminis, analysin invenimus chronici Tornacensis, in omnibus huic nostro similis, si tamen nonnulla sub finem excipiuntur.

FINIS.

CHRONICON
BALDUINI NINIVIENSIS,
EX AUTOGRAPHO.

AVERTISSEMENT.

Comme la plupart des chroniques, celle de Baudouin de Ninove a peu de valeur pour les premiers siècles, dont elle retrace les événements d'après Sigebert de Gembloux, et avec la partialité connue de cet écrivain dans le récit des longues divisions entre le sacerdoce et l'empire. Ce n'est qu'à l'époque où l'auteur a dû voler de ses propres ailes, que son ouvrage acquiert une importance véritable, qui a porté les André Duchesne ¹, les Kluit ² et les Bouquet ³, à le consulter et à en citer des fragments dans leurs écrits.

Charles-Louis Hugo, abbé d'Estival, en Lorraine, et évêque *in partibus* de Ptolémaïde, affirme dans son principal ouvrage, qu'il a cru rendre un service signalé aux sciences historiques en publiant le travail de Baudouin : *tanto fraudatam bono rempu-*

¹ *Maisons de Guines, d'Ardres, de Gand, etc.* Preuves, pag. 666.

² *Codex diplom.*, pag. 91.

³ *Recueil des hist. de France*, tom. XIII, pag. 736.

*blicam nupera editione ornavimus*¹, quoique cette assertion ne soit pas d'une exactitude rigoureuse. Il est vrai que dans les *Sacrae antiquitatis monumenta historica et diplomatica*, dont le premier volume a été imprimé à Estival en 1725, et le deuxième à St-Dié en 1731, on trouve au tome II la chronique de Baudouin de Ninove; mais elle y a été insérée par dom Jean Blanpain, que l'abbé Hugo s'était donné pour collaborateur à cet ouvrage, et dans lequel il trouva depuis un censeur aussi vif que judicieux.

L'extrême rareté de la collection dont cette chronique fait partie, nous faisait un devoir de lui donner une place dans notre recueil : nous le remplissons d'autant plus volontiers, qu'ayant pu nous procurer le manuscrit autographe de Baudouin, nous avons vu qu'il contenait des additions intéressantes, négligées par le savant bénédictin². C'est un petit in-4^o, écrit sur parchemin d'une main assez ferme, avec un petit nombre d'initiales coloriées et quelquefois ornées d'arabesques. Sur un des feuillets de garde, on a eu soin de noter qu'en copiant d'une manière trop servile Sigebert de Gembloux, l'auteur s'est rendu complice de sa partialité contre saint Grégoire VII et Pascal II. Demeuré jusqu'à la fin du XVII^e siècle dans la bibliothèque de l'abbaye de Ninove, ce précieux monument de notre histoire appartient aujourd'hui à M. F. Vergauwen, ancien membre de la Chambre des Représentants, qui a eu l'obligeance de nous le communiquer.

Nous n'avons que bien peu de détails biographiques sur l'auteur. Religieux et diacre à l'abbaye de St-Corneille et St-Cyprien de Ninove, Baudouin s'y appliqua aux sciences ecclésiastiques, comme on les entendait alors, par les conseils de l'abbé Jean de Hartbeke, et mourut dans son monastère, à ce qu'assurent Foppens et Gram-

¹ *Sacri et canonici ordinis Praemonstratensis annales*, tom. II, col. 375.

² Voy. *Bulletins de la commission d'hist.*, tom. II, pag. 327.

maye, en 1294. Si cette année, à laquelle finit sa chronique, est aussi celle de sa mort, il doit avoir vécu cent huit ou cent dix ans, car il rapporte, à l'an 1191, qu'il a vu alors, étant enfant, *cum puerulus essem*, une éclipse de soleil.





CHRONICON
BALDUINI NINOVIENSIS,
EX AUTOGRAPHO.



**INCIPIUNT CHRONICAE FRATRIS BALDUINI DIACONI, CANONICI NINOVIENSIS,
AB INCARNATIONE DOMINI INCHOANTES.**



Seculi aetas sexta inchoat, peractis ab origine mundi, secundum Hebraeos, annis quinque MDCCCCLII, secundum lxx vero interpretes quinque MCXCIX, et secundum Graecos quinque MD. Anno Octaviani Augusti XLII, Olympiadis CXCIV, anno ab urbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo, regni Herodis XXX^o, Christus Jhesus annuntiatus est, et nocte dominicae diei natus. Christus in templo praesentatur, a magis adoratur, et tunc facta est Epiphania viij idus Januarii, id est illustratio per stellam quasi desursum factam. Quo mox in Aegyptum ducto, infantes ab Herode trucidantur.

Alii hoc anno adoratum a magis putant, quia mox transductus in Aegyptum in templo praesentari non potuit, quia absens erat, quod etiam bimatus interfectorum ostendit. Herodes, uxore et tribus filiis interfectis, violentia

morbi se quoque petiit. Quo defuncto, succedit Archelaus, regni et paternae nequitiae haeres effectus.

Christus ab Aegypto revocatus, in Nazareth parentibus subditus habitat, monstratur petra, in qua xxij annis noctibus recubuisse, diebus vero sedisse memoratur. Cujus fragmenta inter sanctorum reliquias cruce signati digne venerantur et peregrini. Augustus, cum ludos spectans dominus appellaretur, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, dominumque se posthaec a nemine appellari vel serio vel joco passus est.

Christus Jherosolymis in medio doctorum sedit, audiens eos et interrogans, et parentibus sollicitis Patris voluntatem indicat, in his inquit : « Quae Patris mei sunt, oportet me esse. » Archelaus apud Augustum accusatus, quia imperio insolenter abuteretur, in Vigenna perpetuo exilio relegatur, et regnum ejus per tetrarchias quatuor in ejus fratres dividitur.

Augustus moriens, amicis coram se lamentantibus, dixit : « Ne flete sed mihi congaudete, Romam inveni lateritiam, relinquo marmoream; mundum offendi ferreum, effeci aureum, in ortu meo pax, in fine salus mundo advenit. » Quod utique de Christo prophetans dixit. In hujus funere clamatum est ab omni populo : « Talis vir aut nunquam erit aut nunquam morietur. » Imperavit autem annis LVII. »

Tiberius, privignus Augusti, succedit. Cui cum magna modestia imperium gubernanti cum praesides suggererent, ut tributa provinciarum auget, rescripsit boni pastoris esse tondere pecus, non deglobare. Interrogatus quomodo et cur villicos raro permutaret, reddidit similitudinem vulnerati, de quo muscae non sunt abigendae. Hic legatos nec facile suscipiebat, nec cito dimittebat, ne plures venire incitentur, et frequentia legatorum molestiam inquietudinis apporet et facilitas levitatis fiat occasio.

Ovidius, quem Augustus propter tres amatorios libros relegaverat, periit in exilio, et juxta oppidum Thomis insigni sepultura honoratur. Virgilius vero, anno Augusti xxv^o Brundisii mortuus, Neapolim transfertur, cui hoc superscribitur epitaphium :

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope : cecini pascua, rura, duces.

Horatius, xxxiv^o ejusdem anno, Romae moritur. Cicero primo ejusdem anno, jubente Antonio, interficitur.

Pilatus, Judeae procurator, a Tiberio dirigitur. Qui adveniens operas imagines Caesaris nocte Jherosolymis intulit, sed populo tumultuante et clamante se magis velle interfici quam legem, ille imagines removit.

Pilatus, thesaurum qui *Corbanan* dicitur, in exstructionem aquaeductus expendi jussit; populo autem tumultuante, milites privatorum vestibus indutos immisit et magna caede compescuit. Christus Jhesus a Johanne in Jordane viij idus Januarii baptizatur, et adjuncta est ad epiphaniam theophania quae in baptismo quasi a Deo, hoc est a patre, facta est. Christus, xij tantum diebus tricesimi anni peractis, baptizatus est, et secundum hoc vixit tantum xxxij^s annis, quia eadem die, revoluto anno, convertit aquam in vinum. Et in sequenti Pascha, id est in Pascha tricesimi primi anni, incarceratus est Johannes, et in sequenti Pascha decollatus, et in tertio Pascha, id est tricesimi tertii anni, passus est Dominus. Chrysostomus tamen in homilia x super Matthaeum videtur velle Christum vixisse annis xxxij, et tantum de quarto quantum est a natali Domini usque ad viij kal. Aprilis.

Christus vendentes de templo eliminat in dominica Palmarum, in qua, ut puto me legisse, et Josue sicco vestigio cum Hebraeis Jordanem transivit. Hic notandum quod dominico die Adam ejectus est de paradiso, Hebraei tenebras canopicas exeuntes mare rubrum submersis Egyptiis transierunt, Ezechias, peremptis ab angelo Assyriis, de manu Sennacherib liberatus est, Christus natus est et resurrexit: die vero Pentecostes, Moyses cum omni multitudine in Synai Dominum loquentem ex nube audivit, Spiritus Sanctus in igneis linguis super discipulos apparuit: hoc anno, Dominus aquam convertit in vinum et adjuncta est bethphania quasi in domo facta.

Herodes Antipas, tetrarcha Galilaeae, Johannem Baptistam decollavit. Dominus de panibus turbam pavit viij idus Januarii, et addita est epiphaniae, theophaniae, bethphaniae, phagiphania, attestante Beda super Lucam (a *phagein* quod est comedere), et sic quatuor festa concurrunt. Herodes Agrippa ad Tiberium veniens pro favore Caii catenatus est, Jhesus Christus Lazarum suscitavit et ipso anno pro redemptione mundi crucifigitur, in cujus morte tam verissime nox facta est, ut neque lunam lumini solis, quia xiv^a erat, neque nubes obstitisse manifestum sit, quia stellae apparuerunt et sicut dictum est:

Impiaque aeternam tinnerunt secula mortem.

Eodem anno, Stephanus lapidatus est iij^o non. Augusti, quando inventio

sua celebratur, quae tamen facta est quo die passio ejus agitur. Passio tamen translata est, tum quia dignior est, tum quia decuit primum martyrem post Christum primo post ipsum poni.

Paulus de coelo vocatus legitur quoque primo anno dominicae passionis, quod sustinetur si de anno emergenti intelligatur, quanquam de secundo anno, quod de anno vivali verum est, qui a kalendis Januarii computatur.

Pilatus ad Tiberium scribit quae de Christi vita et miraculis cognoverat; legitur quod Tiberius a lepra mundatus est per imaginem Veronicæ, tactu Christi a fluxu sanguinis sanatae, cui suam formam suae faciei eam applicando Christus impresserat. Evocatum Pilatum ob vindictam Christi incarceravit: quem propriis manibus in carcere interemptum primo in Tiberim, post in Rhodanum submersit, ubi ab eventu contiguae civitatis inclyto nomine Vienna, quasi gehennae via, demum intra Alpes in abisso sine fundo praecipitatur. Legitur tamen in Romana historia, quod Pilatus sub Caio se ipsum peremerit gladio, quem miserat Caius mandans: « Agnosce quid merueris, » et quia imaginem suam in templum non intulerat.

Tiberius, deos consulens, et se ordinandi quem vellet arbitrio privans, invitus contra placitum desiderii sui Caium Caligulam successorem substituens obiit.

Hactenus annos incarnationis et vitae tantum Christi, prout eos invicem sibi succedere didici, solerter supputavi, deinceps vero non singulos vel singillatim quoslibet, sed quoti erunt in electione cujuslibet imperatoris a latere ipsius annotabo, quod videlicet modesto et discreto lectori sufficere poterit; quum quidem imperatorum et apostolicorum contemporaneitas, sicut regnare videbuntur, alternis lineis distinguetur, et si sufficerem ipsorum saltem apostolicorum vel imperatorum annos singulos quoquomodo secundum diversa chronica deducere successive, sanctorum martyrum, confessorum vel virginum, quos suo tempore interserere curavi, omnino tempora et anni disconvenirent, quorum certe in nullis archivis distinctionem dignam autumo inveniri.

Tiberius imperavit xxij annis cum dimidio, qui fidem Christi suscepit; et quia senatores ei non consenserunt ut Christo templum Romae fieret, suam et Christi injuriam severissime vindicavit.

Caius Caligula tribus annis et dimidio imperavit, vir omnium nequissimus, justo Dei judicio in regno constitutus, per quem superbam nequitiam Roma-

norum et Judaeorum blasphemiam contereret omnipotens Dominus. Huic ex insperato regnum obvenit, pessimus pessimo datus, ut nequitia sub stimulo gerneret et malus se malo pressus agnosceret. Matthaeus in Judea evangelium primus scribit. Herodes Agrippa occidit Jacobum, Zebedaei fratrem, Johannis gladio, cujus reliquiae in Hispaniam translatae sunt, et Petrum vinxit in carcere. Quo per angelum educto, mox percussus est, cum regnasset annis vij, apparente sibi bubone, de quo sibi praedictum fuerat, quod tamdiu regnaret, donec bubonem videret. Antiochiae primum discipuli Christiani appellantur, et fugato Symone mago, Petrus cathedram pontificalem per vij annos tenuit. Caius semetipsum inter deos refert, et stolis muliebribus palam usus, cum populum Romanum post multam caedem optasset unam cervicem habere, ut uno ictu omnium caput contereret, a Cerea in theatro Romae perimitur.

Claudius imperavit xij annis et dimidio, qui in principio regni sui clementiae maxima usus est arte. Omnium delictorum veniam concessit et oblivioni in perpetuum traxit. Iste Claudius Herodi Agrippae quartam tetrarchiam, id est Judeam, tradidit, qua accepta, apparente sibi illico bubone, periit. De pia virgine Maria in quibusdam libris me legisse memini, quod xv^o anno conceperit, et L annorum, anno ij post passionem Domini assumpta sit, cujus corpus xl die post assumptionem resuscitatum in superna gloria creditur collocatum.

Anno Domini xlv, Claudii vero secundo, Petrus ut Symonem magum impugnaret Romam venit, Linum et Cletum ibidem presbyteros et coadjutores ordinavit, et Clementem docuit. Hic nota tres tantum apostolos vivos Romae fuisse: Petrum, Paulum et Johannem, et tres evangelistas: Johannem, Lucam et Marcum. Sub Claudio divisio apostolorum legitur, quanquam de divisione ossium Petri et Pauli, secundum opinionem quorundam, constare non potuit, quia adhuc vivebant apostoli. Antequam dividerentur, transfigurationem Domini publicabant, die qua in kalendario recitatur, vij^o kalendas Augusti, quae tamen circa principium veris facta est, qua die evangelium ejus recitatur. Romae Valentinus presbyter pro fide decollatur, de quo ambiguum est utrum sub isto fuerit martyrizatus an sub Caio. Marcus Romae evangelium scribit. Ad Abagarum regem Edissae, ad quem Christus manu sua epistolam scripsit, Thadeus apostolus mittitur, ad quem ait: « Cum haec omnia complevero propter quae missus sum, mittam unum ex discipulis meis qui te sanet et faciat agnoscere veritatem. » In hac civitate Edissae nullus haereticus

vivere potest, nullus judaeus, vel idolorum cultor, nec barbari, lecta a juvene Christi epistola, eam invadere possunt.

Claudius expeditionem in Britannia movens, Orcadas insulas trans Britanniam in Oceano positas adjecit imperio. Fames in toto orbe praevaluit, quam Agabus propheta praedixerat. Regina Adiabenorum, Helena, ad fidem Christi conversa Jherosolymis largissime sanctis munificavit. Judaeis Roma per Claudium expulsis, tanta Jherosolymis in diebus azimorum orta seditio est, ut in portarum exitu, populo corruente, triginta millia Judaeorum perierunt. Phenix in Aegypto visus est, qui ibi DCLIV^o anno ex Arabis solet avolare. Claudius obit, qui veneno interiisse creditur ab Agrippina uxore sua sibi dato, quia filium suum Domitium, qui et Nero, a priori marito susceptum, in regnum sperabat sublimare; quae timens ne Claudius Britannico filio suo, quem ex alia uxore suscepit, regnum contraderet, ipsum, ut dictum est, veneno studuit praevenire. Philippus apostolus, xx anno post ascensionem Christi, lxxxvij annorum, in Neapoli, Asiae civitate, in pace quievit.

Nero imperium adeptus xiiij annis imperavit; aureis retibus et purpureis funibus piscabatur; ut dolore Trojanorum rememoretur, Romam vij diebus et noctibus ardere fecit, et quam Augustus marmoream se fecisse gloriabatur, effecit luteam. Matrem propriam et Octaviam uxorem suam, filiam Claudii interemit, sororem suam stupro polluit, patrem suum similiter stupravit, nullum vitium intactum reliquit. Primus Christianos persequitur; virum uxorem sibi, ipse viro uxor esse voluit, de quo Martialis poeta :

Tres simul in lecto : duo stuprum perpetiuntur,
Et duo committunt; quatuor esse putas?
Falleris externus, da singula, crimen et ipsum
Bis numera medium qui facit et patitur.

Nero dum coronaretur cornicines, cytharistas, tragoedos, aurigas, gladiatores, vario certamine superavit. Secundo Neronis anno, Paulus a Festo praeside Romam vinctus mittitur. Eodem anno, Tornacus civitas aedificatur, Nero Britannicum, filium Claudii, clam veneno peremit. Jacobus Alpei, episcopus Jherosolymorum xx^o anno post passionem Christi, de pinna templi praecipitatus fuste fullonis interiit; quem Josephus tantae sanctitatis virum commemorat, ut pro ea Jherosolymam destructam dicat. Post necem Jacobi statim Jherosolymorum obsidio subsecuta est. Romae Processus et Martinianus a Petro

baptizati. Marcellus quoque et Apuleus Symonem magum pro fide Christi relinquentes, et Ravennae sanctus Vitalis, pater sanctorum Gervasii et Prothasii, quos ei uno partu edidit Valeria, martyrizati sunt : unde et eosdem Gervasium et Prothasium hoc tempore Mediolani passos esse opinor xiiij kal. Julii, quod tamen non clare patet ex libro passionis eorum.

Marcus, evangelista, de tribu Levi, ne in sacerdotem promoveretur, pollicem manus sibi abscindens, Alexandriae ipso die Paschae ad loca Bubali tractus et discerptus est. Perseus xxix annorum a Nerone impotionatus moritur. Juvenalis satiricus claruit. Lucanus poëta, in conjuratione deprehensus, brachium ad secandas venas medico praebuit. Seneca tragicus, praeceptor Neronis, hausto veneno, periit. Hoc tempore passi sunt, xvj kal. Julii, Torpes martyr, et ix kal. Octobris, in Seleucia, Tecla virgo apud Yconiam civitatem, instructa a beato Paulo.

Anno a passione Domini XXXVIII, Neronis vero ultimo, Petrus Romae crucifigitur, qui xxv annis Romanae ecclesiae praesidens, nullum postea successorem habuit, qui tantum temporis in regimine expleret; cum quo et Paulus occubuit, Symone de aëris vacuo praecipitato. Nero sententia senatus adjudicatus, timore coactus, fuga lapsus est et in palude oberrans, fame et miseria constrictus, a lupis devoratus est, vel secundum alios semetipsum interfecit. Linus, coadjutor Petri, sub Nerone martyrizatus est. Ideo Linus et Anacletus ante Clementem ponuntur. Qui tamen statim post Petrum in cathedra sedit, quia illi quidem sub Petro adhuc vivente, sed ante Clementem, episcopi in urbe Roma (sicut et Cletus qui sub Domitiano passus est) et coadjutores Petri fuerunt. Atque ad hoc in linea apostolicorum Cletus non ponitur, tum quia de eo Jeronymus in chronicis omnino tacet, tum quia a tempore Petri usque ad persecutionem Domitiani, Clementis exstitit coadjutor in urbe. In quibusdam tamen chronicis Cletus xij annis sacerdotio functus post Linum ponitur.

Galba in Hispania creatus imperator, vij mense imperii, in medio foro capite truncatur. Otto, creatus imperator, cum Vitellio quem Germani elegerant bello confligens, cum suorum audisset militum confusionem, apud Brixenum semetipsum occidit.

Vespasianus, qui a Nerone magister militiae apud Judaeam missus fuerat, imperator ab exercitu appellatur, et bellum Tito filio commendans, Romam per Alexandriam proficiscitur. Qui milites ad sedandum disturbancelem

Romanorum praemisit ante se, cum quibus acriter et diu conflagens Vitellius, tandem amens et ebrius extractus de palatio ab eisdem jugulatur. Cujus luxuriae, teste Josepho, nec totum imperium suffecisset. Vespasianus, sub Tiberio praefectus Hispaniae, audita fama mortis Christi per Adrianum, nuntium Pilati, sanatur a vespibus qui de naso ejus scaturiebant, a quibus nomen accepit.

Beatus Petrus Apollinarem episcopum Ravennam misit, ubi et pro instantia praedicationis martyrizatus est, sicut et apud Capuam Rufus martyr, ejusdem Apollinaris discipulus, ij kal. Julii. Lemovigas S. Martialis in pace quievit; beati Petri discipulus, Andreas apostolicus, frater Petri, praedicavit per Scythiam et Achaiam, ibique in civitate Patras post caetera tormenta, in cruce suspensus et ligatus biduo supervixit, natalis ejus pridie kal. Decembris. Thomas Parthis et Medis evangelium Christi praedicans, lancea transfixus, passus est in India, ibique sepultus xij kal. Januarii. Bartholomeus in India evangelium praedicavit, et in Armenia majore vivens, decoratus est primo die, secundo decollatus, ix kal. Septembris, et postea corpus ejus Beneventum translatum est. Mattheus, apostolicus et evangelista, ex publicano a Christo electus, primum evangelizavit in Judaea et postmodum in Aethyopia, et passus est in Persia, percussus gladio xj kal. Octobris. Symon Chananeus et Judas, qui et Thadeus, frater ejus, e quibus Thadeus apud Mesopotamiam, Symon vero apud Aegyptum, traditur praedicasse; inde simul Persidem ingressi, cum innumeram multitudinem gentis ipsius ad Christum convertissent, martyrium consummaverunt v kal. Novembris. Matthias, de lxx discipulis unus, et pro Juda Iscariothi duodecimus inter apostolos subrogatus, sorte electus, cui datur evangelii praedicatione in Judaea, vj kal. Martii celebratur. Lapidato beato Stephano, persecutione in Judaea mota, Maximinus, unus de lxx discipulis, ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit, eamque apud Aquensem urbem sequens sepelivit, quae postea per Gerardum, comitem Burgundiae, ad Vizeliacum coenobium in Burgundia translata est. Legitur quod apud Ephesum integro corpore, nullum super se tegmen habens, requiescit Fautivianus, pater Clementis, pater Nicetae et Aquileae, quorum gesta admiranda habentur; frater fuit Clementis romani consulis, cujus soror Plautilla Nereum et Achilleum infantulos comparavit, qui postea martyres effecti sunt, xlij anno post passionem Christi, Vespasiani vero secundo. Titus, audito quod pater suus electus est

in imperatorem, prae nimietate gaudii, paralysi arreptus est. Quem princeps militiae Judaeorum, Josephus in Jotapata captus, hastam in coena callide opponens curavit. Vespasianus vero imperium moderatissime gubernans, turbida tyrannorum tempestate discussa, in brevi tranquillam serenitatem reduxit. Is obscure quidem natus, sed optimis comparandus, sub Claudio Germanos simul perdomuit. Hic Josephum a vinculis solvit, imo honoris causa manu sua ejus vincula praecidit. Titus filius ejus gloriam auxit, qui in militia strenuus, facundus quoque et pius fuit. Jherosolyma a Tito subversa, ipso maxime condolente, eodem quidem mense et die, quo pridem a Babyloniis templum concrematum est, id est x die Augusti, quod quidem a die conditionis primae usque ad hanc eversionem manserat annis MC et duobus. Capta vero civitas est viij die Septembris, viij mense obsidionis ejusdem. Quinquies prius capta, tunc iterum vastata est, occisis in ea fame et gladio secundum Josephum undecies centenis millibus, et captis centum millibus, quorum xxx congruo satis ludibrio Titus in ultionem Christi pro uno vendidit denario. In Pascha enim in Christo commissum, in Pascha est vindicatum. Ante urbis excidium haec signa visa sunt : supra civitatem sidus gladio simile stetit, cometes per annum apparuit, quadam nocte hora nona in templo usque ad dimidiam horam lux magna effulsit, bos ductus ad victimam in templo agnam peperit, Orientalis porta templi aenea, pessulis ferreis obserrata, de nocte subito sponte aperta patuit, in aëre visi sunt currus et armatae acies, in quodam vero Pentecosten noctis medio, in templo strepitu quodam facto, subito vox audita est dicens : *Migremus hinc!* Per quadriennium quidam plebeius, quasi insensatus et amens, per civitatem currens clamabat : « Vox ad templum! vox ab Oriente, ab Occidente, ab Aquilone, a Meridie! » multis quoque modis ingeminando : « Vae templo! vae Jherosolymis! »

Titus patri succedens, duobus annis et dimidio imperavit; tantus cultor justitiae fuit, ut quadam die in vesperum cibum recusaverit dicens, se coena indignum fore, qui illo die nil boni operatus sit; hic cum ingenti luctu morbo absumitur.

Domitianus, frater Titi, per scelerum gradus crescens, xv annis imperavit, deum se et dominum appellari jussit, aureas statuas in Capitolio sibi constituit; datis crudelissimis edictis, ecclesiam Christi convellere aggreditur, unde Johannem apostolum ab Epheso ductum in ferventis olei dolium misit, unde tam liber a poena exivit quam a corruptione carnis fuerat immunis. Lucas,

Syrus medicus, in Achaia evangelium scribit, quod a Paulo didicerat : hic sine uxore et filiis obiit in Bithynia, annorum lxxiiij, de quo dicitur : « Amictus sindone super nudo ¹, etc. » cujus ossa cum reliquiis Andreae Constantinopolim translata sunt. Romae Nicomedes presbyter sacrificare nolens, plumbatis ad mortem caesus est. Domitianus neptem suam Flavianam Domitillam, Clementis quoque consulis ex sorore neptem, cum eunuchis suis Nereo et Achilleo, quorum hortatu Aurelianus sponsum contempsit, in Pontiam insulam relegavit, atque posthaec capitali punivit sententia. Dionysius episcopus, Eleutherius presbyter et Rusticus diaconus, in Gallias ad praedicandum a Clemente papa directi, Parisius gladio caesi sunt. Quum Cletus, qui xij annis praefuit, sub Domitiano martyrio coronatus est, sub quo et Anacletus occubuit, patet utrumque ipsorum vel certe alterum non in plenitudinem apostolicae dignitatis vel potestatis, sed tantum in partem sollicitudinis evocatum. Si vero plenarie, neuter ipsorum summa apostolici sublimatus est potestate. Doctioris aestuo haurire iudicium, quomodo Petro Clemens immediate successisse et ad tempora Trajani pertigisse, et tamen tantum ix annis legatur praefuisse. Quod si omnino constare non poterit, vel annis etiam pluribus novem exponendum est praefuisse, vel certe Petro mediate successisse.

Hic notandum est quod Josephus Hebraeorum historiographus scribit, in penultimo versu libri vicesimi, se quinquagesimum sextum aetatis annum agere, in anno tertio decimo imperii Domitiani; unde quum indubitanter colligitur ipsum natum fuisse, anno circiter viij post passionem Christi, patet plane ipsum non fuisse Caypham, sub quo passus est dominus noster Iesus Christus. Domitianus nesciens in Christo Domini regnum confirmatum, quod nullo unquam hoste concuti poterit, posteritatem Domini delevit, ut nullus fere Judaeorum superesset. Qui suorum conjuratione occisus in palatio ignominiosissime sepelitur.

Nerva tranquillissimus lxx annorum imperat uno anno. Qui decreta Domitiani evacuans cunctos exules revocavit; unde Johannes evangelista, hac generali indulgentia liberatus, Ephesum rediit, ubi a fratribus rogatus de divinitate Christi novissimum evangelium scribit. Clemens papa sub Trajano martyrium complevit in mare praecipitatus, ubi templum marmoreum angelicis ei manibus praeparatum, mari quotannis recedente, a fidelibus visitatur.

¹ Evang. S^ti Marci, cap. XIV, v. 51.

Hic baptizandis ex doctrina beati Petri inunctionem addidit chrismatis et olei. Postea vero beatus Ambrosius, Damasus et Leo papae reliqua addiderunt. Nota quod baptizandus primo debet immergi recta facie ad aquam et versus Orientem, secundo capite verso ad Aquilonem, tertio ad Meridiem. Idem Clemens instituit pallas, vela et caetera ecclesiae vestimenta lavari intra sanctuarium a diaconis et humilibus ministris, quae etiam nec contingi vel offerri a non sacris hominibus possunt. Mortuos quoque his operiri non licet: item instituit laicos non ingredi presbyterium et ubi clerici sunt, quando missa celebratur.

Trajanus, a Nerva adoptatus in filium, ei succedit et imperavit annis xix cum dimidio, apud insignem Galliae urbem imperii insignia suscipiens, quam urbem, deductis in eam Romanorum civium colonis, Coloniam nominavit. Nam tres fratres olim fuerunt Agrippa, Gratianus et Nero, principes romani, quorum primus Agrippa Agrippinam fecit, Gratianus vero Aquisgrani, sic dictas quia calidos fontes ibi elaboravit, de quibus post cccc fere annos Karolus balnea fecit valde utilia. Iste Agrippa gener fuit Augusti. Julius vero Caius Gandavum aedificavit. Secundum quosdam, Trajanus errore deceptus Christianos persequabatur, donec per Plinium quem persecutorem fecerat comonitus scriptis lenioribus, mandavit hoc genus non inquirendum, oblatos tamen examinandos.

Johannes evangelista, anno post passionem Christi lxxvij, aetatis suae xcix, Christo junior septem annis, fundatis per Asiam ecclesiis, nullo dolore gravatus in Epheso requievit, viij kal. Julii, id est in nativitate beati Johannis Baptistae, sed cessit ei quod major inter natos mulierum non surrexit, et translatum est festum ejus, sicut in praecedentibus dixi de beato Stephano, ad tertium diem nativitatis Domini, ut omnes comites suos haberet sponsus qui candidus est et rubicundus. Symeon, filius Cleophae, propinquus Christi post Jacobum, Jherosolymorum episcopus, centum viginti annorum, crucifigitur, xij kal. Martii. Ignatius, Johannis discipulus, tertius Antiochiae post Petrum episcopus, Romam perductus, bestiis traditur. Romae Hermes vir illustris post carceris custodiam punitur gladio.

Trajanus pietatis et justitiae cultor praecipuus fuit. Quem in procinctu belli positum, cum jam ascenso equo pergeret, vidua interpellavit, ut eam vindicaret de eo qui injuriam faciebat, at ille: « Reversus de bello hoc faciam. » At illa: « Quid si in bello mortuus fueris? » Tum ille: « Faciet hoc

« ille qui post me regnabit. » Tum illa : « Quod ille facturus sit tu nescis. Nec hoc quidquam ad te, fac tu pro te quod tibi prosit. » Mox ergo equo descendens exercitum detinuit, donec illi satisfacit. Sanctus papa Gregorius primus, cum hoc et caetera pietatis ejus studia legisset, miseratus quod tanta ejus pietas in oblivione esset coram Deo, multum deflevit pro anima ejus. Quod licet omnino difficile erat, tamen a Deo in responsis accepit se exauditum, sed pro pagano orare ultra non praesumeret. Trajano apud Seleuciam Isauriae profluvio ventris exstincto, versum est in proverbium : Nullus felicior Augusto, nec Trajano melior.

Silvius Adrianus imperavit xxj annos et dimidio, qui exstirpatis penitus Judaeorum reliquiis, quia suo tempore in arma versi Palestinam depopulari acceptaverunt, peregrae nationis incolis replens Jherusalem, Elyam eam vocavit, ut in Romanorum jus conversa et ritum pariter mutaret et nomen; ex quo tempore Jherosolymam etiam introeundi licentia Judaeis ablata est.

Eustachius, cognomento Placidus, cujus exstitit peregrinatio sub Trajano mirabilis, cum uxore et duobus filiis, in initio regni Adriani, quia sacrificare noluit, igne crematus est. Romae Alexander papa cum Eventio et Theodulo presbyteris martyrium pertulit pro fide Christi. Iste Alexander instituit aquam aspersionis cum sale benedicto consecrari, et in habitaculis fidelium spargi, oleumque benedici ab episcopo quotannis et vetus per novitatem sacramenti incendi. Inseruit etiam canoni memoriam Dominicae passionis, et sicut de latere Christi fluxit sanguis et aqua, ita et aquam vino misceri instituit in ipsa consecratione, nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino offerri decernens. Romae illustrissima virgo Sabina pro Christo gladio transverberatur. Aquila interpres Ponticus agnoscitur. Hic Judaeis fuit proselytus, sicut et Theodosion Ephesius, quos sequuntur Hebionitae dicentes, Christum ex Joseph semine natum. Valentinianus et Marcion haeretici agnoscuntur. Valentiniani a Valentino platonico vocantur, qui eonas, id est secula quaedam, in originem Dei creatoris induxit, Christumque non corpus assumpsisse de Virgine, sed quasi per fistulam transiisse asseruit. Sixtus sedit decem annis et dimidio. Hic instituit intra missarum solemnia *Sanctus, sanctus, sanctus* cantari. Telesphorus, papa et martyr, sedit annis xj. Hic statuit clericos jejunare vij hebdomadis ante Pascha. Hujus tamen instituti transgressores non arguuntur, quia moribus utentium approbatum non fuit. Constituit etiam, ut in nocte natalis Domini missae celebrentur, atque ut ad missam *Gloria*

in excelsis Deo canatur, quamvis quidem post verba evangelica (quod) sequitur post ab Hilario Pictavensi dictatum credatur.

Adrianus in utraque lingua eruditissimus, sed libidinis impatiens, cum Judaeos ultima caede perdomuisset et christianos in urbe sua recepisset morbo intercutis Aquae apud Baias moritur. Succedit Titus Aurelius Antoninus vel Antonius, cognomento Pius, imperans xxij annis et dimidio. Qui adeo pie et tranquille rempublicam gubernavit, ut merito pater patriae appellatus sit. In omni regno suo indulgentia offensas donavit, et debita relaxavit, ideoque pius dictus est. Erga nostros quoque ita mitis fuit, ut accusatores ipsorum poenas eorum sustinere juberet. Iste imperavit cum filiis suis, Aurelio et Lucio.

Romae sancta Felicitas pro Christo capite est truncata, post martyrium vij filiorum, qui passi sunt vj idus Julii. Hyginus papa sedit iiij annis. Hic clerum constituit et per sua officia distribuit ecclesiasticos gradus. Cataphrygarum haeresis oritur. Cataphrygis nomen Phrygia dedit, quia ibi exstiterunt auctores eorum, Montanus, Priscilla, Maximilla. Ii adventum Spiritus Sancti non in apostolis sed in se completum asserunt, et de singulari munditia gloriantes, carnes damnant, omnem coitum spurcum vocant seu putant. Cerdon duo contraria principia asserit, boni et mali, et duo principia boni, alterum bonum dominum, alterum justum, introducens bonum sua bonitate notum, patrem Jhesu Christi, alterum autem ignotum et sanguinatum qui legis crudelia praecepta dedit.

Pius papa sedit annis xij. Pascha die dominico constituit celebrari, quia eodem tempore angelis in habitu pastoris apparuit cuidam doctori Hermae, hoc ei praecipiens. Anicetus, qui est Anitius, papa sedit annis xij. Qui clericos comam nutrire prohibuit, in modum sphaerae radere jubens. Instituit et clericos non secularium sed proposito sanctitatis et religioni congruis uti vestibus. Romae Praxedis virgo, plena operibus bonis et eleemosynis, quievit in Christo. Marcion, discipulus Cerdonis, Romae docuit alium esse Dominum; majorem conditore Deo, sed restitit ei et caeteris haereticis, Polycarpus, Smyrneorum episcopus, auditor Johannis apostoli, qui hoc tempore sub Aniceto post illustre martyrium in igne, quievit intactus ab eo. Huic Marcion occurrens : « Agnosce nos, inquit. » — « Agnosco, inquit, primogenitum « Sathanae. »

Antonio Pio succedit gener ejus Marcus Aurelius Antoninus Verus, de ge-

nere Numae Pompilii, haud dubie nobilissimus, et cum eo Lucius Annus Antoninus Severus, genere et affinitate sibi junctus, vel secundum alios frater ejus, imperavit annis xvij et dimidio. Qui cum annis xj cum Antonino Vero regnasset, post triumphum Parthicum, Seleucia Assyriae capta, orta apud Asiam persecutione quarta, in Venetia sanguine ictus, id est apoplexi, interiit.

Aniceto per martyrium consummato, succedit Soter, qui constituit ut nulla monacha pallam sacratam, aut aliquid ad alterius ministerium vel sacerdotale officium pertinens contingat, neque incensum ponat, vel publice doceat, nisi tantum in conventu feminarum. Decrevit etiam ut, nisi duobus praesentibus, presbyter missam non celebret; *Dominus vobiscum* enim pluraliter dici, praecepit. Hic ix annis et dimidio sedit. Theodocum interpres habetur. Post Lucium Antoninum, Antoninus Verus aliquandiu solus imperavit, adeo tranquillus, ut ab infantia vultum neque ex gaudio neque ex moerore mutaverit.

Lucius Aurelius Commodus Antonino Vero patri suo successit, qui et ipse Antoninus dictus. Qui imperavit annis xij, Galienus physicus Romae claruit. Ab Eleutherio papa qui sedet annis xv, Lucius, rex Britanniae, per epistolam se fieri christianum postulavit et baptizatus est. Commodus regnante, sermo Domini crescebat et pax ecclesiis per omnem terram propagabatur. Commodus superbia elatus colossi capite sublato suae imaginis caput jussit imponi. Septembri quoque nomen suum imposuit, sed usus praevaluit.

A Severo Severiani exoriuntur, qui vinum non bibunt; Pauliani a Paulo Samosano exoriuntur, qui dixit, Christum non natura Deum, sed merito vitae factum: « Non, inquit, invideo Christo homini Deo, quia si volo possum fieri secundum ipsum. » Gravi exorta iterum persecutione, cum Attalus flammis martyr ureretur: « Hoc est, inquit, quod nobis objectis, homines, comedere vultis? » Cui cum: « Dic nomen Dei, » ait: « Qui plures sunt nominibus discernuntur, unus vero non indiget. » Commodus in fine imperii cunctis incommodus fuit, strangulatus interiit, hostis humani generis etiam vivus judicatus. Victor papa, sedens annis x et dimidio, ad pontificalem cathedram, et Helius Pertinax ad imperium fere eodem vocantur tempore.

Helius septuagenarius cum repugnans cogeretur ad imperium, quia renitebatur, Pertinax dictus est. Sex mensibus imperavit, cui post in palatio perempto, succedit auctor necis ejus, Julianus legis peritus, quem post vij menses imperii interimens, successit Septimus Severus Africanus.

Severus natura saevus in honorem Pertinacis, quem ultus fuerat, Pertinacem se cognominari jussit. Sub hoc quinta persecutio oritur, in qua Victor papa glorioso martyrio coronatus est. Iste severe et praecipitanter damnavit episcopos orientales, qui xiiij luna Pascha cum Judaeis celebrabant, in quam sententiam etiam catholici, qui discrepabant a Judaeis, Victori manus non dederunt. Constituit et, ut Pascha a xiiij luna primi mensis usque in vicesimam primam celebretur. Narcissus, Jherosolymorum episcopus, claruit, cujus agitur festum iij kal. Novembris. Hic inter caetera miracula aquam mutavit in oleum. Leonides, pater Origenis, capite pro Christo plexus est, cum quo etiam Origenes occubisset, si non vestibus spoliatus maternis artibus praeventus fuisset. Sabellius docet eundem esse Patrem quem Filium, sanctam quoque Trinitatem in officiorum nominibus non in personis accipit. Origenes insignis habetur, qui in scripturarum expositione, librorum quoque numero, omnes tam graecos quam latinos superavit. Denique Hieronymus sex millia librorum ejus se legisse fatetur. Antropoformitae simplicitate rustica Deum, humanis membris distentum, docent, non attendentes quia spiritus est Deus. Antropos graece, latine dicitur homo. Heracleus haereticus docet omnes homines renuntiare seculo, monachos solos recipiens. Carnes et vina respuit, conjugia damnat.

Severus Arabes interiores ita cecidit, ut regionem eorum Romanam provinciam faceret, unde et Arabicus cognominatus est. Qui ut receptam Britanniae partem a caeteris indomitis gentibus distingueret, firmissimum vallum crebris turribus communitum per cxxij millia passuum a mari ad mare usque deduxit, atque Eboraci oppido interiit, duobus relictis filiis, Geta et Cassiano, quorum primus hostis publicus judicatus interiit.

Marcus Aurelius Antoninus Cassianus cognominatus est Caracalla, propter genus veneris quod Romanis invexit : et e converso, Caracallae ex ejus nomine Antonianae dicuntur. Hic tantae fuit libidinis, ut etiam novercam suam Juliam uxorem duxerit. Qui in bello contra Parthos ad requisita naturae secedens, a milite interfectus est. Tertullianus doctor clarus habetur. Origenes, quia paternus census fisco associatus est, in summa penuria cum matre et fratribus vj relictus est, atque ideo grammaticam docere instituens, hac occasione multos ad vitam perfectiorem informavit.

Macer, qui et Macrinus Ophilus, praefecturam praetorianam gerens cum filio Dyademeno imperium invasit, sed emenso anno a militibus in Archelaide

cum filio occiditur. Zephyrinus papa quievit in Christo vij kal. Septembris; hic instituit ut, praesentibus omnibus fidelibus clericis et laicis, sive sacerdos sive diaconus ordinetur, et sacrificium fieri in vitreis vasis, quod antea fiebat in ligneis. Tunc enim erant lignei calices et aurei sacerdotes, modo vero lignei sacerdotes et calices aurei. Succedit Kalixtus papa, qui sedit annis quatuor. Hic constituit ut jejunia primitiarum vel jejunia duplicia pro pace et fructuum abundantia quater in anno fierent, quae prius ter tantum fieri solebant. Presbyteris quoque, diaconis et subdiaconis, contrahere matrimonia penitus interdixit, quod et postmodum penitus interdixerunt Martinus, Gregorius Magnus, Innocentius II et Urbanus II papae.

Marcus Aurelius Antonius Varus sacerdos Heliogabali templi fuit, et Caracallae filius putabatur, quia spurius erat. Imperavit annis tribus. Hic adeo impudice vixit, ut nullum genus obscoenitatis omiserit; qui pro petulantia libidinis, cum Basianam se appellari fecisset, anno aetatis xvj a militibus interfectus est in Palestina. Urbs Nicopolis condita est, quae prius Emaus vocabatur.

Aurelius Alexander imperavit annis xij. Hic in matrem suam Mammeam unice pius fuit, et ob hoc omnibus amabilis; haec, christianitatis studio ornata, Origenem presbyterum Antiochiae invitatum videre et audire studuit. Kalixtus papa sub custodia Alexandri diu cruciatus, tandem per fenestram praecipitatus, coronatur in coelis ij idus Octobris; sub persecutione Alexandri multi martyrio coronantur per doctrinam Urbani papae. Passa est eodem tempore Julitta nobilis matrona cum Cyrico filio suo, necdum trienni, qui post dira verbera et gravia tormenta sub Alexandro praeside capitis obtruncatione martyrium compleverunt xvj kal. Julii.

Alexander, consobrinus Antonii antecessoris sui, Maguntiae a suis desertus occiditur. Urbanus papa sub regula primus clericorum vitam instituit, in lineae vestis candore praetextatus incedens, ut habitu ipso angelicus diceretur. Hic, quia vitrea vasa fragilia erant, sacrificium fieri instituit in aureis vel argenteis, vel pro paupertate in staneis, quia non aeruginantur. Julius Maximinus sextam persecutionem exercens Aquileae occiditur, cum jam imperasset tribus annis. Ipso adhuc imperante, duo Gordiani, pater et filius, imperium usurpantes unus post alium interiire. Romae Cecilia virgo Valerianum maritum suum et Tiburtium fratrem ejus ad fidem convertens, cum igne laedi non posset, gladio jugulatur x kal. Decembris. Tiburtius quoque et Valeria-

nus, ab Urbano baptizati, gladio transverberantur, jubente Almachio praefecto. In eadem quoque persecutione idem Urbanus papa martyrio coronatur. Pontianus papa cum Hippolyto presbytero in Sardiniam insulam a Maximino deportatus est, et martyrio coronatus, cum jam sedisset v annis. Hic rursus oboriri videtur controversia, quia cum Maximinus tum tribus annis imperasse legatur, sub ipso passi inveniuntur Urbanus papa et Pontianus, qui quinque praefuit annis, et quod magis lectorem movere poterit, Antherus in martyrologio xij annis rexisset ecclesiam et sub ipso passus legitur, qui tantum in chronicis uno mense praefuisse et sub Gordiano occubuisse invenitur. Sed quia inferius per annos Decii controversiae cum hac plures occurrerent, supersedendum est et hanc cum illis ad praesens determinare, donec scrutaturi diligentius scrutationes habuerimus in chronicis et annalibus frequentiores de iis.

Gordianus, nepos praedicti Gordiani ex filia, in regnum sublimatus, in Perside interfectus est, fraude Philippi qui post eum regnavit. Porphyrius dialecticus Romae claret. Anthero defuncto, Fabianus de agro revertens, cum pro eligendo episcopo in ecclesia quievissent, inter alios exstitit, exitum rei cupiens agnoscere; cumque, ut saepe fit, diversa sententia clamantium nutaret, nec certi aliquid obtineret, subito columba luce apparens Fabiani capiti insedit, moxque omnium oculi et animi in eum conversi, illum a Domino designatum intellexerunt. Iste decrevit nec clericos in accusatione laicorum nec laicos in accusatione clericorum esse recipiendos. Iste sedit xiiij annis cum dimidio.

Marcus Julius Philippus, cum filio Caio Saturnino Philippo, imperans octo annis, baptizatur ¹ primus omnium imperatorum. Qui ut in Pascha sacrosanctis communicaret mysteriis, ad communicationem Fabiani publica et plenaria poenitentia satisfecit. Quarto anno Philippi, annus expletur millesimus ab urbe condita, pro quo celebres ludi Romae instituuntur et convivia tribus diebus celebrantur. Legisse me memini, sed tamen indiscussum quo tempore actum sit, quod scilicet Romani ad fidem conversi reliquias simul invenerunt Petri et Pauli, quibus de divisione dubitantibus, coelitus vox insonuit dicens majora esse ossa praedicatoris quam piscatoris. Antonius monachus

¹ Licet Baronius et Huetius hoc baptisma admiserint, meram esse fabulam plura probant mo-

numenta. Vid. Fr. Pagi, in *Breviario hist. pontif. rom.* Tom. I, pag. 40 et seq.

clarus habetur. Philippus senior Veronae et junior Romae a Decio occiduntur, ob quorum odium persecutionem movet in Christianos.

Decius cum filio suo imperium invasit. Notandum quod tam de annis Decii, quam de genere mortis ejus, diversitatis confusio, ex historiis generata diversis, sedulos merito compellit, et discretos lectores ad scrutinium provocat. Nam in chronicis uno tantum anno regnasse invenitur, in historia Orosii tribus, secundum martyrologium vero et fidem gestorum annis xvj. Itaque primo ejus anno passus est Fabianus, Cornelius tertio, Lucius quarto vel sexto, quia in quibusdam annis tribus, in quibusdam viij mensibus praefuisse invenitur Stephanus xij, ultimus Sixtus ultimo ejus anno, cum quo Romanus, Felicissimus, diaconi, et Agapitus et novissime Laurentius archidiaconus et Hippolytus martyres passi sunt, si ecclesia non fallitur. Si ergo quod in ecclesia celebratur et docetur suscipimus, pluribus plane quam tribus annis eum regnasse constabit.

Novatiani a Novato presbytero Romae exorti sunt, qui adversus Cornelium cathedram conatus invadere, dogmatizavit post baptismum criminali peccato lapsos non posse poenitentia reparari. Qui et ipse pro Christo passus est. Nota quod in martyrologio Lucius papa legitur sub Valeriano et Galieno post exilium punitus sententia capitali, et ibidem legitur Stephanum similiter sub Valeriano decollatum, qui tamen alibi tribus praefuisse, alibi vij annis invenitur. Sixtus quoque alibi duobus, alibi xj annis, rexisset ecclesiam, et plane sub Decio passus invenitur. De morte Decii legitur in Romana historia, quod ipse cum Gniva rege Gothorum congregiens, suis perditis et perempto filio, in paludibus fugiens submersus sit, ut non corpus ejus inveniri possit. At in passione Hippolyti dicitur quod Decius et Valerianus praeses, passis recenter Laurentio et Hippolyto, a daemonio arrepti ab eisdem martyribus se intolerabiliter cruciari clamabant. Valerianus autem mox extinctus est, Decius vero post vexationem triduanam; cujus uxor Triphonia et Cyrilla filia post baptismum, haec a Claudio necata v kal. Novembris, illa tremens in oratione occubuerunt Romae. Abdon et Sennes sub Reguli gladio puniti sunt apud Ephesum; vij viri in spelunca timore Decii, vj kal. Augusti, se occultantes obdormierunt. Romanus miles, Romae Laurentio patiente, ad fidem conversus et decollatus est, et Hippolytus super cardetum et tribulos tractus emisit spiritum. Ibidem Sixtus papa et diaconi ejus Felicissimus et Agapitus decollati sunt. Sixtus papa decrevit ut duo presbyteri et tres dia-

coni in omni loco episcopum non deserant, propter testimonium ecclesiasticum; presbyter quoque et diaconus semper testimonio muniantur.

Virius Gallus succedit cum Volusiano filio, qui dum contra Aemilianum, imperium invadere cupientem, bellum civile moliuntur, pariter occisi sunt. Dionysius papa alibi vj, alibi ix annis, legitur rexisse ecclesiam. Inconvenienter igitur promotus sub Gallo imperatore ad tempora Claudii legitur pertigisse, cum inveniatur Valerianus xv annis imperasse, vel certe v secundum quosdam. Sed quia non corrigere, sed praesentire tantum diversarum inconvenientias historiarum idoneus sum, et hanc inconvenientiam praecidere, suadeo hoc tantum, plane intelligens quod non modicam confusionem circa pontificum ordinem et imperatorum Decii tempora generarunt. Iste Dionysius presbyteris parrochias dedit et dioeceses constituit.

Valerianus cum filio suo Galieno imperans sola pernicie insignis fuit, quia nimia crudelitate saeviens ecclesias vastat et sanctos persequitur. Galienus solus ix annis, cum patre vero sex, legitur imperasse. Unde non pater sed filius xv annis imperasse conjicitur. In Carthagine Cyprianus episcopus, cujus exstant praeclara opuscula et exhortatoriae epistolae ad Cornelium papam, in carcere post longum exilium decollatur. Romae Prothus et Hyacinthus eunuchi post verbera sub Galieno decollantur. Romae Pancratius martyr detruncatur, quod tamen in martyrologio sub Diocletiano factum legitur. In Mauritania civitate Tuburbitanarum Perpetua et Felicitas, cum pluribus aliis, bestiis traduntur sub Severo principe, unde ambiguum est an hoc tempore, an sub Severo patre Cassiani passae sint. In Galliis civitate Cimela ij idus Maii passus est Pontius martyr ¹, cujus industria duo Philippi imperatores conversi sunt. Licinius Valerianus Colobius, primo religiosus, sed postmodum depravatus, tandem a rege Persarum captus et excaecatus in tam turpissima servitute consenuit, ut ipse acclivis humi regem super equum ascensurum non manu sed dorso suo attolleret. Galienus pacem ecclesiis trepida satisfactione restituit, claro Dei iudicio et patris permotus exemplo. Romae viij kal. Januarii, Euphemia, filia Philippi praefecti, passa est, quae in pago Alexandriae Euphemiam se nominans et cum eunuchis Protho et Hyacintho inter monachos conversata, ob fervorem religionis in abbatem electa est. Origenes septuagesimo aetatis suae anno defunctus in Tyro sepelitur.

¹ Martyris hujus acta in quibusdam interpolata sunt.

Galienus post patrem imperium primo feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam sub eo, pene desperato imperio, purpuram accipiunt in Gallia Tetricus senator, Marius et Victorianus, et Posthumius. Qui per x annos imperans provincias pene recuperavit atque ita imperium conservatum est, in Occidente quidem per Posthumium, in Oriente vero per Odenachum¹, qui strenue Persas perdomuit. Galienus vero in bello contra Aurelium Mediolani occiditur.

Claudius imperat, a Gordiano, ut putatur, satus, dum adolescens a muliere matura institueretur ad uxorem. Hic auream statuam in capitolio meruit, quia Gottom, qui xv annis Romanos attriverant, superavit et ab Illyrico expulit. Hic morbo interiit apud Sirmium, cujus frater Quintilius xvij die imperii post eum occisus est. Claudio jubente, xlvj millia sanctorum decollati sunt viij kal. Novembris, simul a Dionysio papa baptizati. Felix papa martyrio coronatur iij kal. Junii. Huic succedens Euticianus decrevit ut uvae et fabae et nova quaeque super altare benedictione sacerdotis initientur. Felix papa alibi iij, alibi v annis, legitur praefuisse ecclesiae; unde non immerito nos movet, quomodo sub Claudio qui duobus tantum annis regnavit, et in papam electus simul et sub eodem defunctus legatur.

Aurelianus imperavit annis v cum dimidio, haud dissimilis magno Alexandro in probitate seu Caesari dictatori, id est Julio. Occiso Odenacho, qui Orientem tenebat, uxorem ejus cepit Zenobiam, cumque industriae militaris experientissimus esset, Christianorum factus persecutor, felicitate decidit.

Augustoduni Symphorianus sacrificare nolens post verbera decollatus est xj kal. Septembris. Apud Praenesten beatus Agapitus, postquam flagellis et igni ac bestiis praevaluit, punitur gladio. Euticianus quoque papa, qui viij mensibus ecclesiae praefuit, martyrio coronatur. Aurelianus dum contra Christianos atrociter saevit, fulmen ante eum cum magno pavore adstantium ruit, ac non post multo a militibus occisus est. Caius papa, qui xj annis sedit, constituit, ut nullus martyrum sine dalmatica aut colobio purpurato sepe- lretur.

Tacitus imperat vij mensibus, vir egregie memoratus. Hic in Romana historia apud Tharsum febre mortuus legitur, in chronicis vero apud Pontum occisus.

¹ Conjugem famosae Zenobiae, Palmyrenorum reginae.

Florianus succedit Tacito, imperans duobus mensibus et dimidio. Qui cum Equitium Probum a magna parte exercitus vidisset electum, incisus a semetipso venis, effuso sanguine, consumptus est. Quidam Persa, nomine Manes, a quo Manichei, duas in Christo naturas et duas substantias introduxit, id est bonam et malam, et animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit. Notandum quod in chronicis Jheronymi post Dionysium papam Sixtus vj annis scribitur praefuisse. In quibusdam quoque chronicis Euticianus annis vij, in aliis viij mensibus invenitur praefuisse. Nemo igitur miretur nostrum in tanta caligine fluctuare iudicium, sed de diversis diversa collecta solers lector agnoscat, et nostro studio suum laborem adjungat, ut quid sit verius quaerat et praeferat cum invenerit.

Succedit Floriano tam re quam nomine Probus, strenuus et justus, et qui Aurelianum aequaret gloria militari, morum autem civilitate superaret. Qui cum Gallias a barbaris occupatas deletis hostibus liberasset, Proculum et Bonosum apud Agrippinam Rheni vadis interceptos devicisset, a militibus apud Sirmium in terra quae vocatur ferrea occisus est. Paulus Samosatenus episcopus ab episcopis deponitur, quia asseruit Christum non de coelo descendisse, sed a Maria sumpsisse initium.

Anno ab urbe condita MXL, imperat Carus Narbonensis cum filiis Carino et Numeriano. Hic in bello contra Parthos, cum duas urbes eorum nobilissimas cepisset, in castris supra Tigrim flumine interiit. Romae Chrysantus et Daria virgo, cum nullo genere tormentorum laedi possent, jubente Numeriano, terra tandem pro Christo et lapidibus obruti sunt. Numerianus cum ob oculorum dolorem lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est. Foetore vero cadaveris post aliquot dies scelus compertum manifestatur. Carinus vero, postquam Diocletianum imperatorem creaverit, in praelio insidiose trucidatus occubuit.

In duas procuraciones regnum romanum hic dividitur. Diocletianus imperavit xx annis. Qui statim Aprum in ultionem Numeriani in militum concione percussit. Iste divinis libris adustus martyria facit. In hac decima persecutione, diabolus omnibus viribus collectis, dum christianum nomen extinguere nititur, multis martyrio coronatis, gloriosius reddit. Diocletianus Herculium Maximianum Caesarem fecit, et in Gallias misit, Thebaeorum ei socians legionem ad supplementum, continentem viros vj^m DCCCLXVIII, ex quibus Mauritium, Exuperium, Candidum, Innocentium atque Vitalem

cum sociis vj^m D sacrificare contemnentes, Maximianus in Agauno, Galliarum oppido, circa Alpes occidi fecit. Ejusdem vero jussu, Gereon cum sociis CCCXVIII transitum faciens in Germaniam circa Rheni littora prope Coloniā Agrippinā pro Christo peremptus est. At vero reliqui ejusdem legionis, id est S. Mauri, apud eandem urbem gladio collum pro Christo subdiderunt.

Romae tempore adhuc Caji papae, Tiburcius juvenis illaesus ab igne gladio jugulatur iij idus Augusti. Marcus quoque et Marcellianus, ad stipites ligati et transfixi lanceis, coronantur xiiij kal. Julii, quorum sane certamina reperiuntur in passione Sebastiani martyris et militis, qui et ipse novissime, cum haberet principatum primae cohortis, in campo, jussu Diocletiani, ad signum positus, sagittis et demum fustibus fatigatus occubuit. Caius quoque papa martyrio coronatur. Numerus Thebaeorum sicut praescriptus est in martyrologio reperitur; at vero in libro passionis ipsorum, Mauritius invenitur cum sociis vj^m DCLXVI, Gereon et Victor cum sociis DCXLVIII, Mauri, quia de Mauritania erant, dicti, cum sociis CCCLX. Marcellinus papa, qui v annis praefuit, constituit ut sacerdotes et omnes in sacro ordine constituti, suis ordinibus aptis induti vestibus sepeliantur. Iste a paganis coactus thus¹ idolis posuit, super quo tamen nullus eum redarguere praesumpsit, quia summus pontifex erat. Qui tamen post sponte veniens ad martyrium cum multis decollatus est. Quo etiam tempore infra unum mensem xvij millia martyrio coronantur, et cessavit episcopatus annis septem.

Civitate Cumis Juliana virgo quae diabolum captum flagellavit, post ignes et varia tormenta decollatur. In Chalcedonia Euphemiam virginem post varia tormenta una bestia ad mortem vulneravit. Romae Primus et Felicianus et alio tempore Felix presbyter, et Adauctus agonem suum gladio finierunt. Quintinus Roma veniens in pago Viromandensi sub Rictiovaro praeside passus est, quem secuti Crispinus et Crispinianus apud urbem Suessionem ab eodem praeside gladio necati sunt. In Sicilia Vitus et Modestus et Crescentia post ignes et bestias necati sunt. Romae quatuor coronati Severus, Severianus, Carpophorus et Victorinus, plumbatis ad mortem caesi sunt, et eodem die Latomi, Claudius, Nicostratus, Simpronianus, Castorius et Simplicius in nomine Christi artificiosissime operantes post verbera submersi sunt. In

¹ Lapsus Marcellini commentitium esse et a Donatistis adinventum nullus ignorat hodie.

Amasia civitate Theodorus martyr post verbera igni traditus est. In Scythia, Mennas martyr post varia verbera decollatus igni injectus est. In Hispaniis, civitate Caesar-Augusta vel Valentia, Vincentius levita passus est. In Nicomedia Adrianus martyr post varia supplicia crucifragium cum multis passus est. Civitate Augenno passa est Fides virgo. Romae Simplicius et Faustinus post supplicia decollantur, Beatrix vero soror eorum in carcere praefocatur. In Nicomedia Gorgonius et Dorotheus post verbera excoriati laqueo finiuntur. Diocletianus, cujus uxor Severa christianissima fuit, multum honoravit Cyriacum diaconum, quia suam filiam Arthemiam a daemonio simul et infidelitate (redemit), sicut et filiam Saporis regis Persarum, quem etiam cum toto regno suo convertit ad fidem. Iste postea cum Largo et Smaragdo Romae jussu Maximiani post varia supplicia decollatur, xvij kal. Aprilis, quorum tamen festum agitur vj idus Augusti, quo die eorum corpora a sancto Marcello papa levata sunt. Lucia nobilis matrona et Geminianus post tormenta gravissima decollati sunt, xvj kal. Octobris. In civitate Egea, Cosmas et Damianus et tres eorum fratres, post varia et immania supplicia, decollantur. Sancta Anastasia ad Aulas palmarias cum cc viris et dcc feminis delata et igne consumpta est, viij kal. Jan. Cum istis praeterea multi quorum gesta habentur, hoc tempore martyrio coronati sunt. Sanctus Pantaleon v kal. Augusti apud Nicomediam, Christina virgo et martyr, ix kal. Augusti, in Tyro civitate Italiae; Theodosia virgo et martyr, iiij nonas Aprilis, apud Caesaream Cappadociae; Barbara virgo et martyr, ij nonas Decembris; Julianus et Celsus puer martyr, vij idus Januarii; Albanus martyr, x kal. Julii, in Anglia; Affra martyr, nonis Augusti, in civitate Augustana. Quae cum meretrix esset, per Narcissum episcopum conversa est. Nemo istos arbitretur passos eo ordine successive, quo praescripti sunt, cum plane, ut jam in praecedentibus dixi, annus incarnationis, quo quilibet singulariter vel cum aliis sit passus, nusquam distincte reperiat.

Carausius quidam genere infimus in Britannia, Achilleus in Aegypto, Gentianus in Africa, Narseus in Oriente, rebellavit. Hoc periculo Diocletianus permotus Maximianum ex Caesare Augustum fecit, Constantium vero, patrem postea magni Constantini, et Galerium generum suum Caesares ordinavit. Constantius privignam Herculei Theodoram accepit uxorem, ex qua vj liberos genuit, Galerius vero filiam Diocletiani duxit Valeriam.

Secundo anno persecutionis, uno die purpuram deposuerunt Diocletianus

in Nicomedia et Maximianus Mediolani, aegre tamen in hoc Diocletiano consentiente. Diocletianus itaque inusitata virtute usus est, ut solus omnium post conditum romanum imperium ex imperii fastigio ad privatae vitae statum civilitatemque remeaverit. Post quem Galerius et Constantius inter se imperium diviserunt; sed Constantius, vir tranquillissimus, Hispania, Gallia, Britanniaque contentus, cessit Galerio. Iste multa clementia erga homines, erga Dominum vero religione maxima utebatur, nam postquam simulatorie suos milites ad sacrificandum idolis invitasset, repudiando quos reperit idololatrias, persistentes in fide Christi suos fecit a secretis cubicularios. Hic a senatore Caesar factus, ut dixi, cum in Britannias devenisset, foedere firmato cum Coel rege Britanniae, unicam filiam ejus Helenam liberalibus artibus apprime eruditam priori conjugii superduxit atque pro hoc matrimonio, tam ipse quam Constantinus ex Helena genitus, Britanniam possedit hereditarie. Valerius Maximinus filium Diocletiani Caesarem fecit. Iste Maximinus imperans xxj annis, cum esset paganissimus, inter caeteros christianos, quos inhumane necabat, etiam sororem suam occidit Arthemiam. Marcellum quoque papam publice servitio animalium deputavit, qui ecclesiae praefuit v annis et dimidio. Hic cum multis annis in custodia serviendo teneretur, emisit spiritum. Constantinus juvenis in Britannia patri succedens xxxj annis imperavit, in uxorem duxit Faustam, filiam Maximiani Herculei, de qua legitur quod postea eam quodam tempore in balneas arduas injectam interemerit. Istius Faustae frater, Maxentius filius Maximiani, a praetorianis militibus Romae Augustus appellatur. Tum pater ejus qui imperium abjecerat, occasione filii arripiens tyrannidem, ipsum filium aggreditur inquietare, a quo e Roma turpiter expulsus in Gallias ad generum suum transfugit Constantinum, a quo post molitas insidias per filiam suam Faustam turpiter deprehensus, Massiliae fugiens turpius interimitur.

Valerius Severus Caesarem fecit, qui duobus annis imperavit, et contra Maxentium misit, sed cum Romam obsideret, militum scelere desertus et proditus, profugiens Ravennae occiditur; qui mox Licinium ei substituit qui xij annis et dimidio imperavit. In civitate Syracusana Lucia virgo gladio in gutture merso idus Decembris occiditur, eo plane die quo Maximianus Massiliae peremptus est; unde conjicitur hoc tempore Agathen quoque virginem recenter ante Luciam passam nonis Feb., in Sicilia civitate Catanensi, cum ejus passionis tempus ex libro suo perpendi non possit. Romae Marcellinus pres-

byter et Petrus exorcista, quando Damasus papa puer erat, post varia tormenta decollantur sub Maximino, ut creditur, vel sub Galerio. A Maximino quoque jussus est occidi, vij kal. Decembris, episcopus Alexandriae, Petrus, cui ipse Christus scissam tunicam suam monstrare dignatus est, quam scidit Arius, qui mox eundem perculit anathemate. Maxentius qui xxxvj annis imperavit, xxxv anno imperii sui, Katerinam virginem peremit in Alexandria, quae praedixit quod in proximo Christus ei suscicaret adversarium de fide quam impugnavit. Hujus corpus xx dierum itinere in monte Syna angelicis manibus est translatum, in cujus honore ibidem ecclesia mirifice est fabricata, in qua in omni sabbato ignis divinitus accenditur, ubi ejus ossa oleo irrigantur et quidquid fructuum vel quorumlibet ciborum infra claustrum ecclesiae praedictae illatum fuerit a sua novitate et integritate non immutatur.

Legitur in Romana historia quod Diocletianus, veneno sponte hausto, interierit, cum increparetur a Licinio et Constantio fuisse post depositum sceptrum Maxentio et Maximiano. Qui tamen cum multis submersus fuisse scribitur, in passione Luciae et Geminiani, cum eos tormentis affecisset; quod determinandum exercitato lectori relinquo, cum tamen magis apocrypha eadem mihi passio videatur. Licinius persecutionem a Diocletiano coepit tam atrocioribus edictis cumulavit.

Constantinus, Constantii ex concubina Helena filius, in Britannia creatus imperator, xxxj annis imperavit, qui Romam contra Maxentium rempublicam vexantem directus est. Qui cum belli necessitate multa voveretur, coelum anxius saepius respectans, vidit ad Orientem, media diei claritate, signum crucis cum superscriptione : *In hoc vince*. Quo viso mox signum crucis exercitum praecedere jubet. Maxentius vero, adventu ejus repente comperto, contra ipsum e Roma ad bellum cum festinatione prorumpens, per decipulam pontis quam paraverat Constantino deceptus atque submersus est. Navibus enim compositis sterni Tiberim et superpositis pontibus aequari jusserat, ut inscius doli deciperetur Constantinus per pontis machinam simulatoriam, sed per Christi gratiam in foveam quam fecit tyrannus incidit, atque de hac Constantini victoria canitur in sequentia :

Roma naves universas
In profundo vidit mersas,
Una cum Maxentio.

Itaque sicuti de isto Constantinus, ita et de Licinio, sororis suae viro, sibi insidias moliente triumphans, post x annos pacem ecclesiis reddidit, omni-que gloria culmen religionis ornavit. Iste Licinius cum vij annis ex omni genere hominum exhausisset provincias, jamque crudelitate coelum contingeret, putrefactis visceribus vermibus coepit profluere. Qui cum medicos, quum nec curare nec foetorem ferre poterant, occideret, unus ex desperatione sumens constantiam, iram Dei ejus esse poenam pronuntiat, sanctorumque ab eo sanguinem deposci. Dumque sententiam revocare deliberat, cruciatus non perferens, vim sibi intulit. Qui tamen Thessalonicae occisus legitur, victus a Constantino.

De inventione sanctae crucis.

In gestis pontificum legitur tempore Eusebii papae inventam ab Helena crucem dominicam, qui et ejus inventionem mox ubique celebrari praecepit. Helena itaque prius sancta inquisitione ligno salutari per Judam inventa, ipsum Judam baptizatum Quiriacum appellavit, et Jherosolymis episcopum ordinari fecit. Legitur in Romana historia et in fine Gratiani, in quodam sermone de Theodosio, quod Helena crucem Christi inter caeteras recognoverit per titulum Pilati superscriptum.

Romae Timotheus, spirantibus adhuc crudelitatis indictis, tempore Melchiadis papae, qui quatuor annis ecclesiae praefuit, post varia tormenta a Tarquinio praefecto decollatus est. Arius presbyter Alexandrinus haeresim seminat, Filium dicens creaturam et posse eum dici similem Patri largitate gratiae, non proprietate naturae, adjiciens: « Erat aliquando tempus quum non erat. » Cujus blasphemiam Alexander, episcopus Alexandriae, scripsit praesulibus ecclesiarum, necnon imperatori; at Arius pro se Eusebio Nicomediae episcopo caeterisque fautoribus scripta dirigit. Constantinus videns magis ac magis haeresim invalescere, in Niceam urbem sacerdotes de toto orbe terrarum contra Arium ad synodum convocat.

Prima generalis synodus in Nicea urbe celebratur, cujus fides a cccxviij episcopis confirmatur. Arius condemnatus cum sociis suis exilio deportatur; canones ecclesiastici conscribuntur xx; Pascha dominica tamen decernitur celebrandum. Constantinus interim in territorio Trojae dirutae civitatem aggressus aedificare in visu ab incepto commonetur desistere, et in locum

qui Byzantium dicitur aedificare, ubi sui nominis civitatem aedificavit, quae in id sublimitatis provecta est, ut merito dicatur altera Roma, cui forma, potentia, divitiis, nulla possit aequari. Ad hanc ergo sedem transtulit imperialem romanam cathedram et aulam regiam, necnon et capitis sui coronam summo contradens pontifici, plenariam dominationem infra Romam perpetuo ei communicavit privilegio. Notandum ergo, quum quidem ad hunc venimus locum, quod Romana ecclesia inter caeteras primum locum obtinet, Alexandria olim secundum, nunc vero Constantinopolitana, tertium Antiochena, quartum Jherosolymitana.

Notandum quod Melchiades, qui iiij annis sedit, et Sylvester qui xxij annis sedit, statuerunt ut bis in omni sabbato comederetur; ne propter abstinentiam, quia vj feria jejunavimus, natura debilitetur. In redemptione sabbatorum quadragesimae jejunabatur olim una septimana ante quinquagesimam, quae dicitur sexagesima et protenditur usque ad quartam feriam post Pascha, addita quoque est et alia septimana pro quinta feria, quae olim propter Ascensionem celebris fuit, et ita a *circumdederunt* jejunare incipiebant et dicta est septuagesima, quae protenditur usque ad sabbatum post Pascha, pro cuius etiam commemoratione graduale ad missam infra hebdomadam Paschae ante alleluia canitur, quod et pro eadem causa omittitur in sabbato Paschae. Septuagesima tunc terminante, quinquagesima vero hac de causa incepit. Clerici videntes se sanctitate laicos praecedere debere, ad caput jejunii duos dies jejunii addiderunt et dicta est quinquagesima, et terminatur in Pascha. Quadragesima vero finitur in coena Domini.

Iste Sylvester, cum dies a diis prius denominarentur, ferias nominari instituit, quia vacare et cessare a negotiis secularibus debent religiosi: unde secundam, tertiam, quartam, quintam et sextam feriam vocavit, sabbatum ex veteri testamento et dominicam ex novo, propter resurrectionem Christi assumens.

Arius ab exilio revocatus sectam suam in charta scriptam sub ascella ferens occultabat, et tali arte deludens juramentum, dicebat se credere ut scripsisset: obtulerat enim antea imperatori fictam fidei conscriptionem, pro qua gavisus imperator credidit eum Niceno concilio consentire. Cum ergo imperialem aulam ingressus obsequiis satellitum Eusebii honoraretur, terror eum subito ex conscientiae secreto constrinxit, percunctatusque secessum, cum illuc perrexisset, una cum stercoribus interiora prolapsa sunt. Ergo quamvis errare voluit, erroris poena non caruit. De quo sic quidam cecinit:

Tam vacuus sensu quam justae tempore poenae,
Visceribus fuis vacuus quoque ventre remansit.

Hoc tempore floruerunt Spiridion, episcopus et pastor ovium, cujus clara reperiuntur miracula, et in Myrreha civitate beatus Nicolaus.

Invenitur quod Constantinus multos nobiles crudeliter peremerit in initio regni sui, inter quos Licinium juniorem, nepotem suum ex Licinio et Constantia sorore sua, necnon et Crispum filium suum occidi fecit. Hunc Crispum Lactantius latinis litteris erudit, omnium suo tempore eruditissimus, sed adeo pauper ut plerumque et necessariis indiguerit. Constantinus obiit Nicomediae, et corpus ejus Constantinopolim translatum est. Legitur in vita Sylvestri papae, quod ipse Constantinum a lepra per aquam baptismi curaverit, et cum xij didascalis Haebreorum disputans de fide, per suscitationem tauri, eos simul et reginam Helenam converterit. Sed haec, manifestis occurrentibus causis, aut gravitate docti judicis examinari aut revera debent eliminari. Nam invenitur in tripertita historia quod Constantinus in ipso anno quo mortuus est, id est lxxv vitae suae baptizatus sit apud Nicomediam; quia ut diu concupierat in Jordane baptizari non valuit. Ad haec vero inventio sanctae crucis per Helenam plane et plene jam credentem, non sub Sylvestro celebrata vel post ipsum, sed sub Eusebio in authenticis scriptis reperitur.

Constantius, filius Constantini, imperat cum duobus fratribus Constantino et Constante, quorum Constantinus, dum nititur invadere partes junioris fratris Constantis, congressione facta perimitur. Constantius, adepto imperio, ab Arianis seductus est, atque mox Athanasium cum caeteris orthodoxae fidei sacerdotibus infesto odio persequi coepit. Qui et Julium papam x mensibus expulit, sed post cum honore revocatus est; de quo in martyrologio legitur, quod mortuo Constantio, qui xxiiij annis imperavit, revocatus in pace quieverit; quod an stare possit, lectoris prudentiae relinquendum est.

Iste Julius instituit, ut vir et uxor, quum communicare debent, prius per tres dies a complexibus vacent, et postea per tres ad minus vel per v vel per vij propter dona Spiritus Sancti. Quod decretum inde sumptum est: « Si pueri mundi sunt, maxime a mulieribus¹, etc. » Idem alibi: « Si quis desponsaverit uxorem vel subarraverit et morte praeventus vel alio casu eam non

¹ 1° libro reg., cap. XXI, v. 4.

cognoverit, neque superstes ejus frater, neque aliquis de consanguinitate ejus eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore. »

Constans serenissimus, Constantio fratre catholicos persequente, nostris favens, a tyranno Magnentio vita simul et regno privatur. Cujus mortem Constantius vindicans post ipsum solus regnavit x annis. Post quem Hilarius, Pictavensis episcopus, factione Arianorum in Frigiam pellitur. Antonius junior impletis cv annis aetatis suae moritur. Maximus, Trevirensis episcopus, et Sedulius doctor clari habentur.

Liberius papa, qui xv annis ecclesiae praefuit, primo nolens Arianis consentire bis exiliatur a Constantio, cui Felix subrogatus uno anno ecclesiae praefuit et Constantium publice haereticum declaravit. Constantius vero, revocato Liberio, Felicem deposuit, et tandem pro defensione catholicae fidei gladio peremit. Quemdam etiam presbyterum, nomine Eusebium, qui ipsum simul et Liberium audacter arguebat diutinae custodiae Romae mancipavit, in qua et mortuus est. Et erat deinceps persequens catholicos una cum Liberio, qui taedio victus exilii haereticae pravitati subscripsit ¹ et Romam quasi victor intravit; postea vero Damasus papa in consilio catholicorum publica voce damnavit Liberium.

Athanasius Alexandrinus ab urbe Trevirensi rediens, in qua insidias fugiens imperatoris delituit, apud Tyrum ingreditur, ubi contra ipsum haereticorum multitudo ex praecepto Constantii convocata est ad concilium: in quo cum de criminibus falso sibi imputatis tam opportune quam callide se defenderet Paphnucus martyr sanctum Maximum episcopum injecta manu trahens dixit: « Te non patiar sedere in concilio malignantium et cum iniqua gerentibus introire. » Paulus primus eremita claruit.

Decennius Caesar, tyrannus factus, apud Senones suspendio interiit; pro quo Constantius Gallum, patrum sui filium, Caesarem fecit. Qui, cum improbus et invisus esset, cum duobus militibus suis jussu Constantii interimitur, tuncque Julianum patrualem suum, fratrem Galli, Caesarem creatum misit ad Gallias, quas strenue restituens, successu elatus Augusti fastigium usurpavit. Constantius vero dum contra ipsum paratur et concitus fertur ad pugnam, in Mopsi viculo apoplexiae praeventus passione occubuit.

Nota quod Constantius, pater magni Constantini, ex Theodora, ut prae-

¹ Liberium ab hoc crimine optimi doctores immunem probant.

fatus sum , sex genuit liberos , Dalmacium scilicet et Constantinum cum reliquis quatuor : quorum Dalmacius genuit alium Dalmacium et Constantinum , patrem praefati Galli et Juliani istius. Hic dum adhuc monachus esset , sed falsus et hypocrita , diligentiae suae commendavit quaedam mulier tres ollas auri , desuper contectas cinere , sibi timore verrae reservandas. Qui aurum clam exhauriens mulieri revertenti ollas reddidit opletas cinere , atque hujusmodi thesauro , primo ad consulatum , demum evectus est ad imperium. Idololatra et christianorum persecutor effectus est. Qui vitam quoque profitens philosophicam , solus post Julium Caesarem in senatu commenta librorum recitavit. Iste Judeos de orbe terrarum convocans , templum in Jherosolymis , imperatoriis expensis eos cogens , reaedificare hortabatur. Qui opus pertinaciter aggressi talibus sunt indiciis divinitus prohibiti. In nocte quae ad incipiendum opus sola restabat , terrae motu vehementi saxorum congeries dispergitur ; porticus in quibus pausabant praefecti operantium , ipsis oppressis , complanantur ; globus igneus orto jam sole subito prorumpens ab aede in qua servabantur ferramenta et per medium plateae , iterum saepiusque et frequentissime per totam illam diem , percurrens , adustus quos reperit Judeis flammis ultricibus , temeritatem ipsorum coërebat. Taliter itaque omnes Christum Dominum credere cogebantur inviti , et ne haec casu fieri crederentur , in sequenti nocte in vestimentis omnium signum crucis nigro colore ita evidens apparuit , ut nullo genere ab aliquo valeret aboleri ; ac in sequenti nocte et die signum crucis splendens in coelo apparuit.

Invenitur quod hoc tempore Donatus grammaticus Romae , praeceptor Jheronymi , ad impietatem declinaverit Juliani , contra quem Priscianus se erexit , cultor permanens veritatis. Pagani apud Sebasten sepulcrum Johannis Baptistae invadunt , ossa concremant et dispergunt. Duo monachi , quae subripere potuerunt , ad Philippum abbatem suum detulerunt. Julianus lege prohibuit , ne christiani doctores essent vel auditores artium liberalium. In Tusciae civitate Aretio , Donatus episcopus martyrizatur , qui fractum a paganis calicem orando restauravit. Romae Gordianus et Epimachus martyrio coronantur. Jherosolymis Quiriacus , qui et Judas , qui crucem Christi invenit , pro fide celebre martyrium duxit. In pago Medenentensi (*Melentois*) , Piatius kal. Octobris pro Christo patitur.

Dum Julianus Fortunae sacrificaret , redarguit eum Maris , Chalcedonensis

episcopus, sine Deo eum vocans et apostatam. Cui cum Julianus caecitatem improperaret, erat enim caecus, et Deum suum impotentem ad curandum ipsum, respondit caecus venerabilis: « Ego Deo pro caecitate mea gratias ago, quia hoc ideo est gestum ne te videam pietate nudatum. »

Romae Johannem praepositum et fratrem ejus Paulum primicerium, qui Gallicanum, sponsum Constantiae imperatricis, in expeditione converterunt, noctu in domo perimi fecit, post quos in Persico bello mox peremptus est. Magnus quoque Basilius, Caesariensis episcopus, per revelationem cognovit mortem Juliani in Persico bello futuram, qui ei desolationem Caesareae in reditu comminatus fuerat. Cum enim idem episcopus pro defensione sua ad Deum in oratione vigilaret, per visum cognovit quod a Quiriaco milite, sex diebus jam mortuo et in ecclesia ejus sepulto, jussu beatæ Mariae virginis miraculose in bello Persico Julianus esset occisus. Sed tamen iste modus perditionis suae suos latuit combellatores. Nam dum in acie equo praesidens milites confortat, repente hasta delata discurrens per brachium in ejus latus demersa est, cujus auctorem ibi nemo agnovit, qui manum mox sanguine suo implevit; et in aëre projiciens: « Galilae, inquit, vicisti! tamen te nego. » Et ita cum verbo solitae blasphemiae animam exhalavit. Quo comperito in Caesarea Basilius episcopus suis visionem quam de morte Juliani viderat, et quod a Quiriaco milite in ejus ecclesia sepulto in Persico bello interficeretur per omnia enarravit. Qui gratias Deo agentes ad sepulcrum praedicti militis perrexerunt, et ejus hastam et arma ibi pendentia recenti adhuc sanguine madida invenerunt. Imperavit autem Julianus anno et dimidio.

Jovinianus imperator simul et confessor mali illati per Julianum apostatam exstitit depulsor erroris, imperans viij mensibus. Anno Domini CCCXLII obiit beatus Nicolaus in civitate Myrrhea. Nota quod tempus Damasi papae, quod extraordinarie ubique annotatum invenimus, ubi certum locum habere debeat non apparet. Nam factione haereticorum pontificatu nutante et tempore variante, computatio certo ordine procedere non potuit, dum in vacantibus vel superabundantibus annis quid certius tenendum sit discerni non valeat.

Jovinianus gustatis tantum regalibus bonis, prunis positus in concluso cubiculo hyemis tempore, foetore earum suffocatus interiit, ostendens omnibus quid sit humana potentia. Sanctus Martinus, auditor Hylarii Pictaviensis episcopi, clarus habetur.

Valentinianus imperavit xiii annis, vir prudentia, justitia et corporis proceritate praefulgens. Cum esset Juliani tribunus, cum ipso ingrediens templum deorum aqua aspersionis ab aedituo in janua perfusus est. Tum ille indignatus seque illa aspersione non purgatum sed pollutum pronuntians, ministrum pugno percussit, moxque a Juliano privatus militiae cingulo, nunc pro tribunatu recepit imperium. Cui cum exercitus alium tentaret sociare: « Vestrum, inquit, fuit, o milites, me imperatorem creare, nunc meum est de rebus communibus cogitare. » Ipse tamen mox fratrem suum Valentem, e Pannonia invitatum, in consortium regni assumit, sibi Romam cum occiduis partibus, fratri orientalia regna committens.

Venerabilis Athanasius, episcopus Alexandriae, fornicationis et homicidii accusatus sub Constantio, callide se defendens, navigio quaesitus, contra spem evadens, cum tandem in cisterna solem non videns sex annis latuisset et demum omnium persecutorum insidias declinasset, opportune hoc tempore restitutus sedi, vj non. Maii in pace quievit. Valens primo apostolicis dogmatibus ornabatur, sed postea ab Arianis seductus, orthodoxos in tantum persequebatur, ut eorum ecclesias in Aegypto claudi faceret. Ambrosius, praeses Valentiniani, nondum baptizatus, in archiepiscopum Mediolanensem consensu totius populi electus est. Qui, annuente et jubente Valentiniano, gratiam simul baptismatis et episcopatus percepit. Pictavis beatus Hylarius, post quadriennium exilium sedi restitutus, in pace quievit.

Gregorius Ponticus, Neocaesariae episcopus, montem precibus pro construenda ecclesia retraxit. Germanos pro vivario litigantes, ipso per orationem exsiccato, mirabiliter pacavit. Apollini licentiam respondendi ademptam reddidit. Qua licentia provocatus sacerdos Apollinis in Christum credit. At Gregorius Nazianzenus, doctrina et opere mirabilis, insignis habetur. Qui germanum suum Basilium in doctoris cathedra sedentem deposuit, et injecta manu secum ad monasterium pertraxit. Liberius papa ad haec tempora creditur pertigisse. Nam Macedoniani, qui negant Deum esse Spiritum Sanctum, persecutionem ab Arianis passi sub iis imperatoribus, dato poenitentiae libello, suscepti leguntur a Liberio et absoluti.

Magnus Basilius, Caesariae episcopus, cujus precibus Ephrem Syrus graece locutus est, et cui ipse Christus cum apostolis apparens proprio idiomate ministerium missae docuit, v anno Valentis quievit, in x kal. Januarii. Dydimus in Alexandria, a v nativitatis anno caecus, in tantam omnium scriptura-

rum pervenit scientiam , ut non tam conferendus optimis , quam praeferendus videatur. Cui beatus Antonius : « Ne doleas , inquit , te non habere quod muscae haberent , cum habeas unde angeli Deum vident. » Valens , fratre mortuo , impie jam agere non erubescens , legem dedit ut monachi militarent , nolentes autem necari jussit. Qui cum iiij annis post fratrem imperasset , a Gothorum gente , quae se tunc terris infudit , in praesidio quodam circumventus exuritur , cum jam imperasset xvij annis. Jheronymus a quintodecimo anno Tiberii usque ad xiiij Valentis , quo interiit , numerat annos ccclj. Post nativitatem Christi vixit Augustus annis xv , qui cum xv Tiberii , additis ccclj , fiunt ccllxxxj.

Gratianus Ambianis imperator a Valentiniano principe factus , cum prius Europam tenuisset , defuncto jam Valente sine sobole , Asiae Lybiaeque scepra suscipiens , Valentinianum fratrem admodum parvulum socium creavit imperio , atque initia regni sui Deo devotus dedicavit , scribens ut quos Valens expulerat pastores ad sua ovilia remearent ; hic etiam Theodosium ab Hispaniis evocans , contra barbaros misit , qui mira celeritate victor factus , ita velociter ad principem remeavit , ut triumphorum suorum ipse nuntius esset. Gratianus post Valentem imperavit annis vj. Flavianus et Diodorus , fratres religiosissimi , primi apud Antiochiam in duas partes choros psallentium dividentes , alternatim psalmos cantare docuerunt. Hoc autem Jheronymus tempore apud nos primus incepit in Bethleem , ad petitionem Damasi papae , ex maxima parte ordinans quantum de psalmis quotidie de novo et veteri testamento in ecclesia recitata translatare. Damasus papa , qui xvij annis sedit Romae , adulterii accusatus purgatur , cum xliij episcopis accusatores ejus ecclesia expelluntur.

Gratianus , cum post Valentem vj annis imperasset , dolo tyranni Britannici , nomine Maximi , perimitur. Nam Andragatius dux , in lectica portatus , se uxorem ejus simulans eum dolo peremit. At Valentinianus juvenis frater ejus fugiens , animis , quantum aetas patiebatur , ardentibus rempublicam gerens , causis etiam nunc latentibus , vel certe per cubicularios suos muneribus ab Eugenio grammatico corruptos , laqueo vitam finivit.

Theodosius , qui jam una cum Gratiano et Valentiniano sex annis imperaverat , ipsis mortuis solus imperavit xj annis. Sanctus Martinus adeo familiaris fuit Maximo aspiranti ad imperium et uxori ejus , ut etiam ipsa imperatrix ei coenam apponeret , propriis manibus praeparatam. Legitur in historia Britan-

norum, quod Conannus quem iste Maximus, rex Britanniae, primum regem creavit in Armorico regno, quod nunc Britannia dicitur, in uxorem petierit Ursulam, filiam Dionoti, regis Cornubiae, quum etiam tunc Galliam devastaret Maximus toti Britanniae praefecit. Ad Ursulae vero societatem congregata fuerunt virginum xj millia. Sed cum illae virgines ad replendum Armoricum regnum aequoreo itinere destinarentur, aliae submersae, aliae dispersae, aliae a barbaris necatae sunt. Quarum magnam multitudinem peremerunt Guwannus, rex Hunorum, et Melgâ Pictorum, quos Gratianus imperator contra praefatum Maximum legitur destinasse. Hoc ergo tempore xj millia virginum annotarem, si non in chronicis sub Marriano necatae legerentur.

Johannes anachoreta claret in Aegypto sanctitate et spiritu prophetiae. Sacerdotum synodus Constantinopoli congregatur sub Damaso, jubente Theodosio; quae condemnavit Macedonium negantem Spiritum Sanctum esse Dominum; in hac a CL episcopis tres canones conscribuntur, et constituitur Constantinopolitanum post Romanum pontificem habere privilegium. Theodosius christianissimus, pulsus haereticis et catholicis ab exilio revocatis, synodum apud Alexandriam congregavit, orta contentione ex doctrina Origenis; cujus sententia fuit, teste Prospero, ut extra ecclesiam fieret quicumque Origenis opera probavisset. Augustinus per Ambrosium conversus, relictis scholis, baptizatur. Syricus papa xv annis ecclesiae praefuit. Hic decrevit ut quicumque publice poenitens, quicumque bigamus, quicumque viduae maritus fuerit, adempta omni spe promotionis, in eo quo invenitur ordine perpetua stabilitate permaneat.

Maximus Aquileae a Theodosio in bello perimitur. Ambrosius antiphonas canere instituit, quod beatus Ignatius, cum angelos per antiphonas Deum laudare audisset, Antiochia primus incepit. Nota quod idem Ignatius in quadam epistola sua¹ et Paulum apostolum uxoratum dixit, et Daniele xij annorum, quando Susannam liberavit sub Balthasar, ultimo rege Babylonis, quod an stare possit judicet qui consequentias novit historiae veteris, cum Daniel captus sit sub Nabuchodonosor magno.

Claudianus poëta Romae claret et Prudentius poëta in Hispania. Caput Johannis Baptistae a Theodosio Constantinopolim transfertur, quod olim Valens imperator cum transferre vellet, vehiculum quo portabatur moveri non po-

¹ Quae est apocrypha.

tuit. Priscillianus in Hispania permixtum dogma composuit : animam viri gnostici divinae naturae , corpus viri manichei a malis spiritibus factum , et quemcumque sub stellarum fato nasci affirmans. Theodosius in ultionem unius extincti militis in seditione Thessalonicae vij millia civium fecit interfici , sed ab Ambrosio ecclesia exclusus , humillime publica poenitentia satisfecit , ut ipse diceret : « Vix veritatis inveni magistrum , Ambrosium namque solum novi vocari digne pontificem. »

Sanctus Patricius in Hybernia venditus regisque factus bubulcus ab angelis frequentatur. Theodosius Eugenium et Arbogasten in bello peremit ; nam contra ipsos auxiliares sibi adesse vidit Johannem evangelistam et Philippum apostolum. Obtenta de hostibus victoria , juxta prophetiam Johannis monachi in Thebaïda , quem consuluit per internuntium , et ipse non multo post obiit.

Arcadius in Oriente regnavit cum Theodosio patre , annis xij , et post xiiij. Honorius vero in Occidente sub Theodosio patre ij annis. Qui fratres justi et pietate clari , zelum patris sequentes , deorum templa jubent destrui. Emaus nascitur puer ab umbilico et sursum divisus. Arsenius insignis habetur , ex senatore monachus in eremo factus. Sanctus Servatius decimus Tungrorum episcopus clarus habetur. Nota quod Anna et Esmeria fuerunt sorores ; Anna genuit tres Marias , Esmeria genuit Elizabeth , matrem Johannis Baptistae et Eluid , qui genuit Emiud , patrem sancti Servatii ex beata Memalia. Anastasius papa sedit iij annis. Anno CCCXII Arcadii vj aetatis suae lxxxj , episcopatus xxvj , Sanctus Martinus Turonis migravit a seculo , iij idus Decembris. Cujus transitum mox cognoverunt beatus Severinus , Coloniensis episcopus , eadem hora , id est dominica nocte , audiens cum archidiacono suo angelorum concentus in coelo , et sanctus Ambrosius Mediolani obdormiens infra missam ante epistolam super altare , qui exequiis ejus obsequium se praebuisse somniavit. Martinus ideo par apostolis dictus est , quia super caput ejus et brachia infra missarum solemnia globus igneus apparuit , sicut olim super apostolos.

Mediolani beatus Ambrosius diem vitae mutavit ij nonas Aprilis ; cujus vitam Nolanus episcopus , Paulinus , qui se pro filio viduae servum tradidit barbaris , ad Augustinum scribit. Donatus , Epyri episcopus , draconem in ore ejus expuens interfecit ; quem viij juga boum vix ad incendium trahere potuerunt. Tungris sive Octaviae fuit episcopus primus sanctus Maternus , per baculum Petri apostoli post xl dies suscitatus , qui etiam in Treveri tertio loco successit suis sociis Eucharico cum Valerio , beatis episcopis Treverensi-

bus, atque tot annis in cathedra sedit quot diebus in terra jacuit. In hac Tungri, in qua ante subversionem lxxij congregationes erant, post ix sanctos episcopos, successit decimus decalogi conservator Servatius, Armeniae alumnus, porrecta sibi ab altari per angelum virga pastorali, quam ante vij annos nonus episcopus Valentinus cuiquam dari prohibuerat sub anathemate, donec angelus de coelis dator accederet. Servatio una et eadem lingua naturali uniformiter Christum praedicante, cunctis audientibus genitivae linguae proflixit intellectus, cum tamen inverecunde uteretur interprete in negotio seculari. Qui deposito coram xiiij episcopis Galliae et degradato Ephrata, Coloniensi haeretico, et substituto sancto Severino, Romam profectus, accepta a beato Petro argentea clave, cum Galliae subversionem prophetice didicisset in redeundo, a captivitate Hunorum miraculo aquilae se obumbrantis liberatus, obiit in Trajecto, coopertus serico allato per angelum.

Coloniae sanctus Severinus x kal. Novembris ad vitam transit aeternam. In Hispania Orosius, in Aquitania claret Severus. Innocentius papa xv annis sedit: hic decrevit pacis osculum ad missam dari, corpus Domini reservari, ne aliquis decederet sine viatico, sabbato jejunium celebrari, oleum infirmorum consecrari. Pelagius in Britannia liberum arbitrium sine gratia Dei sufficere docet. Romae Alexis Romanorum nobilissimi vita mirabilis declarata est. Jherosolymis corpora sanctorum Stephani protomartyris, Gamalielis, Nicodemi et Abibon Luciano revelantur vij kal. Januarii; sed festum eorum agitur iij nonas Augusti. Romae suprascripto in anno, quo Christo crucifigitur, ij idus Maii, obiit Pachomius abbas cx annorum, qui scripsit monachorum regulas, quas angelo dictante didicerat.

Johannes Chrysostomus Eudoxiam, Arcadii imperatoris uxorem, infestam habens, episcopatu pellitur, iterumque revocatus pellitur. Iste cum esset episcopus Constantinopolitanus, quia Augustam lacerare non parcebat, iudicio episcoporum tertio exilio relegatus, moritur vj kal. Februarii, quem Innocentius papa post iudicium passum absolvit, excommunicans ejus excommunicatores. Arcadius moritur.

Honorius cum fratruele suo imperat annis xiiij. Uticae terra septem diebus mugitum dedit. Autimus, episcopus Bisontionensis, cum aliis martyrio coronatur: qui quodam tempore audiens daemonem principi suo referentem, quod Syricium papam ad lapsum fornicationis retraxerit, eodem daemone ascenso, Romam venit, papam ad poenitentiam compulit et mox a daemone

revertus est. Hoc tempore, anno MCLXIV conditionis suae, Roma capta est ab Alarico rege Wisigothorum, qui fatebatur quotidie sibi quemdam adstittisse dicentem : *Perge et Romam destrue*. Sed tertio die cum suis egressus subito in redeundo moritur. Ataulfus ei succedens Romam redit, quod relictum erat abradit, Placidam sororem Honorii captam sibi uxorem facit. Ataulfo a suis perempto, succedit Sigericus Honorius; quia in Deo speravit, liberatus est a malis. Nam receptam a captivitate sororem dat uxorem Constantio comiti, ex quo genuit Valentinianum, qui imperavit post Honorium. Rursus perempto Sigerico, regnat Wallia Zozimus, imo praesidet iiij annis vel secundum quosdam uno tantum; quidam ultimo anno cycli pro embolismo communem annum tenentes in Paschae termino errabant qui divino miraculo coërcebantur. Nam aqua quae per se in fontem baptismi ascendere solebat, non apparuit, legitimo tempore apparens. Zozimus papa decrevit cereum sabbato sancto Paschae benedici.

Franci regem habere coeperunt, Pharamundum, Marchomiri ducis filium, sibi ordinantes. Bonifacius papa annis vj praesidens, cum contra eum Eulalius ordinaretur, sedem obtinuit, quia prior ordinatus erat. Hic decrevit servum et obnoxium curiae vel cujuslibet rei, clericum non fieri; et ut nulla mulier pallam aut sacram vestem contingat vel incensum ponat. In Bethleem Jheronymus quievit in Christo ij kal. Octobris, aetatis anno xcix; eundem numerum complens alter sanctae Dei genitricis minister, quem et Johannes evangelista, de quo quidam in visione nocturna inter alios multos versus quemdam quasi in codice legentem istos audivit :

Graecia miratrix nullo plus gaudet alumno :
Si numeravit avos repetens ab origine prima,
Plus quam laudatur est quod laudetur in illo.

Honorio defuncto, Theodosius Valentinianum, amitae suae filium, regni consortem adsciscit; imperans cum eo annis xxiiij, cum jam sine ipso imperasset annis v. Caelestinus papa, qui viij annis et dimidio sedit, constituit ut de Davidicis psalmis excerpti introitus, gradualia et offertoria, ante et inter sacrificandum canerentur. Antea non nisi lectio vel epistola et evangelium tantum recitabatur. Gensericus, rex Wandalorum, capta Hypsali, cum impie elatus in ecclesiam ipsius civitatis irrueret, mox a daemone correptus interiit. Cui Gundricus frater Arianus succedit. Beatus Albanus Maguntiae martyri-

tur. Johannes quidam Hunorum auxilio ad tyrannidem contra Theodosium intendens, Ardaburium militem ejus captum incarceravit. At Haspar, Ardaburii filius, ab angelo per paludem ductus, ad carcerem interfecit Johannem, patrem recipiens.

Tertia synodus universalis cc episcoporum, jubente Theodosio, apud Ephesum Constantinopolitanum episcopum damnat Nestorium, dicentem purum hominem, non Deum, de Maria natum; unde in Christo duas dixit esse naturas et duas personas; xv quoque canones statuuntur. Sanctus Patricius Britannus filius *Conches*, sororis sancti Martini, a Coelestino Scotorum ¹ archiepiscopus mittitur, quibus praefuit per annos lx. Beatus Augustinus Heraclium sibi substituit. Clodius rex crinitus, filius Pharamundi, Francis imperat annis xx, ex quo Franci crinitos reges habere coeperunt. Vualamer Ostrigothis imperat, cujus fuit frater Thuidimer, pater Theodorici regis Italiae. Sixtus papa, qui viij annis sedit, a Basso criminatus suo judicio per Valentinianum imperatorem relictus est; ipse vero volens praecidere suspicionem, purgatur coram episcopis lvj. Bassus vero damnatus proscribitur, et non multo post a Deo percussus a Sixto sepelitur.

Eudoxia Augusta, Arcadii relicta, tulit de Jherusalem duas catenas, quibus Herodes Petrum vinxerat, eisque adjuncta qua sub Nerone fuerat vinculus, triadem fecit. Quo viso Eudoxia beato Petro ecclesiam aedificavit, et vincula ibi posuit. Quam dominus papa kal. Augusti dedicavit, quo die gentiles Octaviano Augusto festa celebrabant, pro triumpho habito de Cleopatra et Marco Antonio. Invenitur tamen quod Theodosii uxor Theosebia Romam catenas attulerit, cum Romana dicat historia quod junior Theodosius in uxorem duxerit filiam Leontii Atheniensis sophistae, quam in baptismo Eudoxiam vocari fecit, omnibus philosophiae lectionibus eruditam.

Wandali Africam devastant. Sub hoc turbine tribulationis Augustinus migravit ad Dominum, xiiij mense obsidionis urbis, suae aetatis anno lxxvj, episcopatus xl, v kal. Septembris. Diabolus Moysen se mentiens promittit Judeis terram promissionis, sed multis per eum in mari submersis, qui evasere Christo subduntur. Leo papa, qui et xxj annis sedit, in homeliis declamandis elegantia compositae orationis omnes doctores antecellit. Hic in canone missae addidit: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Ipse una

¹ Seu potius Hybernigenarum.

de ix missas, alia die vij celebravit; modo vero si desit necessitas, tantum debet una ab uno presbytero celebrari. Ipse decrevit clericis qui crimen capitale committunt, non publica poenitentia sed privata satisfacere. Leo papa dans pro reliquiis brandeum, dubitantibus legatis ipsum cultellum panno pupugit et verum sanguinem producens veras sanctorum reliquias asseruit veritate miraculi. Idem quoque legitur de Gregorio Magno papa ¹.

Anno Domini CCCCXLIX, Hengistus et Horsus cum Anglis ad Votegirnum venerunt in Britanniam. Quos jam in eadem insula praevenierant Germanus, Antissiodorensis episcopus, praeceptor sancti Patricii, et Lupus Trecassenus, directi contra Pelagianos. Merlinus hoc tempore eidem insulae futura praenuntiat. Theodoricus, rex Wisigothorum, Hispanias occupat. Orta simultate de fide resurrectionis, vij dormientes apud Ephesum excitati praedicant resurrectionem. Morovecus, filius Clodii, super Francos regnat annis x, rex patriae utilis valde. Sanctus Remigius nascitur, praenuntiatus ex nomine per Montanum monachum. Quo nato Montanus, qui caecus erat, de lacte Cilinae matris ejus oculos liniens, illuminatur.

Germanus Antissiodorensis reversus de Britannia Ravennae moritur, cujus corpus cum miraculis Antissiodorum refertur. Bledda, rex Hunorum, fraude Attilae fratris sui perimitur, eique succedens ipse Attila in excidium omnium regnorum animo armatur. Legitur quod Leo papa putaverit annum esse communem, cum esset embolismalis, et bis de Pascha dubitaverit; primo existente Paschae termino xiiij kal. Maii, secundo existente termino xv kal. Maii et luna xix concurrente v, dominicali littera B.

Theodosius christianissimus, sobrius valde et pudicus, ad studia et librorum collectionem plus quam Philadelphus intentus obiit. Cujus soror, beata Pulcheria virgo, imperium mox tradit religioso et idoneo seni Martiano, eo pacto, ut ipse defensor esset virginitatis ejus et custos, qui imperavit annis sex; cum quo Valentinianus regnavit post Theodosium annis v. In Chalcedone quarta synodus universalis DCXXX episcoporum celebratur, in qua damnatur Eutyches, abbas Constantinopolitanus, unam dicens Christi esse naturam, unamque personam. Canones xxvij conscribuntur, dato decreto ut sancta Maria Theotocos, id est mater Dei, credatur et dicatur. Hoc tempore Attila, Hunorum rex, a Pannoniis egressus, cum quingentis armatorum mil-

¹ Hucusque tripartitam historiam secutus est auctor.

libus Occidentale imperium invadit. Hoc excidium Galliis imminere Servatius Tungrensis longe ante in spiritu praeviderat, et Romae a beato Petro hoc iudicium Dei inevitabile fore didicerat. Ideoque relicta Tungrensi urbe, quae evertenda erat, ad Trajectum sedem episcopalem transposuit.

Itaque post ipsum anno circiter lxx, hoc tempore per Attilam destructa Octavia, Trajecto conservato, quum Huni illud quasi oblitum praeterierunt, necatis quoque circa Coloniam xj millibus virginum, de quibus praelibata sunt sub Gratiano, quae de ipsis dicenda putavi, muri Metenses coram eisdem Hunis ultro corruerunt et civitas penitus est vastata, praeter oratorium beati Stephani protomartyris. Attila vero per Remis transiens, occisis ibi sanctis Nichasio episcopo et Eutropia sorore ejus et plebis multitudine, quorum festum agitur xix kal. Januarii, perveniens Trevas requisitus ad portam a sancto Lupo episcopo, esse se dixit flagellum Dei. Quo audito: « Ego sum, ait Lupus, servus Dei; non decet ergo servum Dei resistere flagello Dei, » et hoc dicto Attila ab ipso cum suis intromissus a porta usque ad portam pertransivit, tum neminem videns, tum neminem laedens. Cui Romam regredienti Leo papa occurrit, et mox ut rediret, obtinuit. Attila requisitus cur ei tam obedienter paruisset; respondit quemdam senem mirabilem sibi paruisse, qui ei mortem minabatur gladio, si illi non obedisset.

Huni qui, quales et unde fuerunt, quum dignus se obtulit locus, hic annotabimus. Fulmer, quintus Gothorum rex, post egressum Scantiae insulae, Scythiam cum suis introiens, quasdam Magas mulieres in ea repertas a se fugans, in solitudine errare fecit. Quas sylvestres homines, quos nonnulli faunos vocant, dum vidissent et coissent cum eis, genus hoc ferocissimum ediderunt, quod sub hominum figura, belluina saevitia enutritum inter paludes Maeotidas, ex eis egressum est, quadam cervae monstrante venatoribus paludes pervias, quas hactenus invias esse putaverant, et per annos ferme lxxx ad excidium praecipue Occidentalis imperii imminabant. Hi maribus genas ferro sulcantes, antequam lactis percipiant nutrimentum, imberbes eos et supra modum deformes faciunt consenescere, qui offas magis quam facies et puncta magis habentes quam lumina, quos bello forsitan minime, horrida certe vultus sui deformitate fugabant.

Martiano imperatori apparens Dominus in somnis arcum Attilae fractum esse ostendit, et vere, namque eadem nocte Attila in nuptiis suis crapulatus, erumpente de naribus sanguine, in lecto suffocatur. Valentinianus Aëtium pa-

tricium pertimescens, qui etiam Attilae terrorem incussit, gladio peremit, pro qua re sequenti anno, consilio Maximi tyrannidem meditantis, a Trasea Aëtii milite Valentinianus perimitur. Sub Martiano Johannem Baptistam caput suum duobus monachis revelasse, quidam scribunt. Turonis beatus Briccius sancto successit Martino per annos xlvj. Qui ante episcopatum cum beatum Martinum episcopum multis injuste laceraret conviciis, audivit ab ipso dicente se futurum post eum episcopum, sed mala multa passurum, quod et probavit eventus. Nempe fornicationis et magiae accusatus in episcopatu injuste, cum se purgasset incassum, infante xxx dierum plane loquente et dicente ipsum non esse patrem suum, portatis quoque prunis illaesa veste in gremio, per septennium duobus sibi vicissim subrogatis a sede exulavit; qui restitutus hoc tempore creditur migrasse ad Christum.

Maximus tyrannus cum Eudoxiam, relictam Valentiniani, vi rapuisset, a populo membratim discerpitur. Gensericus vero Africanus, ab Eudoxia contra ipsum evocatus, Romam tertio die ingreditur post extinctum Maximum, at urbs per xliij dies penitus evacuatur opibus universis, lapidibus, miraculis et vasis hebraicis, quae Titus de Judaea attulerat, anno xliij post vastationem factam ab Alarico hoste, tamen precatu Leonis papae abstinate ab igne et caede. Qui inde digrediens Campaniam vastat et diripit, in qua procella Paulinus, Nolanus episcopus, dum pro captivo filio viduae vicarium se in servitum barbari subjicit, omnes captivos suae urbis recepit.

Romani Abicium quemdam imperatorem faciunt. At Martianus, facta suorum conspiratione, perimitur, cui in Oriente succedit Leo major, qui xvij annis imperavit. Abicio quoque defuncto, Majorianus Romae invadit imperium. Quo post iiij annos occiso, succedit Severus iiij annis, post quem Anthemius. Quo adhuc vivente, mittitur a Leone imperatore Olibrius, Occidentalis imperii jura suscepturus. Qui Placidam, Valentiniani filiam, ducens in uxorem, post vij menses imperii Romae moritur. Ab hoc Antiochiae Margareta virgo pro titulo christianitatis martyrizata creditur xij kal. Augusti. Succedit Lucerius, quem sequenti anno nepos Patricius ejectum apud Salonas episcopum ordinavit. Symon eremita hoc tempore claruit, qui xl annis inclusus in columna stetit. Apud Tolosam sanguis tota die fluxit largissime, quod Gothi pro portento suae perditionis acceperunt. Hylarius papa vj annis sedit.

Pictor quidam cum salvatorem secundum imaginem Jovis pingere voluisset, aruit manus ejus, quem culpam confessum orando sanavit Gennadius, Constan-

tinopolitanus episcopus. Helyseus propheta sepultus in Samaria multis claruit miraculis, ut praeter caetera etiam daemones, frementes ibi variarum ferarum vocibus, ab invasis fugarentur corporibus. Hic inde Alexandriam transfertur. Simplicius papa praesidet annis xv. Beatus Mamertus, Viennensis episcopus, v idus Maii obiit; qui instituit litanias ante ascensionem Domini, propter terrorem tonitruorum et feritatem luporum, qui multiplicati nimis homines eo tempore devorabant. Remigius, xxij annorum, episcopus fit Remorum.

Hic notandum quod Remis civitas exordium habuit mox post Romam aedificatam a Romulo. Nam occiso Remo a Romulo fratre, propter vallum saltu transmissum, milites Remi fugientes ad villam Cordurum dictam, ob honorem principis sui Remis eam nominabant.

Hoc tempore, negotiatores Venetiae corpus Marci evangelistae ab Alexandria Venetiam transtulerunt.

Leone majore mortuo, Leo junior Zenonem generum suum manu sua coronavit et rebus excessit, qui xvij annis imperavit. Odoacer, cum multo multarum gentium exercitu a Pannoniis egressus, Italiam petit. Romae Augustulus, qui imperium praesumpserat, post xj menses, metu supervenientis Odoacris, potentissimi Herulorum regis, sponte cessit. Periiit itaque Augustalis dignitas cum hoc Augustulo, anno ab urbe condita MCCIX, a Caio Julio DXVII, ab incarnatione Domini CCCCLXXV, atque Odoacer urbem ingressus, nullo inquietante, per xiiij annos totius Italiae tenuit regnum, donec Theodoricus, Thuidimeris filius, Ostrogothorum rex et consul ordinarius Zenonis imperatoris, a Zenone Italiam dono accipiens, Odoacrem bis fugatum, sed post in fide susceptum, truculenter peremit. De hoc Theodorico ita legitur: « At de Theodorico Graeco, filio Liliae et ignobilis Theodori, invenitur quod, petentibus Wisigothis, a Leone missus ad Italiam, cum Odoacrem captum occidisset, suggestionem ejus prosperitatem invidentium, ad perimendum revocatus sit. Sed per Ptolomeum senatorem, specialem amicum suum, ne rediret, sophistica narratione leonis, cervi et vulpis, instructus est, ubi vulpes cum cor cervi clam devorasset intulit requisita, quia si cor cervus habuisset post evulsa vulnera, iterum ad leonem non redisset. » Iste Theodoricus in expeditione Aëtii congregantis cum Attila peremptus occubuit.

Cum Franci opprimerentur ab Aegidio, Hildricum ejectum revocant et in regno restituunt, qui post junctos Hunos, Wandalos et Gothos incessunt Gallias, non tantum ut sint eis direptioni, sed locus perpetuae habitationi. At

fugato Aegidio Treverim capiunt et Coloniam civitates. Haeresis Acephalorum exorta est. Hi impugnant tria capitula synodi Chalcedonensis, duas in Christo naturas negantes. Acephali sine capite dicti; quis auctor eorum nescitur. In Africa rex Wandalorum Honoricus, filius Genserici, christianos usque ad *iiii^mdcccclxxvj* pro fide ad mortem excruciauit. Hic, convocatis quasi ad synodum *ccccxliij* episcopis et ecclesiasticis, ecclesias eorum clausit vel Arianis tradidit; duodecim vero episcopi abscissis linguis loquuntur. Post Agelmundum, imperat Longobardis Lamisso, sic dictus quod a lama, id est voragine, fuit extractus. Nam mater ejus septem uno partu enixa, cum eos in piscinam projecisset et rex Agelmundus iter faciens eos hasta revolveret: is hastam ejus firmiter tenuit, et ab eo nutritus eo virtutis processit, ut in regno ei successerit et necem ejus in Bulgaros ultus sit.

Felix papa sedens annis *vj* Acarcium, episcopum Constantinopolitanum, haereticum damnavit. Nota quod iste Felix et Gelasius et Agapitus papa et alii quamplures apostolici filii fuerunt sacerdotum ¹, unde patet filios sacerdotum qui digni sunt, licere promoveri. Quod autem Urbanus secundus ait: « Presbyterorum filios a sacris ordinibus removemus, » et illud: « Adulterorum filii abominatio sunt Domino, » intelligendum est de illis qui paternae incontinentia imitatores sunt; nempe secundum Gregorium, perversum est ut frustra quorumdam voluptatibus quis privetur, quem sua culpa ab officiis, quo fungitur gradu, non dejicit. Et secundum Hieronymum, « nasci de adulterio non ejus culpa est qui nascitur, sed illius qui generat. »

Hildrico, Francorum regi, succedit Lodwicus, filius ejus, annis *xxx*. Hunc Clothildis, uxor sua catholica, saepius a gentilitate avocare conatur. Qui aliquando cum Alemannis bello congressus, pro periculo imminente voto suscipiendi christianismi se obligare cogitur, sicque perempto Alemannorum rege et Alemannia sub tributo redacta, instinctu et ductu Vedasti, a Remigio Remensi cum fere tota Gallia baptizatur. At dum baptizaretur, intercluso a turba ministro chrismatis, columba coelitus chrismatis attulit ampullam, quae in hodiernum diem ad Francorum regum inunctionem Remis reservatur. Clarent in Galliis Principius frater Remigii, episcopus Suessionensis, et Vedastus, a Remigio episcopus Atrebatensis ordinatus, in Africa Fulgentius Rupensis, qui obiit kalendis Januarii, et in Italia Germanus, Capuanus epis-

¹ At qui nati erant priusquam patres ad sacerdotium assumpti.

copus. Gelasius papa vij annis ecclesiae praefuit, qui diversos tractus et hymnos et collectas, sacramentorum quoque praefationes limato sermone composuit. Iste et Pius et Nicolaus papae prohibuerunt arreptos, epilepticos vel in adolescentia a daemonibus vexatos sacris altaribus ministrare vel ascendere ad sacros ordines.

Barnabas apostolus, qui apud Salaminam Cypri a Barjesu mago et Judaeis igne crematus est, corpus suum, quod a Johanne materno consobriano suo in crypta occultatum adhuc latebat, inveniri fecit; cum quo evangelium Matthaei, ipsius manibus hebraice conscriptum, quod Barnabas semper secum circumferebat et ponens illud super infirmos semper eos sanabat, inventum est. Avitus, Viennensis episcopus, Gallias ab Arianis defendit. Anastasius papa, quia Fortino diacono haeretico communicavit, et Acarcium revocare voluit, ab ecclesia abjectus est et nutu divino percussus. Secundus Hyberniae archiepiscopus, Patricius, obiit xvj kalendas Aprilis, anno aetatis suae cxxij.

Mortuo Zenone imperatore, succedit Anastasius et xxv annis imperavit. Britannii ab Anglis concessere penitus in jus et nomen ipsorum. Symmacho electo et contra eum Laurentio ordinato, grave dissidium oritur, donec illud compressum a Theodorici, quamvis Ariani regis, potentia. Pro qua dissensionis causa animam Paschasii diaconi, qui pertinacius Laurentio faverat, alias magnae sanctitatis viri, invenit in Thermis Germanus Capuanus episcopus positam in igne purgatorio. Hic constituit omni dominica vel sanctorum natalitio *Gloria in Excelsis* cantari, et, secundum quosdam, quae ad angeli verba sequuntur adjecit. Thelesphorus tantum hoc in Natali cantari instituit. Iterum Symmachus criminatus coram episcopis cxv se purgat, et damnatis Laurentio et Petro, quem Theodoricus rex contra canones apostolicae sedis visitatorem fecerat, sedi restituitur. Contentio autem usque ad caedes protrahitur.

Sanctus Remigius ex praediis a Ludovico sibi datis, sedem episcopatus apud Laudunum constituit, primum episcopum ibi ordinans Genebaudum, qui pro crimine fornicationis sponte in inclusa juxta ecclesiam per vij annos poenituit, donec post septennium angelica visione commotus, Remigius eum in coena Domini sedi restituit; cui sanctis meritis ad aeternitatem vitae suscepto successit filius ejus sanctus Latro, quem in episcopatu cum quadam filia, Vulpecula dicta, ex fornicatione suscepit. Claret in Carthagine Fulgentius sanctitate, stylo et facundia mirabilis. Romae Symmachus patricius rempublicam illustrat, et Boëtius, gener ejus, vir consularis, omnium liberalium

artium peritissimus. In Africa Olympus quidam dum in balneis constitutus Sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito jaculo coelitus visibiliter misso concrematur. Constantinopolim Deuterus, Arianus episcopus, dum quemdam baptizaret et male distinguens Trinitatem diceret : « Baptizo te in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto, » aqua disparuit. Anastasius imperator Eutychianis consentit, duas naturas in Christo non credens, Deum affirmans, hominem negans. Hormisdas papa ix annis sedit. Hic clerum in choro composuit et psalmis erudit. Hic respectu apostolicae humanitatis Graecos convictu haereticorum maculatos absolvit.

Loduvicus contra hostes Turonis transiens equum suum sancto Martino misit, quem c solidis redemptum recipere non potuit, aliis c missis recepit, credens bonum esse in auxilio qui tam carus erat in negotio; quod et belli bonus probavit exitus, namque Alaricum, regem Wisigoticum perimens, Tolosam sedem regni Wisigothorum possidet et regnum Francorum dilatat usque ad montes Pyreneos. Ipso etiam praesente prima synodus hoc tempore in Francia Aurelianis habita est. Quo mortuo, succedit Lotharius filius ejus annis lj, compertito regno confratribus suis Theodorico, Theodomere et Hildeberto. Sancta Genovefa virgo octogenaria Parisius migravit ad Christum .iij non. Januarii. Hanc Germanus Antisiodorensis Christo dicavit, cum propter Pelagianos pergeret in Britanniam. Anastasius imperator in haeresi Eutychiana perseverans fulmine a Deo percussus interiit. Johannes papa praesidet ij annis et dimidio. Boëtius, quia auctoritatem romani senatus contra Theodoricum, regem Italiae, tueri nititur, apud Ravennam relegatur, ubi in carcere positus librum *De Consolatione* edidit. In Scothia sancta Brigida virgo migravit kal. Februarii. Caudes, rex Persarum, regem Hunorum venientem cum xx^m sibi in auxilium contra Romanos cum exercitu delevit, suspectum eum habens qui utrimque munera accepit et a se contra Romanos et a Romanis contra se; ibi ergo regnum Hunorum et nomen concidit. Theodoricus rex Boëtium perimit, reum majestatis judicatum, et per satyram exquisita materia sub occasione philosophiae in eum invectus esset. Hoc tempore, ut scribit Faustus, qui cum Mauro abbate in Gallias venit, sanctus Benedictus floruit, sed de morte ejus non procedit ratio, secundum cyclum Dyonisii, quia eo anno scribit eum obiisse Faustus, quo in Gallias cum Mauro venit, cum plane in romana historia legatur sub Justiniano floruisse et Vigilio papa.

Justinus imperator x annis imperans Arianos ubique exterminari jubet,

pro quo edicto Johannes papa, a Theodorico rege Ariano Constantinopolim missus, ante portam civitatis caecum illuminavit, et compos petitionis ad Theodoricum reversus, ab eo incarceratus fame defecit v kal. Junii. Post dies vero xc, Theodoricus de lecto, in quem sanus intraverat, nudus et discalceatus subito raptus, vidente quodam eremita, in Lipara insula in ollam Vulcani est detrusus a Johanne papa et Symmacho fratre Boëtii, quem ut Boëtium vita privavit. Hujus Symmachi Boëtius alibi legitur fuisse gener. Theodorico successit Athalaricus. Felix papa, Gregorii Magni atavus, praesidet iiij annis. Acephalorum haeresis abdicatur, qui inter caetera feminas diaconas debere fieri Paulum praecepisse dicebant. Bonifacius papa romanae ecclesiae praesidet iij annis. Justinus, Justiniano suo ex sorore nepote in regno constituto, moritur. Anno Domini DXXI, Justinianus imperat annis xxxviiij. Hic libros legum romanarum abbreviavit in uno volumine, quod Justinianum vocatur. Floruit hoc tempore Cassiodorus senator, post monachus, et ut quidam putant, Priscianus grammaticus. Corpus Antonii monachi divina revelatione inventum Alexandriam est delatum.

Golimer catholicos in Africa persequitur: et excisis radicitus linguis, episcopi clare loquuntur; quod miraculum unus eorum auxit, qui in elationem versus statim privatus divino dono obmutuit. Justinianus Constantinopoli ecclesiam S. Sophiae incomparabili opere exaedificat; qui et solos orthodoxos jussit militare. Johannes papa, cognomento Mercurius, Romae praesidet ij annis. Totila, Ostrogothorum rex, Italiam invadit et a sancto Benedicto in Cassino sibi ventura agnoscit. Ubi sunt ergo qui sibi de sancto Benedicto contraria fabulantur? Qui prophetat vivus, frustra defunctus asseritur.

Justinianus Belisarium ducem misit ad deliberandum Africam. Qui noctu Carthagine capta, Golimerem captum Constantinopolim secum adduxit; sicque post annos c, ex quo Gensericus in Africam navigavit, Wandalii exterminantur. Agapitus papa uno anno praesidet, a Theodato tyranno Constantinopolim missus, Justinianum Eutychna haeresi infectum reperiens, correptum eum ad fidem reduxit. Qui cum etiam Anthemium Eutychnianum, ejusdem regiae urbis episcopum, excommunicatum exiliasset, ibi moritur, sed Romam refertur. Severius papa a Theodato substitutus, quia Anthemium revocare noluit, exiliatus defecit, cum jam praefuisset uno anno. Cassiodorus abbas expositiones psalmodum, libros ethymologiarum et scematum, multaue utilia componit. Vigilius papa praesidet annis xviiij et dimidio. In Galliis clarent

Gildardus et Medardus, uterini fratres, uno die nati et pontifices consecrati, et una die a seculo assumpti, vj idus Junii, Medardus ad titulum Noviemensem, Gildardus ad Rothomagensem.

Anno Domini DXXXII, expletur a nativitate Christi magnus annus, qui est annorum totidem, id est D et XXXII. Claret hoc tempore Fulgentius Utricolensis. Anno DXXXVIII, apud Persas regnat Cosdroë annis xxxvij, qui Romanorum fines incursans Antiochiam capit. Hildebertus in fratrem insurgit Lotharium, sed matre Clothilde¹ orationibus intercedente, horrida tempestate coërciti fraternam pacem reformant. Anno Justiniani xv, Ypapanti Domini sumpsit initium, ut celebraretur apud Bizantium iiij nonas Februarii. Theophilus in una urbium Ciliciae a vice-decanatu amotus injuste, postquam Christum scripto abnegaverat per poenitentiam xl dierum interventu beatae Virginis meruit reconciliari, et accepto mancipationis suae scripto, post triduum eripi de carnis ergastulo². In Campania Italiae, anno DXXXVIII, Benedictum juniorem rex Totila cum cella comburere voluit nec valuit. Deinde in clybanum ardentem projecit, sed die altero, illaesis etiam vestibus, illaesus exivit.

Arator poëta librum suum ad Vigiliam papam scribit. Anno Domini DXLII, inclytus Britanniae rex Arcturus, qui a temporibus Leonis imperatoris et Simplicii papae quasi potens gloriabatur, in potentia sua obiit. Eodem anno, in Gallia cometa apparuit, et verus sanguis ex nube defluxit. Lotharius et Hildebertus fratres, obsessa in Hispaniis Caesaraugusta, civibus Deum orantibus et circumlata Vincentii martyris tunica, prohibentur. Qui, accepta a civibus ipsius martyris stola, redeunt acquisita Hispaniae parte non minima. Remis beatus Remigijs migravit idus Januarii, anno Domini DXLVI, de quo tamen festum agitur kal. Octobris, quando translatus est, sicut et Vedastus et Germanus Antissiodorensis. Anno vero Domini DXLVII, in castro Cassino beatus Benedictus obiisse putatur. Ante cujus obitum hoc tempore Totila, rex Ostrogothorum, captis Roma et Romanis, habitavit aliquandiu cum eis, quasi pater cum filiis, mansuefactus, ut creditur, ejusdem sancti Benedicti monitis.

Herculanus Periesrous episcopus, a Totila capite truncatus, postea in monumento invenitur, capite unito corpori. Narses vero patricius Totilam regem et regnum et nomen Ostrogothorum penitus destruit. Ita illud regnum Go-

¹ Codex habet *Rotilde*.
Tom. II.

² Cf. *Vitae S. S. Patrum Surii*, ad 4^{am} Feb.

thorum quod per annos circiter ij cccc duraverat, in Ostrogothis defecit. Sed in Wisigothis permansit regnantibus in Hispania. Theodorico regi in Gallia succedit Theodebaldus, filius ejus. In Gallia fructus verae sambuci in uvas et veros fructus vitis transformantur. Quinta synodus universalis xxiiij canones statuit, Constantinopoli celebrata contra Theodorum. Vigilus papa, quia secundum suam promissionem noluit Anthemium revocare, ignominiose tractatus Constantinopolim mittitur, et tandem cum flecti non posset, exiliatus in Silverio, commissa ut egit recepit, tamen digne poenitendo, veniae locum invenit. *Hucusque Jordanis*¹ *episcopus chronicam suam produxit.*

Pelagius papa praesidet xij annis et dimidium, qui insimulatus de morte Vigilii papae, tenens sacrosancta evangelia et crucem, jurejurando publice satisfecit. Clothildis² regina obiit. Hyems asperrima in tantum praevallet, ut volucres et ferae indomitae manu caperentur. Theodebaldus rex moritur. In Oriente puer quidam Judaeus, cum coaevis suis pueris christianis, ecclesiam S. Mariae die Paschae ingressus, corpus Christi accepit; propter hoc a patre suo projectus et inclusus in fornacem ardentem, illaesus inde a Christianis, post aliquot horas, extrahitur. Qui interrogatus quomodo hoc ei acciderit, ait: « Mulier illa quae in altari posita puerum tenet in gremio, pallio suo me ab igne reservavit. » De hoc puero quidam dicunt, quod mater ejus vidua eum sine dolore pepererit, ignorans plane in hora partus quomodo ventrem suum egressus sit, et hoc ideo quia pro partus periculo, hortatu cujusdam christianae, beatae Mariae per christianum sacerdotem missam fecit celebrari, idemque post corpus Christi sub specie pueri dari vidit Christianis.

Radegundis regina, quam in Thuringia captam Lotharius reginam sibi fecerat, veste mutata, sanctitate claret. Anno DLIX, Gregorius, filius Gordiani senatoris, Romae praetor constitutus, liberalium artium scientia et facundiae gloria nulli secundus habetur. Hildeberto mortuo, Lotharius frater ejus monarchiam regni solus obtinet. Judaeus quidam, imagine Salvatoris furata et allata in domum suam, telo eam transfixit et flammis eam exurere voluit, sed sanguine cruentatus, stupens et metuens eam abscondit, quam Christiani requirentes vestigia sanguinis secuti, cruentam receperunt et Judaeum lapidibus obruerunt. Sanctus Brandanus in Scothia claret, qui Fortunatas insulas septennali navigatione perquirens, multa miraculo digna et talium inexpertis incredibilia

¹ Sic in codice; designare tamen Jornandis chronica valuit Balduinus.

² Cod. *Rothildis.*

et vidit et memoria mandavit¹. In Gallia mons super Rhodanum multis diebus dans mugitum, tandem a monte sibi vicino discissus, cum ecclesiis, domibus hominibus et bestiis in Rhodanum est praecipitatus. Johannes papa praesidet xij annis et dimidio. Lotharius coenobium S. Medardi Suessionis construxit, ubi et sepultus est. Post quem Chilpericus regnat in Francia annis xxij, compertito regno cum fratribus Heriberto, Guntrammo, Sigeberto. Justinianus imperator, de corruptibili et incorruptibili dogma alienum a pietate movens, defunctus est. In territorio Andegavensi obiit Maurus abbas, xvij kal. Februarii, in cujus conventu cum monachi essent cxi, infra v menses mortui sunt ex eis cxvj.

Anno DLXV, Justinus minor, natione Trax, imperat annis xij. Maclovus socius peregrinationis Brandani, miraculis clarus, a Britannis exacerbatus, eis maledicens, transivit ad Gallias. Britanni multis cladibus addicti veniam petunt, qua impetrata, sanantur. Sanctus Leonardus, discipulus sancti Remigii, cum fratre Lifardo miraculis et sanctitate claret; qui et obiit vij idus Julii, vel secundum alios v idus Decembris, in Nobiliaco juxta Lemovicum; sed incertum plane cujus apostolici tempore. Attrebati sanctus Vedastus obit, tempore adhuc Johannis papae. Anno DLXXI, Sigebertus rex fratri suo Chilperico repugnat, occupans Suessionis, sedem regni ejus, et ipso in praelio victo, fines suos ab ejus insolentia tutatur. Ipse uxorem ducit Brunam, filiam Athanacildi regis Wisigothorum, quae et Brunehildis dicta est. In Armorico regno, quod nunc Britannia dicitur, claret sanctus Samson archiepiscopus, cum sex fratribus aequae sanctis sacerdotibus, quos mater sua in Anglia uno partu enixa est. Haec alias magnae charitatis et castitatis matrona, si qua fortuito mulier geminos habuisset in utero, fornicariam suspicata est, discredens ullam mulierem infantes ab uno simul plures posse concipere, donec ipsa Dei in se potentiam experta, quos simul concepit vij filios peperit; quos pro verecundia carecto destinans ad submergendum, ab obvio quodam episcopo periculo praerepti sunt et enutriti.

Anno Domini DLXVIII, sancti Wandregisilus et Amandus nascuntur. Gregorius, Turonensis episcopus, litterarum scientia et morum nobilitate clarus habetur. Hispanis xij kal. Aprilis, Francis xiiij kal. Maii, Pascha celebrantibus, fit dissentio, quae direpta est divinitus. Cum fons baptismatis qui in sabato Paschae in Hispania per se repleti solebat, non in Hispanorum sed in

¹ Vid. Phil. Blommaert, *Oudvlaemsche gedichten der XII^e, XIII^e en XIV^e eeuwen*, pag. 91.

Francorum Pascha repletus est. Anno DLXXVI, Gregorius, ad praedicandum Anglis a Benedicto papa ire permissus, est populo tumultuante retractus. Levita septimus est ordinatus. Sanctus Columbanus claret, qui et Columba. Fortunatus quoque poëta ab Italia et episcopus Pictavensis clarus habetur. Justinus magnanimus, orthodoxus valde et ad omnia prosper, moritur.

Anno DLXXIX, Tyberius, justus et sapiens, imperat vj annis et dimidio. Qui, missa ab Aegypto frumenti copia, Romam liberavit a famis injuria, quae tunc intolerabiliter invaluit in Italia; et quia liberalis in pauperes fuit, liberalitatem ejus Deus juvit, dum thesauros ei dedit invenire. Nam in pavimento palatii sui tres cruces in tribus marmoribus, unam post alias, inventas effodi faciens, thesaurum subtus invenit, cum Narsetis patricii, quodam sene indicante, ingentes thesauros reperisset. Francis super se regem constituere volentibus Sigebertum, a duobus pueris immisiss a Fredegunde, Chilperici uxore, Sigebertus perimitur. Brunechildis relicta ejus, cum filio suo Childeberto regnum gubernans, propter insolentiam morum omnino intolerabilis erat; tamen ecclesias Dei fundabat et honorabat, et coenobia studiose aedificabat, quam mox cum filiis Chilpericus exiliat. Pelagius papa, obsidentibus Romam Longobardis, ordinatur absque principis jussione. Hic ix praefationes ordinavit, quae solae authenticae dicuntur. Ab hoc Gregorius Constantinopolim apocrisarius directus, Euticium episcopum in praesentia Tiberii imperatoris confutavit et fidem resurrectionis in veritate carnis asseruit. Sigebertus scribit sub Tiberio sanctum Germanum Parisiensem obisse v kal. Junii, qui tunc secundum vitam suam etiam sub Eraclio claruisse putatur. Anno DLXXXIII, Sanctus Winnochus veniens de Britannia sanctitate claret in Gallia. Tiberius dolore capitis mente alienatus, non multo post moritur.

Anno DLXXXV, Mauritius imperat xxj annis. Persae Armeniam praeliis et incendiis vastantes, ecclesiam xlvij martyrum sub Licinio passorum nullo ingenio incendere voluerunt. Turonis verus de pane sanguis effluxit. Antiochiae quidam hospitalitati ita deditus erat, ut nullo die sine hospite cibum sumeret. Quadam die cum hospitem non haberet, tota die sine cibo perdurans, ad vesperam offendit in platea seniore albis indutum, quem cum invitaret, ille pallium quod tenebat manu excutiens contra unam mediëtatem urbis, mox eam evertit, sed ne etiam alteram everteret ille vix precibus obtinere potuit. Chilpericus, rex Francorum, fraude uxoris suae Fredegundis perimitur, cui succedit filius ejus, infans iiij mensium, Lotharius annis xliij. Tanta pluvia inundavit

veris tempore , ut diluvium fieri videretur ; tantaque clades ut nullus a seculo graviolem meminerit. Draco etiam in modum validae trabis cum multitudine serpentum per Tiberim in mare descendit , et suffocatis marinis belluis , aërem putredine corrumpit , unde etiam facto diluvio ut unda Romae super muros influeret , subsequuta est pestis inguinaria. At Pelagius papa litaniam majorem incipiens pro hujusmodi clade , primus in ipsa litaniae processione cum aliis lxx percussus est eadem peste. Gregorius vero , monachus et abbas , Pelagio in cathedra substitutus , eandem septiformem litaniam per totum orbem agi instituit , anno DXCIII ; qui delitescendo fugiens , ne ordinaretur columna lucis proditus est. Hic ante episcopatum Job coepit exponere , rogatu Leandri Hyspalensis episcopi , cui successit Isidorus. Gregorius antiphonarium ordinavit , *Kyrie eleison* et *Alleluia* ad missas cantari instituit ; in canone addidit *Diesque nostros* usque *Grege numerari* , et hanc praefationem *Oremus , praeceptis sabbataribus* cum dominica oratione , per quam solam consecrabant apostoli ; monachisque potestatem ligandi et solvendi concessit ; ad ordines accedere prohibuit eum , qui se genitalibus mutilavit , vel qui usuras accepisse convincitur , vel qui publica poenitentia peccata deflevit , vel qui in furiam aliquam versus insanuit , et clericos comam relaxantes anathematizavit , et diebus sabbatorum a carnibus censuit abstinere ; brevemque epistolam composuit , sed valde utilem , cur ecclesia quatuor ordinibus distributa diversimode consecret Eucharistiam. Nam Romana azimos panes offert , Alexandrina vero , Antyoehena et Jherosolimorum fermentatos. Ipse quoque inter caetera scripsit dicens : « Baptizatus est si quis forte , semel tantum immergatur in nomine Trinitatis , quia una immersione unitas subesse potest designari , nec est rebaptizandus , quamvis nomina personarum corrupta latinitate proferantur ab ignorante latinum. » Item dixit ubi causa frigiditatis sit divortium : uterque septima manu juret , quod carnaliter conjungi non possunt , et tunc mulier alii nubat , si velit ; vir vero secundam non ducat. Quod si post cognoverit aliam , prima sibi omnimodis reddenda est.

Philtanus , rex Hyberniae , tres sanctos fratres , Furseum , Foillanum et Ultanum , genuit ex filia Adelfii , fratris Brandani , qui regnavit in Scotia. Tunica Domini confessione Symonis Judaei inventa Jherosolimis , ubi cum cruce Domini reservatur , est reposita. Constantinopoli nascitur puer quadrupes. Teudelindae reginae , conjugii Agilulfi regis Longobardorum , Gregorius librum dialogorum misit. Item Constantinopoli nascitur puer duos vertices

habens. Quae prodigia portendunt adversa locis, in quibus nascuntur. Gregorius tredecim annis et dimidio ecclesiae Romanae praefuit, qui, quarto pontificatus sui anno, Augustinum cum aliis ad praedicandum destinat in Angliam, quem consecravit Ethereus, Arelatensis episcopus. Huic scribens Gregorius episcopus, Londoniae et Eboraci metropolitanos esse debere constituit. Videmus tamen hodie ad Cantuariam metropolitanam dignitatem Londoniae translata esse, adimpleta Merlini propheta, qui dixit: dignitas Londoniae adornabit Doroberniam, id est Cantuariam.

Anno DXCVI, Sanctus Gaugericus, Cameracensis episcopus, obit iij idus Augusti. Guntrammus, rex Francorum, obit sanctitate clarus. Qui, cum aliquando venando fessus juxta rivum aquae dormiret, vidit armiger ejus parvum animal exire de ore ejus et ad rivum properare. Cui ille gladium posuit, ad itum et reditum. Expergefactus rex dixit se per somnium pontem ferreum transisse et in monte thesauros invenisse, quos omnes armigeri sui ductu reprensens ecclesiis dedit. Hic dicit Haffligemensis ¹ in Scotia sanctum Columbanum abbatem obisse, v idus Junii; qui et ipse tunc mox subjungit sanctum Columbanum hoc tempore ex Hybernia venisse in Burgundiam.

Post Childebertum, in parte quadam Franciae regnant filii ejus, Theodebertus et Theodericus, cujus Theoderici permissu Columbanus Luxovium coenobium aedificavit in Burgundia. Theodericus rex aviam suam Brunehildem ab Austrasiis ejectam recipit. Mauritius imperator in visione se cum sociis a Phoca perimendum divinitus praediscit, et malorum poenitens ea sibi hic recompensari et per se et per servos Dei instanter exposcit, qui mox cum uxore et filiis a Phoca perimitur.

Anno DCV, succedit Phocas. Lothario et Theoderico congressis invicem, supra triginta millia caesa sunt. Theodericus tunc victoria potitur, in quo praelio angelus Domini aperte visus est evaginatum gladium tenens. Gregorius secundo anno Phocae dormivit in Domino. Romani quia thesauros ecclesiae sua liberalitate dissipaverat, omnes libros ejus exussissent, nisi Petrus ejus diaconus intervenisset. Petrus, ut sibi crederetur, quod vere super caput Spiritum Sanctum aspexisset, si mox his verbis finitis occubisset, factumque est et fidem verborum sua morte asseruit. Sabinianus papa uno anno praesidet, qui cum ipse liberalitati Gregorii derogaret, Gregorius eum per visum ter admo-

¹ Chron. Affligem. in *Thesouro anecd.*

nuit, quem non correctum, quarto apparens, increpavit et comminans baculo percussit in capite, quo ille dolore vexatus diem obiit. Bonifacius, subrogatus et viij mensibus sedens, apud Phocam imperatorem obtinuit ut ecclesia Romana caput esset omnium ecclesiarum, quia Constantinopolitanus se universalem scribebat et primus esse volebat. Augustinus, Anglorum episcopus, moritur, qui sanctum Livinum in Scotia ¹ baptizavit. Bonifacius alter vj annis praesidet. Iste Bonifacius a Phoca imperatore, qui viij annis et dimidio imperavit, impetravit Romae templum Pantheon, quod omnibus idolis dedicatum fuerat, ipsumque consecravit in honore beatae Mariae virginis et omnium apostolorum et martyrum; nondum enim confessoribus festa fiebant. Gregorius vero quartus transtulit illud festum in kal. Novembris, propter copiam victualium, et instituit in honore omnium sanctorum. Alexandriae Johannes episcopus, qui eleemosynarius dicitur, insigni laude praedicatur. Quidam pauper cum peteret nautas eleemosynam, et illi indignantes dicerent: Quid habemus tibi dare nisi lapides? Tum ille: Quidquid ergo, inquit, in navi cibo aptum habetis vertatur in lapides: moxque ita contigit et quidquid ibi esca fuit in lapidem dirigit. Phocas ab exercitu peremptus igne crematur. Solitarius quidam sanctae vitae fuit, qui singulis annis harmoniam in coelo nocte nativitate beatae Mariae audivit. Qui cum miraretur quod alio tempore hoc non audiret, coepit Deum rogare quid significaret; cui angelus Domini apparuit, qui ei talia retulit: Virgo perpetua quae Deum genuit hac nocte genita fuit, quod licet ab omnibus ignoretur ab angelis tamen in coelis celebre habetur. Qua revelatione divulgata, ejus nativitas ab....² celebrari est instituta; quo tempore tamen actum sit ignoratur.

Desiderius, Viennensis episcopus, consilio Brunehildis a Theoderico rege lapidibus obrutus martyrii gloriam meruit. Anno DCXIV, quaedam mulier in Gallia beato Johanni Baptistae nimis devota, pro reliquiis ejus per Triennium orans, cum demum vij diebus infatigabiliter jejunans juraret se non manducaturam donec obtineret, pollicem candidissimum super altare delatum divinitus meruit, ad quem adorandum apud Mauriennam, Galliae urbem, tres episcopi venientes singuli singulas sanguinis guttas ex eo stillantes acceperunt. Deus dedit papa quatuor annis praesidet. Hic constituit secundam missam in clero, et ne commatres uxores fierent. Sanctus Columbanus a Theoderico et Brunehilde

¹ In ea nimirum parte Hiberniae quam Scotiam eo tempore vocabant.

² Ab eo tempore; codicis menda est.

pellitur e Francia, et relicto Gallo in Alemannia, Bobium coenobium construxit in Italia. Anno DCXVI, Allowinus qui et Bavo, prout Francorum narrat historia, ex comite ferocissimo et immanissimo praedone conversus in Gandavo sub beato Amando, sibi monasterium statuit et ei Florbertum abbatem praefecit.

Palestina a Persis subjugatur. Sancta quoque civitas, multis in ea peremptis, capitur, et Zacharia patriarcha capto, sancta crux asportatur. Multorum strage facta, Theodericus in Gallia a Theoderico capitur. Sanctus Lupus, Senonensis episcopus, claret. Cui gemma coelitus descendit in calice. Hic obiit kal. Septembris. Bonifacius papa praesidet annis v. Hic decrevit ut nullus trahatur violenter de ecclesia. Theodericus, rex Francorum, moritur. Lotharius filios ejus in bello captos occidit; Brunechildem quoque aviam Theoderici, uno pede et brachio multatam et ad caudam equae indomitae religatam, membratim discerpi fecit, ei decem regum mortem imputans; et sic monarchia Franciae ad eum rediit. Virgo Christi Fara claret in Francia, cujus sanctitatem imitatus Faro, frater ejus, ex comite clericus, et ex clerico Meldensium fit episcopus. Sancta Glodesindis Metensis claret, quae sponsum fugiens velamen meruit de manu angeli. Honorius papa praesidet quinque annis et dimidio. Isidorus, Hyspalensis episcopus, clarus habetur in Hispania, qui inter caetera librum naturalis historiae, quem ethimologiarum vocant, ordinans seculi aetates, diligenter distinguit, et in decimo anno Heraclii imperatoris finem facit.

Gallus, in Alemannia positus, transitum beati Columbani, xj kal. Decembris, in Italia nullo nuntio agnoscit. Nam quia ille discedens iratus praeceperat, ut dum ad ipse viveret, ille ad ministerium altaris non accederet; qua nocte ille moritur in Italia, iste mox sequenti mane missam celebrat in Alemannia. Anno DCXXIV, Cosdroë, rex Persarum, successu elatus, post multam crudelitatem, nimia quoque impietate grassatur. Nam filio suo indefesse Romanos fines infestante, ipse sedens in aureo coelo a sinistris suis gallum loco Spiritus Sancti posuerat, a dextris suis vero, loco filii, lignum sanctae crucis, et Deum se appellari fecit.

Pippinus, filius Karlomanni, major domus regis Lotharii, principatur. Cui cooperatur sanctus Arnulfus, filius Arnoldi filii Ansberti ex Blitilde filia primi Lotharii Luxoviensis, et Attila Bobiensis post Columbanum praedicantur. Sanctus Bavo majori virtutis ardore, anno DCXXVII, clam in desertum locum *Mendonc* contendit, ubi ultra humanum modum ardua districtione castigatus,

quievit triennio. Lotharius rex filium suum Dagobertum in regno constituit Austrasiorum.

Anno DCXXXIII, Heraclius imperavit annis xxx, in omni praelio tenens in manibus figuram Domini, quam ipse, per quem facta sunt omnia sine omni humano opere, expressit in iconia. Cum jam multis annis Persas frequentibus praeliis contrivisset, tandem Cosdroë filium in monomachia devincens, Cosdroë quoque caput in aureo coelo sedentis amputavit, atque inde Zachariam patriarcham cum captivorum populo reducens et crucem Domini tenens, cum sanctam civitatem regio scemate ornatus vellet intrare, mox porta se post se clausit et in murum solidata stetit. Sed humiliato in se reversa se aperuit. Quo viso imperator celebritatem exaltationis crucis dedicavit.

Sanctus Bavo a sancto Amando inventus abstrahi non quivisset, nisi ei cellam reclusionis juxta monasterium concessisset: quem Sigebertus sub Honorio papa xv anno conversionis suae scribit obisse, cum potius sub Martino papa migrasse putetur, secundum gesta ipsius. Hic in hora transitus sui sanctae Gertrudi cognatae suae Nivellae oranti apparuit, dicens ut vestes sepulturae aptas mox sibi pararet et mitteret.

Dagobertus cum patre Lothario de Saxonibus victoriam obtinens, omnes gladii sui mensuram excedentes occidit. Qui quodam tempore iram meritis patris sui, quia ducem ejus caesum et attonsum dehonestaverat, Parisius ad ecclesiam sancti Dionysii confugit, et quia inde extrahi non potuit, locum illum semper cordi habuit. Hic mortuo patre, anno DCXXXIV, xiiij annis regnavit. Mahumet, ex orphano et inope, magicis praestigiis ammiralis Sarracenorum efficitur. Hic quasi epilepticus frequenter decidens, dicebat se cum Gabriele archangelo colloquium habere, sibi que datum suisque paradisum, ubi multarum feminarum mariti in perpetuis conviviis secum gauderent, de tribus rivis vini, lactis et mellis semper haurientes quidquid vellent.

Severinus papa praesidet ij mensibus, et post eum Johannes, anno et dimidio. Sigebertus infans, filius Dagoberti, dum a sancto Amando baptizatur, tacentibus cunctis, ipse infans xl dierum respondit: *amen*. Et Amandus datur episcopus Trajectensibus. Dagobertus Slavos bello domans, etiam Wascones sub jugum mittit. Oswaldus, regno Anglorum suscepto, regem Britonum perimit et in fide Christi super omnes Britanniae reges emicuit; hic obiit nonas Augusti.

In Francia florent hoc tempore tres fratres Ado, Rado, Dado, qui singuli

singula monasteria construxerunt, hortatu S. Eligii aurificis, qui et ipse ex dono Dagoberti Solemniacum monasterium construxit, ubi sanctus Remaclus, ab Aquitania veniens, se in Christi tirocinio ab eo exercendum dedit. Theodorus papa praesidet annis xj. Aurea virgo praedicatur, quam Eligius, in palatio clarus, monasterio virginum praefecit, Parisius a se constructo. Sanctus Amandus, episcopatu posthabito quem coactus a Dagoberto tenuit per triennium, verbi instat officio. Anno DCXXXIX, Sanctus Livinus archiepiscopus de Scotia veniens mare calcabile habuit, et a Florberto abbate in Gandavo benignissime susceptus et in peregrinatione sustentatus, ferocissimae genti Brabantinorum praedicavit. Sanctus Amandus sanctum Landoaldum in episcopatu constituit, qui sanctum Lambertum genere illustrem imbuens in viam Dei induxit.

Aidanus episcopus apud Anglos sanctitate et doctrina praedicatur. Sanctus Arnulfus, ex majore domus Metensium episcopus, et ex episcopo solitarius, dormivit in Christo xvij kal. Septembris. Dagobertus Sigebertum Austrasiis regem mittit, sub tutela Pipini. Heraclius, Sarracenorum impetum ferre non valens, demum infelix sectator haereseos Monothelitarum, id est unam operationem in Christo credentium, habens uxorem, filiam sororis suae, vitam finivit.

Anno DCXLIV, succedit in imperio Constantinus, filius Heraclii, qui quarto mense imperii sui a noverca sua Marciana veneno perimitur. Marciana autem cum filio suo Heraclono imperium arripit. Dagobertus, Saxonibus sibi fideliter contra Wandelicos auxiliantibus, annum quingentarum vaccarum tributum indulget.

Constantinus, qui et Constans, filius Constantini, paternum suscipiens imperium, paternae necis ultor exstitit; nam Heraclonum, truncato naso, et Martianam, abscissa lingua, destinavit in exilio. Euticiani, qui et Monothelitae, contritum caput levant, qui unam in Christo operationem et divinam tantum naturam confitentur. Audamar, ammiralis Sarracenorum, templum sibi Jherosolimis aedificat, sed structura sibi haerere nulloque modo consurgere potuit, donec suggerentibus Judaeis crucem Dominicam super montem Oliveti tolli, ibique extra civitatem servari praecepit.

Anno DCXLVI, Sanctus Wandregisilus coenobium Fiscanum et Fontenellam Deo construxit. In Brabantia, vico Merbecka juxta Niniven, claret Berlendis virgo, filia Odelardi nobilissimi et Nonae, sororis sancti Amandi, tempore Dagoberti regis Francorum et Witgeri ducis Lotharingiorum; de qua non clare

liquet sub quo papa obierit, cum id tamen certum constet quod beatae Gertrudi Nivellensi supervixit. Haec, tricesimo depositionis anno, levata est ab Anberto, Cameracensi, et Norberto, Tornacensi, episcopis. Sanctus Aubertus, Cameracii et Attrebatii episcopus septimus post sanctum Vedastum, Landelinum, qui et Morosus dictus est, ex praedone hoc tempore convertit ad Christum. Iste Landelinus Lobias coenobium fundavit, cui sanctum praefecit Ursmarum, nec non et *Alnes* ab hoc tribus millibus disjunctum; Guaslaris quoque viij millibus a Lobiis disparatum. Hoc tempore, sanctus Gislenus ab Athenis veniens, monasterium construxit in loco, qui *Ursidongus* dicebatur, dato sibi a rege Dagoberto; quod dedicavit S. Aubertus, praesente sancto Amando, postquam Trajecto relicto Elnonensibus se monachis resociavit. Horum quoque, id est Auberti et beati Gisleni, praedicatione et exhortatione conversus est Maldegarius, qui et Vincentius Senogiensis, ex duce monachus Altimontensis. Quem secutae sunt ad religionem, Gisleno praecipue exhortante, duae sorores, uxor ejus Waldetrudis Castrilocensis, et Aldegundis, virgo Melbodiensis, anno DCXLV. Dagobertus rex moritur, de quo certa revelatione cognitum est, quod anima ejus ad iudicium Dei perducta cum a malis spiritibus ad tormenta raperetur, sanctis accusantibus quod eorum ecclesias spoliasset, jam damnandum sanctus Dionysius eripuit, quia quod aliis tollebat sibi contulit. Post quem Clodoveus filius ejus regnat annis xvij. Cujus major domus fuit Erchonaldus. Remaclus Trajectensium ordinatur episcopus, et sanctus Modoaldus, frater Ittae matris sanctae Gertrudis, archiepiscopus Treverensis. Nec Severa, soror ejus, abbatissa in eadem civitate ab ejus degenerat sanctitate. Pipinus major domus obit. Grimoaldus, filius ejus, in aula Sigeberti principatur.

Sanctus Furseus de Hibernia veniens, ex dono Clodovei regis Latiniacum coenobium fundavit; quem non multo post Foillanus et Ultanus fratres secuti sunt. Martinus papa praesidet. Hic statuit ut non ordinetur diaconus, nisi continentiam voverit. Sarraceni Africam capiunt, templo ibidem aedificato Mahumeto et religione firmata; quia enim ille communicabat Christianis, Judaeis et haereticis, solos daemonum cultores devitans, hoc etiam suis commendavit, omnia promissa Dei in utroque testamento in carnali voluptate explenda docens.

Anno DCXLIV, apud Escam, vicum in comitatu Alostensi, Cameracensis dioecesis, beatus Livinus archiepiscopus pro Christo martyrium duxit. Parisius Aurea virgo obit, iiij nonis Octobris. Itta, relicta Pipini, hortatu sancti

Amandi, se et sua Deo devovens monasterium Nivellense fundavit, eique filiam suam praefecit Gertrudem virginem. Eligius, episcopus in Noviomio, Audoënus, qui et Dado in Rothomago, Philibertus, Gimegiensis abbas, cui post modum sanctus Aychadrus successit, Ansigisus, filius sancti Arnulfi et Begga, quae ei nupserat, sanctitatis exemplo clarent. Sanctus Foillanus ex dono Gertrudis virginis Fossense monasterium fundavit. Qui hoc tempore in silva Senefiae a latronibus occisus, columna nubis candidissimae beatæ Gertrudi revelatus, in eodem monasterio sepultus quiescit.

Sigebertus Austrasiorum rex, de posteritate prolis desperans, cooperante sibi sancto Remaclo et Grimoaldo majore domus, xij monasteria construxit, in quibus eminebant Malmodarium et Stabulans, in quo mox sanctus Remaculus, pertaesus episcopus episcopaliū impedimentorum, monachum profitetur. Constantinus imperator, qui et xxvij imperavit, a Paulo deceptus exponit Typum fidei, nec unam nec duas operationes in Christo ostendens, quasi nihil velle aut operari credendus sit Christus. Ob hoc Martinus papa, congregata Romae synodo CV episcoporum, Cyrum, Sergium et Paulum anathematizavit, ecclesiam aperta infestatione vexantes. Sigebertus rex Hildebertum, filium Grimoaldi, adoptat in filium et in regnum. Anno DCLIV, Judochus, regis Britonum filius, peregrinus et eremita, in pago Pontino requievit. Tribus aestivis mensibus cunctis visibiliter apparentem bonum et malum angelum noctu Antiochiam circumeuntes viderunt, et quoties jussu boni angeli malus angelus venabulo quod manu ferebat ostium, cujuscumque domus percussisset, tot ex eadem domo sequenti die moriebantur. Sarraceni, capta Rodo, famosum ejus colossum everterunt, ex cujus aere DCCCC cameli onerati sunt.

Sanctus Trudo Hasbaniensis claret. Coenobium Floriacense fundatur, ubi et corpus Benedicti abbatis a castro Cassino transfertur. Olympus exarchus ad regendam Italiam et Martinum papam perimendum ab imperatore missus, cum aliter non posset, tractavit ut, cum ei communionem porrigeret, eum spatarius suus occideret. Sed spatarius ipsa hora papam nullo modo videre potuit, exarchus vero non multo post in Sicilia turpiter a Sarracenis perimitur. Anno DCLVIII, Sigebertus, rex Austrasiorum, obit, Dagoberto filio suo admodum parvulo fidei Grimoaldi commendato, ut in regnum ejus auxilio promoveretur. Grimoaldus vero, filio regis attonso et per Didonem Pictavensem episcopum in Scythiam directo, Hildebertum proprium filium facit Austrasiorum regem; pro qua infidelitate captus, per Clodoveum regem Parisius in carcere

consumitur. Clodoveus vero filium suum juniorem Hilderieum facit Austrasiorum regem. Sanctus Lambertus, Apri comitis filius, Trajectensium ordinatur episcopus, post Servatium xxj^{us}, quartus vero post sanctum Remaclum.

Sanctus Aubertus, beato Vedasto disponens Atrebatum aedificare templum, cum vidisset angelum virga metiri locum basilicae, praesente sancto Audomaro Taruanense episcopo caeco, corpus beati Vedasti elevatum transtulit; ubi sanctus Audomarus illuminatus petiit et impetravit, ut rediret caecitas. Idem quoque Aubertus a sancto Eligio evocatus est ad elevationem sancti Fursei, qui Eligius sanctum Quintinum a multis quaesitum nec inventum pia devotione et invenire meruit et elevare. Martino papa, jussu Constantini, apud Chersonam Lyciae civitatem exiliato ibique defuncto, succedit Eugenius, qui duobus annis et dimidio praefuit. Anno DCLXI, Clodoveus rex corpus sancti Dionysii discooperiens licet religioso studio, tamen temeraria audacia os brachii ejus fregit et rapuit, moxque in amentiam perpetuam incidit. Vitalianus papa praesidet x annis. Anno DCLXII, sanctus Amandus coram episcopis quasi facto testamento, confirmata sententia ne unquam ejus corpus transferretur, quasi ad certum locum transfertur, vale dicto, moritur Elnone et usque nunc non solum incorruptus manet, sed etiam attensione indiget et sanguinem incisus profluit. Hujus animam in ipsa transitus hora ab angelis ad coelos ferri vidit virgo deo digna Aldegundis, atque mox sorori suae Waldetrudi et beato Gisleno convocatis visionem aperuit. Anno DCLXVII, Clodoveus rex Francorum obit. Lotharius filius ejus regnat annis iiij. Cujus tempore migravit ad Christum Gertrudis, virgo Nivellensis. Vidit autem beatus Ultanus, frater sancti Foillani, ductorem animae beatae Gertrudis virginis affuisse sanctum Patricium. Haec in ipsa exitus hora Treveris sanctae Modestae moniali apparuit, quam quidem nimis dilexerat facie tamen incognitam. Sanctus Eligius quievit in Christo in initio regni Lotharii, cujus fuit major domus post Erchanoaldum Ebroinus ille nequissimus. Bathildis, mater regis, Corbeiam constituit. Sanctus Lambertus monachus efficitur. Ab hinc reges Franciae a solita fortitudine degenerantes, desidiam et ineptiam sectantes, majoribus domus regni gubernacula committebant, tamen conviviiis et salutationibus ipsi dediti.

Anno DCLXIV, Constantinus imperator, cum Theodosium fratrem suum occidisset, Italiam petens Romam venit, et omnia quae ad ornatum civitatis pertinebant, quae corrodere potuit abstraxit. Sanctus Nivardus, Remensis archiepiscopus, claret. Hoc tempore ad Christum migraverunt sanctus Bertulfus,

nonis Februarii, et sanctus Wandregisilus apud Fontanellam, xj kal. Augusti. Anno DCLXVII, Lotharius, rex Francorum, Ebroini nequitia interceptus, impotionatus moritur, et Theodericus, frater ejus, per Ebroinum sublimatur in regnum; quo pro insolentia Ebroini repudiato a Francis, frater ejus Hildricus, rex Austriae, evocatus substituitur. Theodericus vero Parisius ad sanctum Dionysium et Ebroinus in Luxovio tonsurati relegantur. Theodorus, archiepiscopus Cantuariae, in Angliam a Vitaliano papa directus, scripsit poenitentialem librum, distinguens modum et tempus poenitendi, secundum modum peccandi. Hilderici major domus fuit Vulfoaldus, qui fundavit juxta Viridunum supra Mosam coenobium sancti Michaëlis. Constantinus imperator omnibus et suis maxime exosus, Syracusis a suis in balneo occisus est, cui successit filius, haeres et nequitiae ejus et nominis. Claruit hoc tempore Aldebertus, Cameraensis episcopus, filius Wigeri, ducis Lotharingiae, et Amelbergae, amitae S. Gertrudis Nivellensis: cui fuerunt duae sorores, sancta Gudula de Bruxella et sancta Rameldis de *Saintes*, quae a Hunis in ecclesia de *Saintes* post dira verbera et contumelias, capite caeso, martyrium consummavit cum clerico suo Grimoaldo et servo nomine Gundulfo, xvij kal. Augusti.

Anno DCLXX, Constantinus imperat annis xvij, qui in suos se vertit, fratres enasans ne sibi conregnarent. Adeodatus papa praesidet annis x. Grimoaldus, rex Longobardorum, qui Godebertum peremerat, et sororem regnumque ejus rapuerat, nono anno regni, cum nono die post flebotomum, accepto arcu, columbam percutere nisus esset, vena brachii rupta, interiit. In territorio Cameracensi, Maxellendis virgo, Harduinum amatorem suum fugiens, ab eo perimitur, qui mox excaecatus post triennium ab ea illuminatur. Amatus, episcopus Senonensis, a Theoderico rege gravi et irrevocabili exilio diu tribulatur. Anno Domini DCLXXVI, apparuit iris in coelo mense Martio tam mirabilis tamque terribilis, ut omnis caro contremiscens ingemisceret, ac videntes dicerent: Ecce finis, venit consummatio! Sanctus Praejectus, Avernensis civis et episcopus, martyrio coronatur viij kal. Februarii, a primoribus suae urbis, in ultionem Hectoris Massiliensium patricii, quem Hildricus, rex Francorum, a Praejecto interpellatus peremerat, propter injustitias Avernensi ecclesiae ab eo factas.

Malbodio monasterio Aldegundis virgo obiit iij kal. Februarii, et sanctus Trudo, presbyter in Hasbania, ix kal. Decembris. Hildericus rex levitate morum suorum accendit in se odia Francorum; sanctus Leodegarius, Augustodunensis episcopus, ab eo in Luxovio retruditur. Donus papa praesidet uno

anno. Sanctus Aubertus, Cameracensis episcopus, obit, necnon et sanctus Audomarus, Taruanensis episcopus, v idus Septembris, sanctus quoque Audoënus, episcopus Rothomagensis. Anno Domini DCLXXIX, stella ab Augusto per iij menses radiis coelos penetrans a parte Orientis ad summum jubar extendens, apparuit a galli cantu usque in mane, et maxima mortalitas in regionibus ad quas radios extenderat subsecuta est. Sanctus Ansbertus, episcopus Rothomagensis ordinatur. Callinicus architectus, ab Heliopoli Syriae confugiens ad Romanos, ignem marinum adinvenit, quo usi Romani de Saracenis triumpharunt. Nam in mari contra naturam flamma regnante, nec una quidem anima navi ardente salvari potuit.

Agathon papa praesidet annis v. Hildricum regem, in venatione exceptum cum Blitilde uxore ejus praegnante, interfecit Badilo Francus, quia eum ligatum ad stipitem et caesum Hildricus dehonestaverat. Theodericus, postposita tonsura, regno restituitur. Leudesius, filius Erchanoaldi, consilio Leodegarii a Luxovio revocati, major domus statuitur. Ebroinus a Luxovio egressus vires resumit, super regem Theodericum irruit, thesauros ejus et ecclesiae diripit, Leudesium interficit; Clodoveum quemdam fingens esse filium Lotharii regis regem sibi facit. Ad ejus sacramentum multos poenis, minis et blanditiis impellit, sanctum Leodegarium captum affligit, ejusque fratrem Gerinum lapidibus obruit. Sanctus Aychadrus, natione Pictavus, cum sanctus Philibertus timore hujus Ebroini reliquisset in territorio Rothomagensi Gemegiense coenobium, in eodem substituitur per sanctos praesules Ansoaldum Pictavensem et Audoënum Rothomagensem; unde colligitur Aychadrum et Philibertum, vel ante tempora Agathonis loca mutasse, vel sanctum Audoënum tempora Agathonis attigisse. Sexta synodus universalis Constantinopolim congregatur episcoporum CCLXXXVIII, in qua Macharius Antiochenus et cuncti duas voluntates et operationes in una Christi persona negantes anathematizantur. Haec canones IX statuit¹ et presbyteros conjugatos esse permisit, cujus causa fuit Manicheus, qui nuptiis detrahebat. Sanctorum enim canones, ut ait Gregorius, pro tempore, loco, causa, persona, instante necessitate traditi sunt.

Ediltrudis, reginae Anglorum, corpus, post xj sepulturae anno, incorruptum invenitur, quae tribus viris nupta virgo permansit, viris ad Deum praemissis. Ravennas ecclesia sub ordinatione sedis apostolicae censura imperatoris resti-

¹ Nulli canones in concilio 11^o Constantinopolitano, oecumenico sexto, conditi sunt.

tuta est, scilicet ut qui in ea electus fuerit episcopus, Romam veniat ordinandus. Leo Junior papa praesidet ij annis; iste Leo sextam synodum Agathonis de graeco transtulit in latinum. Theodericus rex Ebroinum in gratiam recipit, ejusque consilio synodum episcoporum cogit et ex sententia Ebroini alios episcopatu privat, alios exilio damnat, in quibus sanctus Lambertus amotus ab episcopatu Trajectensi in Stabulans per vij annos monachatur. Benedictus papa praesidet iij annis. Anno DCLXXXVI, sanctus Leodegarius fraude Ebroini, post oculorum evulsionem et linguae ac labiorum abscissionem, tandem capite truncatus complevit martyrium vj nonas Octobris. Ansigisus, pater Pippini, a Gundewino perimitur, quem ipse inventum, de baptismo susceptum et enutritum, ad magnos militiae honores pervexerat. Hujus Pippini sancta Gertrudis matertera fuit; Begga relicta Ansigisi se et sua Deo mancipat, et monasterium Andenense fundat. Sanctus Wandregisilus nepos hujus Ansigisi fuisse invenitur ex fratre Walchiso. Johannes papa praesidet uno anno. Constantinus imperator obiit. Meritum sancti Leodegarii multis miraculis declaratur. Justinianus, filius Constantini, imperat prima vice x annis. Anno DCXC, Conon papa praesidet ij annis. Pippinus, filius Ansigisi, Vulfoaldo majore domus mortuo, principatur in Austria cum duce Martino, quibus congressus Ebroinus victoria potitur, Martinum perimens. Sergius papa praesidet xij annis et dimidio. Consequentia missam celebrandi, jam ad integrum composita ab apostolis et apostolicis viris, Sergius papa hoc ultimum addidit, ut inter communicandum *Agnus Dei* a clero cantetur; constituit etiam ut in omnibus festis beatae Mariae exeat processio et fiant litaniae. Ebroinum, majorem domus Neustriae, Ermenfridus peremit, et ad Pippinum confugit, pro quo Waratho major domus statuitur. Quo mortuo, gener ejus Bertarius fit major domus sub rege Theodorico, qui congressi cum Pippino vincuntur. Bertarius a suis perimitur. Theodericus rex a Pippino capitur. Pippinus Neustriam sibi subjugat, tandemque sub Theodorico toti regno principatur, statum rerum meliorat et sancto Lamberto Trajectensem episcopatum reformat.

Hic paulo post episcopalem sedem transtulit in Legiam, quae, ipso in ea martyrizato, Leodium a posteris dicta est, quasi tenens Leonem divum.

Obierunt hoc tempore sanctus Remaclus iij nonis Septembris, et sanctus Bertinus abbas nonis Septembris, et in monasterio Altimontensi sanctus Ansbertus, episcopus Rothomagensis, exilio inibi relegatus. Sanctus Willebrordus cum sociis xij veniens ab Anglia sanctitate claret. In Gallia Theodorico rege

defuncto, Clodoveus, filius ejus, regnat annis iiij. Ewaldus Albus et Ewaldus Niger, presbyteri anglici, ob instantiam praedicationis a paganis in Saxonia martyrizati, columna lucis noctu ubi essent et cujus essent meriti declarantur, et Pippino jubente Coloniae sepeliuntur. Sancta Landrada virgo obit viij idus Julii, quae statim sancto Lamberto apparuit, suae sepulturae locum ei demonstrans; ad quod explendum cum populus non consentiret, inventa est post triduum cum sarcophago ubi praedixerat transposita.

Pippinus Rabodum, ducem Fresonum, bello vincit, et sanctum Willebrordum illi genti ad praedicandum dirigit. Sanctus Aychadrus, Gymegiensis abbas, hoc tempore coelo nascitur; qui cum DCCCC haberet monachos, media eorum pars, per angelum sibi noctu praesignata una die, migravit ad Dominum, quos ipse non multo post secutus quievit in Christo. Anno DCXCVII, Beda presbyter in Anglia claruit. Hic cum adhuc esset septennis a Benedicto abbate in monasterio susceptus, sub Wolfrido eximio doctore adolevit et studuit, ac xxx aetatis anno presbyter est ordinatus. Justinianus imperator sextam synodum infirmare nititur, et Sergium papam, in hoc sibi resistentem, ecclesia deturbare frustra molitur. Sergius Bedam de Anglia evocasse legitur contra haereticos, sed utrum Romae fuerit certum non inveni.

Anno DCXCVII, Leo Patricius Justinianum imperio privat, eumque naso et lingua truncatum exilio relegat, et regnum usurpat, iij annis imperans. Clodoveo, rege Francorum, mortuo, Hildebertus, frater ejus, regnat annis xvij. Willebrordus, a Sergio papa Clemens agnominatus, et Frisonum episcopus consecratus, ex dono Pippini sedem episcopalem statuit in loco *Utlaburch* dicto, qui nunc *Ultrajectum* dicitur, a nomine gentis *Vultarum* et *Trajecto* compositum. In *Ostro-Francia*, apud *Wirsiurch*, sanctus Kilianus cum discipulis suis clam martyrizatur, jubente Geilana, quam princeps *Wirsiurchensis* suae uxori superduxerat. Redarguebat enim eam Kilianus, quia eam frater ejusdem principis quondam uxorem habuit. Horum mors, Geilana et percussoribus martyrum a daemone arreptis, eorum confessione divulgata est.

Hoc tempore, praeparatis jam necessariis ad usus monasterii, sanctus Ursmarus a Pippino regendum suscipit *Lobiense* coenobium, quod fundavit, ut praedictum est, *Landelinus*. Anno DCXCIX, sanctus Lambertus principem Pippinum increpare ausus, quod pellicem *Alpaïdem* suae legitimae *Plectrudi* superduxerit, à *Dodone*, fratre *Alpaïdis*, *Leodii* martyrizatur et *Trajecti* tumulatur; eique sanctus *Hubertus* subrogatur. *Grimoaldus*, filius Pippini, mortuo

Drogone fratre suo, duce Campaniae, in aula Childeberti major domus statuitur, eique filia Rabbodi, ducis Fresonum, in uxorem datur. Dodo, interfecto sancti Lamberti, a vermibus consumptus moritur, et ob intolerantiam foetoris in Mosam fluvium dolio inclusus immergitur, omnesque complices sui infra annum perierunt.

Anno DCC, Tyberius Petasius vel Absimarus, Leonem captum incarcerans et nasum ejus abscidens, imperat annis vij. Sancta Begga, mater Pippini, soror sanctae Gertrudis et amita Amelbergae virginis, migravit ad Dominum. Cadualadrus, rex Angliae, peregrinatione pro Christo suscepta, limina apostolorum Petri et Pauli Romae adiit, tempore adhuc Sergii papae, atque in eadem urbe plenus operibus bonis et eleemosynis usque ad diem mortis consenuit: moritur autem ibi anno Domini DCCII. Cujus corpus, ut Anglorum prodit historia, cum in Angliam reportatum fuerit, rursus insula nomine Bruti vocabitur, id est Britannia, et Britones, expulsis Saxonibus, haereditatem antiquam recipient. Terbellis Bulgaribus dominatur: Bulgari enim sunt Lacedemonii. Johannes Romanae ecclesiae praesidet iiij annis. Justinianus de exilio fugiens ad Cajanum, regem Avarum, se contulit. Cajanus, pecunia corruptus ab adversariis Justiniani, cum vellet eum prodere, ille ab eo ad Terbellem regem Bulgarorum fugit. Walfridus abbas vitam sancti Galli, primo prosa, deinde metro conscripsit. Johannes vij papa praesidet ij annis. Johannes Scotus doctor ¹ agnoscitur.

Anno DCCVI, Justinianus, auxilio Terbellis Bulgarorum regis, imperium recipit, Leonem et Tyberium usurpatores imperii in media curia jugulat. Callicinum patriarcham excaecatam exiliat, et imperavit secundo annis vij. Johannes Scotus musicam conscripsit, tractatus in *Matherum* et librum *de Officiis*, atque in divinis et humanis studiis apta composuit. Sisinnicus papa xx diebus praefuit. Justinianus imperator tantam in adversarios ultionem exercet, ut quoties a naso sibi abscisso defluentem reumatis guttam detergeret, pene toties aliquem ex his qui contra eum conspiraverant jugulari praeciperet. Picti et Scoti catholicum paschalis observantiae ritum suscipiunt. Justinianus imperator pessimam vicem eorum meritis restituere volens, pacem cum Bulgaribus pactam solvit, eisque congressus cum maximo damno exercitus ipse vix evasit.

¹ Johannes Duns.

Constantinus papa praesidet vij annis. Archangelus Michaël apparens Auberto, Abrincatensi episcopo, monuit semel et iterum ac tertio, ut in mari, loco qui propter eminentiam *Tumba* dicitur, ecclesiam suo nomini dicatam fundaret, pro signo locum ostendens ubi taurum religatum inveniret, et sicut eum pedibus terram proruisse inveniret, sic ecclesiae ambitum duceret, et ex illo tempore, sicut in Gargano inibi memoria sancti Michaëlis coepit frequentari. Ceret et Ofus, reges Anglorum, Romam veniunt et in monachos attonsi coelesti militiae se tradunt. Justinianus imperator fidem orthodoxam amplexus, Constantinum papam ad se Constantinopolim invitans, eum venientem et redeuntem gloria apostolico digna honorat. Oda, ducissa Aquitanorum, sanctitate claret in Gallia. Anno DCCXII, Sanctus Hubertus, coelitus ammonitus, corpus sancti Lamberti a Trajecto Leodium refert, sedemque episcopalem in eandem urbem transfert. Justinianus imperator a Philippico jugulatur.

Anno DCCXIII, Philippicus usurpat imperium et ij annis imperat, sed Constantinus papa populusque Romanus nomen, litteras et figuram Philippici, hostis et haeretici, suscipere respuunt. Grimoaldus, filius Pippini, Leodii ante altare sancti Lamberti orans, insidiis Rabbodi ducis Fresonum perimitur, et Theodoaldus, filius Drogonis, ab avo suo Pippino major domus statuitur. Sancto Ursmaro decedente xij kal. Maii, succedit Herminus. Anastasius, qui et Arthemius, Philippicum privat imperio et oculis.

Anno DCCXV, Anastasius ij annis imperat. Gregorius papa praesidet xvij annis. Hic constituit ut in quadragesima v^a feria jejunium et celebritas missarum fieret in ecclesia, quod antea non fiebat. Pippinus princeps obit, et filium suum ex Alpaide Carolum Tutidem sive Martellum principatus sui reliquit haeredem. Plectrudis, relicta Pippini, Karolum privignum suum captum in Colonia custodiae mancipat, et cum nepote suo et Theodoaldo majore domus principatum regni usurpat. Mortuo Hildeberto Francorum rege, Clodoveus filius ejus regnat annis iiij. Franci de Theodoaldo triumphantes Ragnifredum, majorem domus, et Chilpericum regem constituunt. Karolus, nutu Dei de custodia novercae ereptus, principatum suum de manu Ragnifredi extorquere aggreditur. Sanctus Aegidius veniens de Graecia sanctitate claret in Provincia.

Anno DCCXVII, Theodosius, Anastasium de imperio deponens eumque presbyterum ordinans, imperavit anno uno; qui cum esset iners et idiota,

compulsus est imperium deponere. Peronax, hortatu Gregorii papae, monasterium sancti Benedicti in monte Cassino nobiliter reaedificat.

Anno DCCXVIII, Leo impius imperat annis xxiiij. Gregorius papa Bonifacium, ab Anglia venientem, episcopum Moguntiensem consecrat et ad praedicandum in Germaniam dirigit. Karolus Martellus, in pago Cameracensi Chilperico et Ragnifredo congressus, eos fugientes persequitur usque Parisius. Mortuo Clodoveo rege, Lotharius regnavit annis ij. Constantinus, filius Leonis imperatoris, dum baptizatur a patriarcha Germano, nimis infausto praesagio, cacans in lavacro, ostendit quod ecclesiae Dei futurus esset scandalo. Anno DCCXX, Rabbodus, dux Fresonum, ad hoc perductus ut baptizaretur a sancto Vulframmo uno pede intincto alterum retrahens, cum interroganti diceretur, quod plures principes essent in inferno quam in coelo, baptismum repudiat, dicens malle se esse cum pluribus quam cum paucioribus. Qui non multo post ludificatus a daemone promittente quod ei tertia die domum auream et bona incomparabilia daret, cum ad visenda eadem sancti Vulframmi diaconus abiret, cum daemone ante ejus reditum Rabbodus subita et aeterna morte periit, jam tertia die.

Chilpericus et Ragnifredus Eudonem ducem Aquitaniae in auxilium sibi adsciscunt, qui in congressu a Karolo victi, fuga vix evadunt. Sarraceni ex Africa in Hispaniam transfretantes eam sibi vindicant; ita regnum Wisigothorum destructum et redactum sub Sarracenis est, post evolutos annos circiter cclvj. Tertiam vero partem Hispaniarum, id est Galliciam, non obtinuerunt. Eudo, dum Karolum fugeret, Chilpericum secum adduxit; at mortuo Lothario rege, Karolus Chilpericum ab Eudone recipiens eum sibi regem facit. Anno DCCXXIII, ossa sancti Augustini olim translata Sardiniam, ea modo vastata a Sarracenis, Luitprandus, rex Longobardorum, Papiam transtulit. Leo imperator Gregorium papam persequitur et quaerit occidere. Karolus, Ragnifredum persequens, Andegavis obsidet, et illo cum civitate capto, totius regni principatum obtinet. Sanctus Willebrordus obit in Afdernaco. Rigobertus, episcopus Remensis, a Karolo suo in baptisate filio deponitur; Eucherius quoque, Aurelianensis episcopus, quia sibi contra Ragnifredum ad bellum eunti aperire noluerunt. In Campania Italiae, anno Domini DCCXXVI, frumenta et legumina exusta quasi pluvia de coelo ceciderunt.

Leo imperator, a quodam judaeo refuga seductus spe diu regnandi, edicto proposito, imagines sanctorum ubique deponi et incendi jubet, pro quo er-

rore et Gregorium papam sibi resistantem persequitur. Leo, audiens a beato Germano, Bizantii patriarcha, imaginum depositionem futuram sub Conone, se revera Cononem in baptismo vocitatum confessus est. Judaeus quidam maleficus promittens Gizid, regi Sarracenorum, quod xl annis principaturus esset, si in toto regno suo Dei sanctorumque imagines deponi faceret, qui spe diu regnandi seductus edictum quidem proponit, ipse tamen eodem anno moritur. Sanctus Wlframmus obit xij kal. Aprilis. Gregorius papa quia Leonem imperatorem incorrigibilem vidit, Romam, Italiam et totam Hesperiam ab ejus jure desciri facit et vectigalia interdicat.

Anno DCCXXX, Eudo dux contra Karolum Sarracenos ab Hispania invitat. Qui cum omnibus familiis suis quasi in Galliis haesitaturi, Gerundiam transeunt, omnia devastant ecclesiasque concremant; quibus Karolus, Dei fretus auxilio, viriliter occurrit et ex eis ccc et lxxxv^m cum rege eorum peremit. Eudo vero dux, pace cum Karolo reformata, Sarracenorum reliquias fere delevit. Anno Domini DCCC et XXXV, Beda presbyter, in extremis laborans, cum hanc orationem: *O rex gloriae, domine virtutum*, etc., fudisset, ad Dominum spiritum efflavit, secundum quaedam chronica ij kal. Junii, et sepultus est in Anglia in monasterio, in quo desudavit ab infantia. Legitur tamen in martyrologio vij kal. Junii: *Romae depositio venerabilis Bedae presbyteri, qui nonagenarius obiit, die qua ipse petiit, hoc est in Ascensione Domini*. Gregorio succedit Gregorius papa, praesidens annis x et dimidio; qui et ipse Leonem imperatorem erroris redarguit, Romanum ab eo populum et vectigalia avertit.

Anno DCCXXXIII, Constantinus, filius Leonis, imperat. Irenem, filiam Cajani Avarum regis, ducit uxorem, et imperavit annis xxxv. Haec Irene baptizata, viro suo apostatante, rectam fidem tenuit. Karolus, Burgundia sibi subjugata, in Wasconia cum Eudone pugnat eumque principatu et vita privat. Gregorius papa in synodo cccij episcoporum venerationem sanctarum imaginum confirmat, earumque violatores generali sententia condemnat. Karolus Fresiam agressus, Popponem ducem eorum cum multis peremit, et Fresiam subigit. Karolus Sarracenos et regem Athimam intra Narbonam inclusum tenet. Sarraceni ergo ex Hispania cum rege suo Emorro ei concurrunt subsidio, qui congressi Carolo, ambobus regibus peremptis, et civitate recepta, ultimo atteruntur exterminio, fugientes perimuntur, effugientes submerguntur. Sarraceni ergo, postquam prophetam suum quasi Deum non sub Deo habere

voluerunt, Dei et Christi ejus potentiam agnoscere et fateri sunt coacti. Post Theodoricum regem Francorum regnavit Hildricus annis x. Sanctus Hubertus Leodii migravit ad Dominum. Zacharias papa praesidet xj annis. Hic libros dialogorum Gregorii in graecam linguam convertit, et cum Longobardis pacem firmavit, et magnam benevolentiam in omnibus ostendit. Anno DCCXLII, pacato jam et dilatato Francorum regno, Karolus Martellus bellicosus princeps obit, et filios suos Karlomannum et Pippinum, cognomento Parvum, principatus successores reliquit. De hoc Karolo certa traditione per litteras posteritati mandatum est, quod ipse res ecclesiarum ¹ et decimas pro militaribus stipendiis primus dedit militibus, pro quo solo nunc a sanctis quos spoliavit judicatus inferno inferiori, etiam cum corpore torqueri visus est ab Eucherio, Aurelianensi episcopo; de cujus sepulcro, cum idem episcopus rei veritatem, adhibitis testibus, Parisiis ad sanctum Dyonisium exploraret, draconem exire vidit nigrum et horribilem. Bonifacius archiepiscopus coenobium Voldense fundavit in pago Moguntiensi; Constantinus imperator, patre magis impius et antichristi praecursor, Archabas dum, qui contra eum imperium rapuerat, capit, et ei multisque amicorum ejus oculos eruit. Tunc temporis cinis de coelo ut pluvia cecidit. Lapidato Stephano, persecutione in Judaea mota, unus de lxx Christi discipulis ad Gallias transiens, Mariam Magdalenam secum adduxit, eamque apud Aquensem urbem sepelivit; quae postea per Gerardum, Burgundiae comitem, ad Viceliacum coenobium in Burgundia translata est. Legitur tamen quod apud Ephesum integro corpore, nullum super se tegmen habens, requiescat. Petrus Damascenus martyrizatur. Atalingus, presbyter caecus, inventis corporibus sanctorum Kiliani et sociorum ejus, visum recepit; pro qua re Bonifacius archiepiscopus ad eorundem martyrum honorem Wirsenburch, cujus fuerat Kilianus a Conone papa episcopus ordinatus, episcopali sede insignivit. Karlomannus, frater Pippini, a Zacharia papa in monachum attonsus, primo in Sarepti monte, deinde apud Cassinum laudabili vita enituit. Pippinus Grifonem, fratrem suum, sibi rebellem capit, eique in Neustria xij comitatus concedit. Racisus, rex Longobardorum, dum Romam inquietare nititur, a Zacharia papa non solum a malo reprimitur, sed ejus instinctu cum uxore et filiis Romam veniens monachus efficitur; cui succedit Haistulfus frater ejus.

¹ Hanc ei labem inurendam non esse, probare conatus est Cl.-J.-J. Raepsaet in opusculo: *Dé- fense de Charles Martel. OEUVRRES COMPL.*, tom. I, pag. 281 et suiv.

Anno DCCLI, Hildrico etiam Francorum rege attonso in monachum, princeps Pippinus, fretus auctoritate apostolica et Francorum electione, a sancto Bonifacio in regem ungitur, et regnavit annis xvij, post annos circiter lxxxviij ex quo majores domus coeperunt principari super Francos.

Stephanus papa praesidet annis v. Haistulfus, Longobardorum rex, contra Romanos adeo exardescit, ut a capite uniuscujusque tributum exigeret. Igitur Stephanus papa ad expetendum Pippini regis auxilium, in Franciam venit; quem Pippinus benigne suscipiens cum filiis suis Karlomanno et Karolo, benedictione suscepta, in regno confirmatur, et per eos eorum generatio ab eodem pontifice in haereditatem regalis successionis in perpetuum benedicitur. Stephanus papa in Franciam veniens, gravi corripitur infirmitate. Qui deferri se faciens Parisius, ad sanctum Dionysium sub campanis, praesentibus et praecipientibus Petro et Paulo, per sanctum Dionysium se curari vidit.

In Mesopotamia terra derupta maximo hiatu, animal quadrupes mulinum protulit humana voce loquens. Sanctus Bonifacius, Maguntiensis episcopus, cum sociis in Frisia ad praedicandum veniens, ambustis mulierum furcis quassatus perimitur nonis Junii, et ad Fuldam relatus tumulatur. Hunc venientem de Anglia sequebantur duo fratres uterini venerabiles, Willeboldus, a Bonifacio episcopus factus, et Winibaldus cum castissima sorore sua Walburge, quae in illis partibus abbatissa facta hoc tempore migrasse creditur ad Dominum.

Anno DCCLIV, Pippinus rex Italiam bis aggressus, bis Haistulfi repressit tyrannidem, et sancto Petro quaeque sui juris erant ipsum restituere invitum compulit.

Constantinus imperator Bisantii, in synodo ccc episcoporum edicto proposito, imagines sanctorum tolli praecipit et ab ecclesia projici. Haistulfus rex Dei judicio percussus moritur, cui succedit Desiderius annis xvij. Tempore Stephani papae explentur secundum quosdam anni ab Adam vj^m. Pippinus, rex Galliarum, ecclesias cantibus romanae auctoritatis studio suo melioravit. Paulus papa praesidet annis xij, carnalis frater antecessoris sui Stephani papae. Constantinus imperator Pippino organum mirabilis artificii mittit. Corpus sanctae Petronillae, Petri apostoli filiae, a Paulo papa transponitur, in cujus marmoreo sarcophago ipsius Petri manu sculptum legebatur: *Aureae Petronillae hoc Petrus dilectissimae filiae pietatis obsequio*. Pippinus hostem suum Waiferum, Aquitaniae ducem, humilians, cum multis castellis

Alvernīs urbem capit, Bituricas quoque urbem cepit et captam munivit. Sanctus Gengulfus in Burgundia a quodam clerico uxoris suae constupratore clam perimitur iij idus Maii, in cuius ultionem idem clericus, dum ventrem purgaret, ut Arius, effudit viscera. A Constantino multi pro defensione sacrarum imaginum decertantes martyrium suscipiunt. Turci a Caspiis portis erumpentes, Armeniam infestant; isti in modum crucis attenduntur, quia per hoc signum in eorum patria exorta cessavit pestilentia.

Anno Domini DCCLXIV, gelu magnum a kal. Octobris per quinque continuos menses omnia constrinxit. Stellae quoque subito visae de coelo cecidisse ita omnes exterruerunt, ut putarent adesse diem ultimum. Pippinus rex ex magna parte Aquitaniam sibi subjugat. In Syria civitate Berito Iudaei imaginem Christi injuriantes, etiam lancea latus aperuerunt, de quo mox exivit sanguis et aqua, quo cum omnes languentes sanarentur, Iudaei fidem Christi susceperunt. Hoc tempore transfertur caput Iohannis Baptistae per Felicianum monachum ab Alexandria in Aquitaniam, ad cuius repositionem Pippinus rex exstruxit coenobium angelis. Paulo papa mortuo, Constantinus quidam subito sacerdos ordinatus ex laico papatum invadit, contra quem Philippus papa constituitur, sed non multo post deponitur. Longa contentio inter Pippinum et Waiferum, Waifero in gratiam Pippini a suis perempto, finitur, et non multo post Pippinus moritur.

De Karolo Magno.

Anno DCCLXIX, succedit ei filius Karolus, pro felicitatis magnitudine Magnus dictus, et regnavit annis xlvj. Constantino papa oculis privato succedit Stephanus, qui iij annis praefuit. Hic collecta synodo constituit ut omnia a Constantino ordinata et consecrata irrita essent, praeter baptismum et chrisma, et presbyteros aut reordinari aut esse inordinatos; venerationem quoque sacrarum imaginum confirmat et profanatores damnat.

Anno DCCLXXI, Constantinus imperator omnino a Deo aversus sanctum Stephanum papam per lx annos inclusum excruciatum necat. Sanctam Mariam Dei genitricem non vocandam, crucem Christi non venerandam, sanctorum reliquias non celebrandas, nec quaerenda patrocina, sacramento extorquet, et ultra quam pagani in necem sanctorum impietate saevit. Karolus omnes Aquitanos et Wascones in deditionem accipit, et sic Aquitanicum bellum finit.

Karlomannus rex ; Karoli frater, obit, et pars regni ejus partibus Caroli se unit. Karolus ad Saxonicum bellum intendens, site laborante exercitu, a Deo aquas impetravit. Anno DCCLXXII, Adrianus papa praesidet xxij annis et dimidio, qui ad reprimendam rabiem haereticorum sacras imagines execrantium nimis laboravit, et editis libris fidem confirmavit, in offertorium ver-
sibus quod geminatum est geminavit. Ipso contra Desiderium de multis injustitiis conquerente, Karolus Italiam petit, et Desiderium regem intra Papiam clausum obsidet. Saxones interim finitima igne et caede vastantes, ecclesiam in Frideslar non queunt incendere, quam sanctus Bonifacius benedicens, nunquam cremandam praedixit. Cives Papiae deditionem faciunt et Karolo aperiunt. Desiderius rex cum uxore et principibus capitur et in Leodio perpetuo exilio retruditur, et quidquid per longa tempora Longobardi Romanis abstulerant, Karolus restituit. Regno eorum destructo, quod duravit in Italia per annos circiter cccij, Karolus tripertito exercitu Saxones aggreditur ; ter pugnam conseruit et victoria ei in omnibus provenit, et ad hoc eos impellit ut patriam sibi, se per fidem Christo subjiciant. Constantinus imperator, internorum incendio consumptus, indignam vitam digna morte finivit.

Anno DCCLXXVII, Constantino cruciatibus finito, immo aeternis cruciatibus tradito, succedit filius ejus Leo, imperans annis quinque. Karolus in Hispania Caesaraugustam devastat, Papilionae muros destruit, duos Sarracenorum regulos sibi subigit, reliquas urbes in deditionem accipit. Saxones rebellionem meditantes Hersburgum obsident, ubi divinae virtutis signum omnibus manifeste apparuit, duo videlicet scuta super tectum ecclesiae sanguineo colore flammantia, quae motus ut in bello fieri solet in aëre dantes, angelica protectione urbem tutari ostenderunt.

Anno DCCLXXXI, Leo imperator in Syria Sarracenos premit et devastat. Karolus rex, orationis causa, Romam vadit, ibique duo filii ejus ununtur in reges, Pippinus super Italiam, Lodewicus super Aquitaniam. Leo imperator cum insaniret cupiditate pretiosorum lapidum, adamavit magnae ecclesiae coronam, et acceptam capiti imposuit et processit, statimque exierunt de ea carbunculi in caput ejus, et febre correptus simul imperio privatur et vita. Quo mortuo, Hyrene, uxor ejus, cum filio suo Constantino imperat.

Anno DCCLXXXIII, Constantinus cum matre sua Hyrene imperat annis x. Saxones rebellant et victi seditiosos usque ad iiij^m Karolo tradunt; iterum rebellant et a Karolo victi pene usque ad internecionem delentur. Constantino-

polim invenerunt tumbam lapideam inauratam, et in ea virum jacentem, cum hac scriptura : « *Christus nascetur ex Maria virgine, in quem credo; sub Constantino et Hyrene, o sol, iterum me videbis.* » Anno DCCLXXXVI, Karolus Saxones victor sub jugum Christi mittit, et praecavens in futurum ut rebellionis omnes occasiones tolleret, omnes dignitates regni Christi ecclesiae tradidit, pro ducibus episcopos, pro regibus archiepiscopos, constituens; ideo illius regionis episcopi omnes excellunt, quia jura regalia ecclesiae cesserunt. Taxillo, dux Baioariae, qui duxit filiam Desiderii regis, fraudem in Karolum meditatus, reus majestatis adjudicatur; unde a Karolo attonsus, cum filio suo Theodone in monasterio relegatur. Karolus per Adulfum dapiferum suum multa Britonum castra obtinuit et principes cepit.

In Italia inter Graecos et Romanos pugnatur; secundo inter Francos et Avaros pugnatur, tertio inter Avaros et Baioarios, quarto inter Avaros et Francos et in omnibus victoria Karolo provenit. Instantia Adriani papae et Therasli¹ patriarchae Constantinopolitani, secundo apud Niceam universalis synodus congregatur, subscriptione cccl episcoporum, Hyrenes quoque et Constantini, fidem catholicam roborat, et haeresis execrantium sacras imagines abdicatur. Conjuratio valida facta est ab Austrasiis contra Karolum regem, auctore Harderico. Qua detecta, exiliatis multis, multi quoque membris detruncantur.

Hoc ipse Karolus per se deprehendit, angelica voce de nocte commonitus, quatenus ilico ad furandum egrederetur². Post haec Adelgisus, filius Desiderii regis, qui victo patre ad Graecos fugerat, cum exercitu redit, initoque cum Francis bello perimitur. Anno DCCXCII, Karolus religioni ecclesiasticae omnino intentus, legendi quoque ac psallendi studio multum deditus, dissonantiam gallici cantus ad concordiam romani usus bis corrigi fecit. Qui liberalitate in omnes profusus, omnibus ubique sanctorum pauperibus, maxime Jherosolimis, solatia transmisit. Hic in vij liberalibus artibus praeceptorem habuit Alcuinum, de Britannia oriundum, qui et Albinus dictus est, et delitiae regis cognominatus. Hic scripsit tractatus super Johannem et libros de Sancta Trinitate ad ipsum regem, quem etiam nec publicorum negotiorum occupatio a studio retraxit.

Anno DCCXCIII, Constantinus matrem suam Hyrenem imperio privat, et

¹ Tarasii.

Elegast »; Cfr. *Messenger des sciences et des arts*,

² Inde fabula quae inscribitur : « *Carel ende* an. 1836, p. 199 et seq.

solus imperat annis vj. Hic duxit in uxorem filiam Karoli , regis Francorum. Karolus plane cum Constantino Constantinopolitano imperatore Jherusalem Christianis restituit; sed cujus apostolici tempore hoc fuerit , quum ad praesens ipsius historiam non discussi , indiffinitum relinquo : hoc tamen ausus subnectere quod cum Constantino sanctam civitatem de gente non sancta liberavit ; atque ab eodem Constantino acceptas detulit in Franciam venerandas reliquias : videlicet unum clavum et sudarium Domini , frustum crucis , interulam beatae Mariae , et cinctorium cunabuli , et brachium Symeonis , et de corona Christi viij spinas cum robore suo , quae in sua praesentia floruerunt , floresque positi in cyrotheca sua in aëre mirabiliter pendente , in manna protinus miraculose conversi sunt , infinitisque in ipso reditu exhibitis miraculis cum gloria reversus est. Pippinus, Karoli ex concubina filius , gibbo deformis , contra patrem conjurasse convictus , tonsuratur , complicibus vel exiliatis vel peremptis.

Felicianae haeresis in praesentia Adriani papae abdicatur , quae affirmabat Christum in divina natura verum Deum esse et verum filium Dei , in humana nuncupativum Deum et adoptivum filium Dei , nempe unam personam in duas dividebat , scilicet veri Dei et adoptivi. Adrianus papa investituras ecclesiarum Carolo Magno , cujus animus adversus avaritiam fuit invictus , *laudabiliter*¹ concessit , ut nullus electus consecraretur ab episcopo , nisi prius a rege insigniretur et annulo et baculo².

Anno DCCXCV, Karolus rex exstruxit Aquisgrani basilicam mirandae pulchritudinis. Sancta Amelberga virgo , cujus amitae fuerunt sancta Gertrudis et sancta Begga , sorores , vj idus Julii (moritur). Hanc ipse Karolus , cum adhuc junior esset , nimis adamaverat , atque in uxorem plane duxisset , si non virginalis pudicitia obstitisset ejusdem. Quo regis tempore , sed cujus apostolici indiscussum mihi est , beatus Aegidius abbas in Proventia migravit ad Dominum kal. Septembris ; cum ei infra missarum solemniam angelus super altare detulisset chartam continentem ipsius Karoli occultum peccatum , quod nulli unquam ausus fuerat confiteri.

Anno Domini DCCXCII, Lidricus , primus comes Flandriae , Harlebecensem in Flandria primus comitatum adeptus regnavit. Leo papa praesidet annis xx ; qui mox clavem confessionis sancti Petri cum vexillo Romanae urbis Karolo

¹ Vox deleta recentiori manu.

tiam esse probant Baronius et alii.

² Haec ex synodo romana , quam commenti-

misit. Geroaldus, dux Baioariae, ad favorem Karoli in Pannonia Avaribus congressus perimitur, de quo in visione cujusdam legitur, quod martyribus annumeratus sit.

Anno DCCXCIX, Hyrene imperatrix super erepto sibi imperio, femineo dolore abusa, Constantinum filium suum imperio privat et oculis, et sola imperat annis iij^{or}. Constantinus vero imperator non multo post moritur, sol etiam obtenebratus est per dies xvij. Sanctus Salvius episcopus pro fisco Valentianas ab Aquitania veniens, a Winegrado filio Genardi procuratoris fisci clam perimitur, vj kal. Julii, vel certe kal. Julii, sed Karolus rex ut ipsum quaereret per angelum ter commonitus, sorte occisorem ejus quaesitum invenit, et tam patrem quam filium, abscissis virilibus, privavit oculis. Anno Domini DCCC, Leonem papam, celebritatem litaniae majoris agentem, Romani capiunt et linguam ei oculosque evellunt. Cui voce et visu divinitus reddito, iterum oculos evellunt et linguam radicitus excidunt. Qui de custodia ipsorum qua tenebatur elapsus, confugit ad Karolum. At Karolo cum nuntiaretur de casu Leonis papae in balneo, sedens sub manu tonsoris nuntium audivit. Qui mox de balneo exiliens, juravit tonsuram sibi non perficiendam, donec vindicta facta papam sedi suae restitueret, quod ita factum est. Anno DCCCII, Romani vero, occasionis accepta opportunitate, quia mulier parricidali audacia imperium usurpaverat, uno omnium consensu, imperatorias laudes Karolo acclamant eumque per manum Leonis papae coronant Caesarem et Augustum appellant et statuunt. Aaron amiras Carolo in Franciam misit inter caetera ossa beati Cypriani Kartaginiensis episcopi et martyris, et caput Pantaleonis martyris.

Ex quo Bizantium a Constantino magno in sedem imperii dedicatur et nova Roma est appellata, evolutis annis circiter CCCCLXVIII, diviso a Constantinopoli romano imperio, magnus Karolus rex Francorum primus imperavit Romanis annis xiiij, et sedem imperialem a Bizantio Romam transtulit, qui mox per omne imperium suum legatos ad faciendum judicium et justitiam cunctis dirigit et legis instituit capitula xxvij. Hyrene imperatrix, imperio deposita, in exilio moritur, et Nicephorus apud Bizantium imperat annis viij.

Anno DCCCV, Avari, qui et Huni, longo contra Francos bello adeo sunt perdomiti, ut quidquid thesauri per tot secula orbem terrarum vincendo sibi congesserant, totum victoriae Karoli modo cesserit, qui eos ante se debilitatos cum ipso suo nomine penitus annihilavit inter Sabariam et Carantanum, ha-

bitandi concedens locum , ubi sine regni nomine resederunt sub ditione Francorum. Leo papa Aquensem capellam dedicavit in honore beatae Virginis Mariae , praesentibus CCCLXV episcopis , ubi regalem sedem et caput Galliae Karolus citra Alpes constituit. Karolus , Karoli filius , Westfalis debellatis , Hehemanos devicit et Letonem eorum ducem peremit. Karolus inter filios suos partitionem regni facit , et inde testamentum factum sua et Leonis papae auctoritate roboravit. Rex Persarum Karolum imperatorem pretiosis muneribus per legatos honorat.

Anno DCCCVIII , Karolus imperator per manum Pauli diaconi sui decerpens optima de scripturis , lectiones unicuique festivitati convenientes per circum annum legendas compilari fecit. Hoc tempore Cumeid , amireus Sarracenorum , ad excindendam Lyciam veniens , Miream ingressus nisus est sancti Nicolai tumbam conterere , sed illam cum nec videre nec invenire posset , pro ea contrivit aliam , qui mox pro temeritate Dei vindictam sensit et horribili tempestate quassatam totam classem amisit. Nicephorus tyrannus inexplibilis avaritiae novis et injustis legibus omnes suos exarcebat et in tantum Dei in se iram exaggerat , ut ejus principatu graviolem Christiani nullo tempore consecuti sint. Karolus in tres partes regni sui tres exercitus misit , unum trans Albiam , alium in Pannonia , tertium contra Britones , et ubique ei victoria provenit. Anno DCCCXI , Karolus rerum suarum Christum haeredem testamento fecit , et quidquid in re mancipi habebat in tres partes diviso , tertiam vero pauperibus et palatio famulantibus , duas vero in partes xxj subdividens delegavit metropolitanis , qui totidem sibi suberant , ut metropolis ecclesia tertiam suae partis haberet et suffraganeis duas divideret. Metropoles autem hae sunt Roma , Ravenna , Mediolanis , Forum Julii , quae et Aquileiae , Gradus , Colonia , Maguntia , Juvannum , quae et Salsburch , Treveris , Remis , Senonis , Vesontio , Lugdunus , Vienna , Rothomagus , Arelas , Darantasia , Ebredunum , Burdegala , Turonis , Bituricas.

Nicephorus imperator Bulgariam ingreditur victor , sed quia victoriae temperare nescivit , a Bulgaribus cum multis perimitur. Cui succedit Stauracius , quo mox deposito , Michael orthodoxissimus imperat , qui Bulgaribus congressus victus fugit et ex desperatione rerum monachus factus , imperium deponit , post quem Leo imperat annis viij.

Anno DCCCXIII , Karolus imperator Ludewico filio suo coronam imperialem imposuit , et Bernardum , filium Pippini regis filii sui nuper defuncti ,

Italiae regem facit. Lotharius, Francorum princeps, corpus integrum sancti Amandi elevavit, cujus capilli et ungues qui supercreverant, reciduntur. Anno DCCCXV, Karolus imperator gloriosus, regno et imperio suo amplificato, statu quoque sanctae ecclesiae religiose ordinato, moritur et Aquisgrani sepelitur; cujus vitam cognoscere est ex scriptis Ernaldi. Sed quum eorum scriptorum non omnibus datur copia, hic pauca de pluribus ejusdem Caroli subjungam miracula. Itaque coram Karolo, sicut olim coram Josue, muri duarum civitatum, cum eas obsideret, corruerunt, Pampiloniae scilicet et Lucernae, quae nunc deserta est cum caeteris quatuor, quia eis Karolus maledixit. Hastae quorundam de suo exercitu, qui pro Christo in crastino bello morituri erant, corticibus et frondibus quadam nocte decorabantur; quod utique miraculum simili modo repetita vice patratum legitur; iterumque ad petitionem suam in humeris moriturorum in bello crux ei rubea semel apparuit, quos pro metu in capella reclusos finito bello nihilominus mortuos invenit. Aiglando rege pagano propter xij Karoli pauperes fidem respuente, tubam Rolandi spatio viij leugarum audivit; ipso Karolo hostes persequente, dies sole immobiliter stante tripliciter prolongatur. Qui cum vidisset ecclesiam Anianensem, quam operose aedificaverat, cum abbate ejusdem loci et episcopo quodam instar Moysiaci rubi ardere de nocte nec comburi, aetatis suae anno lxxij, regni autem ejus xlvij, subactae Italiae xliij, imperii vero xiiij, incarnationis Domini DCCCXIII, v kal. Februarii, obdormivit in Domino, atque eadem hora Tulpinus, Remensis archiepiscopus, apud Viennam in oratione diutina obdormiens, ejus animam per trutinam Galiciani sine capite in coelestibus collocari *angelo nuntiante*¹ cognovit.

Anno DCCCXVII, Lodewicus patri suo Karolo succedit in imperio atque inter Lodewicum mox et Leonem imperatores pax firmatur. Stephanus papa praesidet uno anno. Hic mox in Franciam venit, et Lodowicum imperatorem Remis coronavit et benedictione confirmavit. Lodowicus, Pius dictus, imperator, exercitum contra Danos mittit, debellatos subigit et obsides accipit. Paschalis papa praesidet annis vij. Anno DCCCXVIII, Lodowicus imperator Britones sibi subigit, Murrano perempto qui super eos nomen regis sibi usurpaverat. Haroldus, rex Danorum, patria dudum et regno pulsus in regnum ab imperatore restituitur. Paschalis papa corpora Caeciliae virginis, Tyburtii

¹ Verba in codice deleta.

et Valeriani, Urbani papae et Maximi, ipsa Caecilia revelante, cognovit et invenit et transposuit in ecclesia, quam ipse aedificaverat. Bernardus filius Pippini, filii Karoli Magni, rex Italiae, accusatus¹ contra imperatorem factae accusatus, primo regno et oculis, dehinc vita privatur. Leo imperator punitur ab amicis Michaelis atque ipse Michael de monacho restitutus throno suo denuo imperavit annis ix. In Turingia cespes longitudine pedum quinquaginta, latitudine quatuor, [altitudine sesquipedali sine manibus de terra praecisus et ultra pedes xxv translatus est in Saxonia. Tellus in modum aggeris limite unius leugae intumuit. In territorio quoque Tullensi, villa Commerciano, puella duodennis post sacram communionem in Pascha susceptam, primum per decem menses pane, deinde omni cibo et potu per triennium abstinuit, et postea ad communes cibos reversa cito defecit.

Lotharius, filius imperatoris, a patre in Italiam directus, a Paschali papa consecratus coronam regni et Augusti nomen praesumptive accepit, pro quo crimine Romae quidam nobilium plus justo sibi faventes perimuntur. Paschalis quoque ejusdem redargutus criminis coram episcopis se expurgat. Eugenius papa praesidet tribus annis. Anno Domini DCCCXXVI in Gallia ante solstitium aestivum, aëre in tempestatem vertente, ingens fragmentum glaciei cum grandine cecidit, cujus longitudo pedes xv, latitudo sex, grossitudo duos habebat. Haraldus rex Danorum cum omnibus sibi subjectis Maguntiae baptizatur et ab imperatore parte Frigiae in beneficium sibi data honoratur.

Rabanus, philosophus et tunc temporis poëta nulli secundus, fit abbas Fuldensis. Corpora Marcellini et Petri in Franciam et Sebastiani martyris Suesionis a Roma translata sunt, ubi et corpus Gregorii papae tunc quo translatum esse dicitur. Valentinus papa praesidet quadraginta diebus. Quo post quadraginta dies defuncto, quartus hujus nominis papa Gregorius Romanae ecclesiae praesidet annis xv.

Contra Ludovicum imperatorem commotio et simultas filiorum ejus et optimatum exoritur. Constantinopolim Theophilus imperat annis xv. In Wasconia annona de coelo pluit frumento similis, sed grana breviora et rotundiora habens. Anno Domini DCCCXXXI, qui est annus ab initio mundi quadrimillesimus DCC et LXXXVIII, finitur nonus magnus annus, qui est annorum DXXXII, hoc secundum computationem eorum qui se hoc ex hebraica veri-

¹ Ita codex, legendum hic certe *conjuratōnis*.

tate collegisse putant; caeterum secundum eos qui lxx sectantes etiam v^m annorum ante nativitatem Domini computant, longe alia sententia est. Sarraceni Siciliam incursantes etiam Lipparim insulam vastant, ubi corpus Bartholomaei apostoli quiescebat, quod olim loculo plumbeo injectum et in mare demersum, ab India in hanc insulam ultro delatum fuerat; quia pagani ferre non poterant illud propter nimiam signorum claritatem a Christianis veneratum; at Sarraceni, effracto loculo, ossa ejusdem apostoli huc illucque dispergunt, quae a monacho quodam, ipso revelante, collecta Beneventum transferuntur: de hoc apostolo legitur in Beleth, quod prima die passionis suae excoxiatus sit.

Gregorius papa in Galliam veniens contra imperatorem cum filiis agebat, arguens eum pro moniali, cujus amore deperibat; imperator autem uxorem suam vidit, quasi causam malorum abjicit; qui desertus a suis et in potestatem filiorum redactus, quia relicta legitima adhaerebat moniali, iudicio episcoporum et Gregorii papae arma deposuit, et agere poenitentiam reclusus et sequestratus compellitur. Sed humili satisfactione et plena emendationis promissione absolvitur et relaxatur: arma, imperium et uxorem recipit ac filium Lotharium in Italiam redire coegit. Elbonem, Remorum archiepiscopum, deponit et in adversarios ultionem exercet, culpa sed non irae moderatur.

Anno DCCCXXXVII, Gregorius papa instituit ut in Gallia et Germania festivitas omnium Sanctorum in kal. Novembris celebraretur, quam Bonifacius quartus de martyribus instituit romanis, tertio idus Maii. Agelonius monachus, jussu Drogonis Metensium episcopi, qui filius erat Karoli imperatoris, tractatus edidit super quatuor libros regum ad Lodovicum imperatorem. Lidricus primus, comes Flandriae obit et in Harlebeke sepelitur. Anno DCCCXXXVIII, Normani Galliam graviter infestant, Antwerpianam oppidum, emporium videlicet multarum terrarum, incendunt, a Fresonibus tributum accipiunt, Walacriam insulam vastant et sub tributum redigunt.

Gregorius in portu Romano Sarracenos usque ad interneccionem pene victos delet, divinitus turbine ventorum adjutus. Anno Domini DCCCXL, cometes in signo Librae apparuit, et in sequenti anno in signo Arietis. Ludovicus imperator filio suo Lothario sub fide ad se revertenti reconciliatur, eique dignitatem imperii et regni coronam tribuens moritur.

Anno DCCCXLI, Lotharius, filius Lodowici, solus imperium usurpans, imperat annis quindecim. At Karolus Calvus et Lodowicus, fratres ejus, dolentes se ab ipso debita regni parte privari, contra eum insurgunt. Cometa

in signo Aquarii apparet. Anno DCCCXLVII, tres fratres de regno contententes bello concurrunt, et tanta strages utrimque facta est, ut nemo in illa gente tantam meminerit; ubi Francorum vires ita sunt attenuatae, ut jam nec suos terminos possent tutare. Victoria tamen Karolo et Lodowico provenit; sed consilio optimatum tandem inter eos pax reformata est, Karolo Belgicam Galliam accipiente, quae jacet inter Mosam et Secanam, accepit etiam usque ad mare Britannicum, cujus regnum ex tunc et modo Franciae nomen obtinuit. Lodowico cessit omnis Germania et usque ad Renum. Lotharius major natu et imperator partem accepit Celticae Galliae, quae jacet inter Gerunnam et Secanam, et totam cum Roma Italiam, necnon et provinciam inter Scaldam et Renum, quae ab eo Lotharingia denominatur.

Sergius papa praesidet annis quinque, ad cujus electionem confirmandam Lodowicus, filius Lotharii imperatoris, a patre missus ab eo in regem Longobardorum unctus est. Rabbanus, sophista, ex abbate Fuldensi archiepiscopo Maguntiae, librum *De laude crucis*, figurarum varietate distinctum et mirando poemate compositum Sergio papae misit. Michaël et Theodora Constantinopolitanis imperant. Leo papa praesidet septem annis et dimidio. Hic decrevit nullum laicum stare vel sedere in oratorio, dum sacra celebrantur, et ut octavae Assumptionis celebrentur. Sancta Helena imperatrix a Roma transfertur ad coenobium sancti Petri, quod *Hautvillers* dicitur in dioecesi Remensi. Anno Domini DCCCLI, Dani Frisiam et Batavos populates, apud Gandavum monasterium S.-Bavonis incendunt; monachi reliquias ejus Lauduno conservandas transtulerunt. Karolus, rex Francorum, filios fratris sui Pippini, Pippinum et Karolum, regnum inquietantes capit et attondet in monachos. Normanni, per mare Britannicum ostia Ligeris ingressi, urbem Namnetem invadunt, episcopum sabbato sancto Paschae baptismum celebrantem trucidant et populum perimunt, inde Andegavis, deinde Turonis occupant, et templum S.-Martini incendunt.

Hincmarus, archiepiscopus Remensis, claret. Benedictus papa praesidet tribus annis et dimidio. Quo conspiratione quorundam deposito, Anastasius praesulatum invadit, sed illo a legatis Lotharii imperatoris dejecto et in carcerem truso, Benedictus honorifice in sua sede relocatur. Lotharius imperator, partito inter filios regno, abrenuntiat seculo et in Prumia monasterio, habitu monachi suscepto, coelestis regni curia dignus, non multo post dormivit in Domino. Cui succedit Lodowicus filius ejus.

Anno DCCCLVI, Lodowicus, filius Lotharii, imperat annis quindecim, a Sergio papa olim unctus in regem Longobardorum. Rabbanus, archiepiscopus Maguntiae, laudabili fine quievit. Anno Domini DCCCLVIII, terrae motus et aëris inaequalitas omnes turbavit, et quidam coelesti igne consumptus est, veste illaesa permanente. Apud Constantinopolim, Michaël solus imperat. Nicholaus papa praesidet novem annis et dimidio. Iste primus sequentias cantari instituit, a Nochero abbate S.-Galli in teutonica terra compositas. Maguntiae malignus spiritus manifeste apparuit, lapides jactando, parietes pulsando, aperta voce loquendo et etiam fruges vel domos incendendo. Presbyteris autem litaniam agentibus et benedictam aquam spargentibus, irridens sub cappa cujusdam amici sui se abscondi confitetur, presbyterum nominatim exprimens qui cum filia procuratoris fornicabatur. Probus presbyter obit, cujus conversatio et studium Maguntiam illustravit.

Numenus, rex Britonum, dum Francorum regnum depopulatur, Pictavis usque omnia vastando perveniens, visum est ei assistere sibi sanctum Maurilionem, olim episcopum Andegavensem, a quo in capite baculo percussus iram Dei morte persensit. Lotharius, dux Lotharingiae, frater Lodowici imperatoris, Waldradam pellicem superduxit conjugi suae Tetbergae, consentientibus sibi archiepiscopis Gunthario Colóniensi et Teigardo Treverensi, qui ob eandem causam Romae a Nicholao papa excommunicati, episcopatu et sacris gradibus exordinati sunt, ac sine spe recuperationis depositis, laica tamen communio conceditur. Lotharius vero timens excommunicationem, legitimam suam revocavit, sed non profuit, quia ea non multo post repudiata, recepit pellicem, nec ultra ullo correptionis modo ab ea separari potuit. Balduinus Ferreus, Nicholao papa agente, Judith coram patre¹ Karolo desponsat.

Rex Bulgarum ad Christum conversus in tantum profecit, ut monachus efficeretur, sed filium suum ad paganismum declinantem, resumpto militiae cingulo, cepit et oculis privatum trusit in carcerem, et filio juniore in regnum locato, sacrum habitum recipiens in eo digne consenuit. Adrianus papa praesidet annis quinque. Michaël, Graecorum imperator, privatus sensu adeo mente excedebat ut familiares suos juberet occidi, quos tum ad se rediens sibi repraesentari exigebat, sed Basilius quem imperator pauperem et ex servili familia sibi asciverat et ad summos honores provexerat, saepe ab impe-

¹ Habent majoris fidei documenta Karolum Calvum interesse matrimonio prorsus noluisse.

ratore per insaniam occidi jussus, timens ne tali occasione occideretur, elegit magis ipse imperatorem interficere, quam ab eo interfici ac post eum imperavit annis xvij.

Lotharius rex ad Adrianum papam Romam se excusatum vadit, a quo dum ad comprobationem innocentiae suae ad examinationem corporis Domini, tam ipse quam optimates regni, essent invitati, et ipse et omnes qui corpus Domini cum eo temere acceperunt ante anni terminum puniti sunt, ipso statim in redeundo Placentiae defuncto. Corpus sanctae Amerbergae virginis in Blandinio defertur. Coloniae celebratae synodo, cum a tribus metropolitanis, Maguntino, Treverensi, Coloniensi, ecclesia major, quae est sancti Petri, deberet dedicari, praecedente nocte audita sunt voces a ministris vigiliis noctis agentibus daemonum colloquentium et dolendo conquerentium se a diu possessis sedibus expellendos.

Anno DCCCLXXII, Lothario Lotharingiae rege defuncto, regnum ejus aequaliter dividitur inter Carolum Franciae, et Lodowicum, regem Germaniae. Karlomannus, diaconus, Karoli, regis Francorum filius, apostata factus, quia regnum perturbare non est veritus, excaecatur a patre et custodiae mancipatur. Cujus etiam frater Karolus, dum cujusdam militis expertam fortitudinem luctando vellet experiri, ab eodem ignorante quis esset peremptus est.

Johannes papa praesidet annis quatuordecim. Ad hunc Johannes, diaconus romanae ecclesiae vitam primi Gregorii papae scribit, quatuor libris editam. Karolus junior Lodowici, Germanorum regis filius, a daemonio vexatus, in ipsa vexatione confitetur, hoc sibi ideo contigisse, quia contra patrem suum conspirare moliebatur. Anno Domini DCCCLXXVI, locustae Galliam depopulantur, senas alas, totidem pedes, dentes lapide duriores habentes, per spatium unius diei aërem velantes etiam solem obnubilabant; duces cum paucis itinere unius diei praevenientes, venturae multitudini locum metabantur: tandem flatu ventorum in mari Britannico merguntur. Secuta est fames valida, ut etiam tertia pars hominum consumeretur inedia.

Lodowico, regi Germanorum, apparuit suus genitor Lodowicus olim imperator, adjurans ut eum eriperet a tormentis, quia Nicholaitis haereticis non restitit, *id est clericis fornicantibus*¹. Namque Michaël archangelus xij capitulis comprehensa praecepta contra illos per manum cujusdam Marci ei direxit,

¹ Deleta sunt haec a recentiori manu.

quae ille neglexit; cui condolens filius eleemosynio succurrere acceleravit. Lodowicus imperator in Italia moritur, et patruus ejus Karolus Calvus, rex Francorum, Romae a Johanne papa et Romanis imperator creatur; nempe Lodowicus imperator obiit sine prole.

Anno DCCCLXXVII, Karolus Calvus, filius Lodowici Pii, filii Karoli Magni, imperat annis tribus. In quem statim Lodowicus, rex Germanorum, insurgit, quia se inconsulto solus imperium fratruelis usurpavit. Rollo in Normannia LIII annis regnavit, a quo derivatur genealogia ducum Normannorum. Lodowicus, rex Germanorum, moritur. Karolus imperator, de morte fratris sui gavisus, meditatam in fratrem nequitiam in filios ejus infundere parat. Erant autem filii tres, Lodowicus junior et Karolus, qui non multo post imperavit, et Karlomannus, pater Arnulfi imperatoris. Karolus apud Coloniam congregitur fratruelibus, sed ab eis turpiter victus fugatur. Qui dixerat, equis suis Rheno epotato, se per aridum alveum Germaniam intraturum. Hucbaldus musicus, monachus Sancti Amandi, scripsit ad hunc Karolum Calvum CCC versus in laudem Calvorum, omnibus dictionibus incipientibus per centos in hunc modum :

Carmina Clarisonae Calvis Cantate Camoenae.

Karolus audiens contra se fratruelles suos exercitum ducere de Roma contra ipsos reditum parans inter redeundum a quodam Sedechia, Judaeo, male potionatus Mantuae moritur. Filius ejus Lodowicus Balbus, cum imperio potiri nequiret, etiam annuente sibi Johanne papa, Francia contentus est.

Anno DCCCLXXIX, Karolus, filius Lodewici, Germanorum regis, imperium adeptus tredecim annis imperavit. Johannes papa a Romanis injuriatus, quia iste Karolo non favebat, fugiens venit in Franciam et cum Lodowico Balbo pene per annum moratus est. Balduinus Ferreus, filius Audacri, moritur et in Blandinio sepelitur. Eodem tempore, sol hora diei nona ita obscuratus est, ut stellae in coelo apparerent. Anno DCCCLXXX, Normanni Tornacum et omnia supra Scaldum monasteria devastantes, denuo monasterium S.-Bayonis incendunt. Rex Francorum Lodowicus Balbus moritur, uxorem relinquens gravidam, cujus filii ex concubina, Lodowicus et Carlomannus, regnum dividentes regnant annis quinque.

In sylva Franciae Carbonaria, Normannorum ix millia a Francis caesa sunt Reinelmus, Tornacensis episcopus, obit.

Karolus imperator, fratribus suis Karlomanno et Lodowico immatura morte praeventis, post claras de inimicis victorias Germaniam obtinuit, ac non multo post Romae a Johanne papa in imperatorem benedicitur. Interim Francis de regis electione contendentibus, nascitur defuncto regi filius Karolus ex avi nomine dictus. Anno DCCCLXXXII, Normanni cum Danis Franciam cum Lotharingia pervagantes, Ambianis, Attrebatum, Cameracum, Corbeiam, Taruennam, fines Brabantiae, circa Mosam quoque, Leodium, Trajectum, Tungris, Trevis, Coloniam, monasteriaque Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, ferro et igne devastant; Aquisgrani in palatio equos stabulant, Mettis usque pertendunt, ubi, multis peremptis, Walo, Mettensium episcopus primus, corrui. Karolus imperator ad succurrendum evocatus, cum Normannis pacem faciens eos retrocedere facit. His diebus, multis in locis pluvia sanguine infecta stillasse dicitur. Anno DCCCLXXXVI, Karlomanno Francorum rege defuncto, Normanni Franciam repetunt. Hinc compulsi Franci Karolum imperatorem ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subjiciunt.

Martinus, vel Marinus secundum quosdam, papa praesidet tribus annis. Karolus imperator contra Danos apud Lovanium castrametatos bis exercitum misit, tamen ejicere eos non potuit. Henricus dux ab imperatore jussus ducem Normannorum ex condicto evocatum, sub dolo cum multis peremit. Normanni vero a Lovanio exeuntes Parisius obsident, contra quos Henricus dux veniens, dum incaute equitat, in foveam, quam Normanni insidiosae quisquilliis et cespite dissimulaverant, lapsus, sicut circumvenerat circumventus, trucidatur. Apud Constantinopolim post Basilium Leo filius ejus imperat.

Anno Domini DCCCLXXXIX, beatus Aubertus, Cameracensis episcopus, transfertur in ecclesia B. Mariae virginis per Dodilonem quartum decimum episcopum post ipsum. Agapitus papa praesidet quatuor annis, qui tamen in aliquibus libris non habetur. Karolus imperator zelatus uxorem suam eo quod familiarius se agere cum Verzellensi episcopo, protestatur in concione se nunquam cum ea concubuisse, illa vero se virginem gloriata, religionis libens assumpsit habitum. Karolus imperator Normannis concessit regionem, quae erat ultra Secanam, cujus rebelles incolas subjugare non poterat. Quae regio ante Neustria, deinceps Normannia, a Normannis est dicta. Basilus papa praesidet. Hic rursus in aliquibus libris non invenitur, unde et quot annis praefuit non scitur. Karolus imperator corpore et animo deficiens, ab opti-

matibus regni propter imbecillitatem repudiatur, et Arnulfus, filius Karlo-
manni regis, fratruelis ejus, in regnum sublimatur. Adrianus papa praesidet
annis tribus, post quem Basilius in quibusdam libris ponitur.

Anno DCCCXCI, Arnulfus imperat duodecim annis. Karolus autem depositus,
cum etiam necessariis indigeret, fiscos ei Arnulfus in Alemannia delegavit, qui
sequenti anno mortuus est. Legitur in aliquibus chronicis imperasse post Karo-
lum Calvum, filius ejus Lodowicus, post Lodowicum Karolus Simplex filius
Lotharii, a quo Lotharingia, et post ipsum Arnulfus. Franci, neglecto Karolo,
filio Lodowici Balbi, vix decenni, regem sibi praeficiunt Odonem, filium
Rodulfi, ducis Burgundionum. Odo rex Danos, qui super Axonam fluvium
consederant, bello vicit. Sanctus Uldaricus in Baioaria nascitur. Odone rege
in Aquitania demorante, Franci Karolum duodennem, Lodowici Balbi filium,
invocant et a Fulcone archiepiscopo Remensi benedici faciunt, et oritur longa
concertatio inter ipsum et Odonem. Stephanus papa praesidet annis quinque.
Sanctus Sintherotus, Maguntiae archiepiscopus, a Danis cruciatus, glorioso
martyrio consummatur. Ex hoc manus Domini contra Danos facta est, hostia
sancti viri placatus. Arnulfus imperator, audito quod Dani ex suis multos
peremissent, contra ipsos properans ex eis tantam protrivit multitudinem, ut
vix superessent, qui ad classem adversum negotium referrent. Berno in Bur-
gundia, ex comite abbas Gigmacensis coenobii a se fundati, ex dono avae
comitissae construxit Cluniacum coenobium in cellam Gigmacensem.

Anno Domini circiter DCCCXCVIII, Karolus rex Tindeum, regem Norman-
norum, baptizari fecit, eumque de sacro fonte (suscepit) paci in hoc et utilitati
Francorum providens. Zendealdus, Arnulfi ex concubina filius, fit rex Lotha-
riensis. Odo rex moritur. Odo musicus ex scholastico Turonensi fit monachus
sub Bernone abbate. Karolus, toto regno Francorum suscepto, regnavit an-
nis XXVI. Apud Triburias, synodus celebratur contra laicos qui auctoritatem
episcopalem imminere tentabant. Formosus, Portuensis episcopus, praesidet
uno anno, vel secundum quosdam, quatuor et dimidio. Hic cum in sinistram
opinionem venisset viij, Johanni papae ab eo usque ad laicalem habitum de-
gradatus, juravit se non amplius Romam intraturum, sed laicum permansu-
rum. Qui post a Martino successore Johannis in episcopatu restitutus, non
solum Romam intravit, sed etiam in ea papatum recepit. Iste Arnulfum in
imperatorem benedixit, cum Roma capta papam injuriantes decollasset.

Bonifacius papa praesidet diebus xvj. Arnulfus imperator Widonem regem

usquequaque persequens ab uxore ejus, quam obsedit, per proprium servum pecunia corruptum, potionatus per triduum excitari non potuit, qua aegritudine deficiens moritur, anno DCCCCIII.

Lodowicus, filius Arnulfi, imperat decem annis. Stephanus praesidet uno anno, vel secundum quosdam tribus annis; iste a Formoso papa episcopus Anagninae ecclesiae ordinatus, ipsum Formosum persequens, deponi et occidi fecit. Cujus etiam corpus in consilio protrahitur et papali vesti exutum induit laicali, et tribus digitis dextris abscissis, in Tyberim praecipitavit. Pro quo scelere divinitus punitus est.

Romanus papa praesidet tribus mensibus, post quem Theodorus xix dies. Anno Domini DCCCCXII, incepit ordo Cluniacensis. Theodorus papa plane contra Stephanum papam sensit, reconcilians ordinatos a Formoso papa, quos Stephanus exordinaverat. Johannes papa praesidet duobus annis. Hic ad confirmandam Formosi ordinationem, quam Stephanus cassaverat, synodum lxxiiiij episcoporum apud Ravennam statuit et in praesentia regis et omnium combusta est synodus Stephani. Stephanus, episcopus Leodiensis, sanctitate et scientia clarus, vitam sancti Lamberti edidit, cantumque de eodem et de sancta Trinitate et de inventione sancti Stephani dulci modulatione composuit. Conradus comes, pater Conradi, qui post Lodovicum imperavit, in bello perimitur a comite Alberto. Benedictus papa praesidet uno anno, vel secundum quosdam tribus annis et dimidio; iste cum Formosi corpus a piscatoribus inventum in ecclesiam S. Petri reportari faceret, sanctorum imagines veneratae et salutasse illud palam omnibus visae sunt. Ergo propter officii dignitatem et fidem suscipientium ejus ordinationes confirmavit, praesertim cum ipse a Marciano papa absolutionem meruit et confirmationem.

Apud Constantinopolim post Leonem, Constantinus filius ejus et Alexander, frater ejusdem Leonis, imperant anno uno. Leo papa praesidet. Hunc post xxx dies ordinationis suae Christoforus, presbyter ejus, capiens et in carcerem trudens, per invasionem Romanae ecclesiae praesidet septem mensibus. Apud Constantinopolim Alexandro mortuo, Constantinus solus imperat annis xxxix. Cujus volens fieri tutor quidam nomine Romanus, quum admodum puer erat, cum esset dux navalis exercitus ejus, tutores extra civitatem vocatos palatio arte eliminavit, et ut securius ageret matrem Constantini duxit in uxorem, ei despondens filiam suam. Sergius papa praesidet vij annis. Iste Sergius diaconus post Stephanum papam et ante Formosum in papam elec-

tus, propter Formosum a papatu est reprobatus. Iste se ad Francos contulit, et eorum auxilio. Christoforum papam captum in carcerem trudens, papatum invasit. Qui etiam a Formoso ordinatos injuste exordinavit et injustius reordinavit in ultionem suae repulsae, quod ab eo diaconus non episcopus factus sit. Legitur tamen in chronicis Sigeberti quod idem Sergius post repulsam suam a Formoso episcopus sit factus, quem tamen mortuum et sepultum et de sepulcro extractum et in cathedra pontificali locatum decollavit; et eandem inhumanitatem, quam Stephano papae adscripsimus, de hoc Sergio Sigebertus asserit, unde si utramque litteram recipimus in eodem scelere, Stephani Sergium cooperatorem fuisse dicendum est.

Reginus, abbas Pruniensis, chronicam suam a nativitate Domini inchoatam perduxit usque ad annum Domini DCCCCXI. Lodowicus imperator et rex Germanorum moritur. Qui propter tyrannorum insolentiam et multam malorum ingruentiam non meruit imperialem benedictionem.

Conradus, filius Conradi ducis, Lodowico succedit in imperio vij annis imperans, qui et ipse imperiali benedictione caruit. Iste Conradus, rex Teutonicorum, imperium arripuit; usque enim ad hoc tempus regnaverunt imperatores in Alemannia et Italia de progenie Caroli Magni. Berno abbas moriturus Odonem musicum constituit abbatem Cluniacensem, ea conditione ut inde duodecim nummi annuatim ecclesiae Gigmacensi solvantur. Contra Conradum potentiores regni rebellionem meditantur, qui ilico tam sapientia quam fortitudine imperatoris ad ejus gratiam reducuntur. Karolus, rex Francorum, regnum Lotharingiae recipit. Romanus, Graecorum imperator, filios suos cum domino suo Constantino imperare constituit, ipso domino suo, opere manuum suarum, picturae videlicet artem exercendo, victum sibi quaeritante.

Anastasius papa praesidet duobus annis, et post ipsum Lando tribus annis, vel secundum quosdam quinque mensibus. Battonem maguntinum episcopum, cujus dolo olim Adelbertus perierat, rex Conradus sollicitat etiam contra Henricum, Saxonum ducem, propter potentiam ejus sibi suspectum; itaque idem Batto episcopus Henricum ducem ad convivium secum invitat, torque aurea fabricata quae collo ejus injiceretur et sic perimeretur. Sed dolo prodito, frustratus episcopus, post triduum morbo et angore vexatus, ictu fulminis periit. Johannes X^{us} romanae ecclesiae praesidet xj annis et dimidio. Conradus imperator exercitum mittit contra Henricum, ducem Saxonum, in

quem Saxones tanta caede debacchati sunt, ut a mimis declamaretur, cunctique admirantes dicerent: Ubinam esset tantus ille infernus, qui tantam caesorum multitudinem capere posset? Balduinus, comes Flandriae, obit, et in Blandinio sepelitur. Conradus imperator moriens coram principibus regni successorem designat Henricum, filium Ottonis Saxonum ducis.

Anno DCCCCXII, Henricus, filius Ottonis Saxonum ducis, imperat xvij annis. Robertus dux, frater Odonis regis, contra Karolum inquietabat Franciam. Sanctus Wicbertus, inter nobiles Lotharingiae milites primus, Gemblacense coenobium fundavit, militiae deposito et religionis se accingens cingulo. Hungaris Franciam Saxoniamque depopulantibus, Henricus rex juxta *Mersburch* congressus voto se obligat symoniacos se de regno eradicaturum, atque inaestimabili caede hostes usque ad internecionem pene delevit. Karolus, Francorum rex, juxta urbem Suessionis Robertum ducem, qui contra se regnum invadebat, cum multis perimens, se et Franciam Henrico imperatori submittit, reddens ei Lotharingiam. Johannes papa per auxilium Romani, Graecorum imperatoris, Africanos Sarracenos in munitione Gariliani montis confidentes, penitus delevit. In quo bello Petrus et Paulus visi sunt ad auxilium Christianorum.

Karolus, rex Francorum, a comite Heriberto captus, in custodiam Peronae truditur, ob necem Roberti ducis ab eo preempti, in qua exul et martyr moritur. Rodulfus, rex Burgundiae, victo et expulso Berengario, ab eo extorquet Italiam, et in Francia regnat ij annis. Symeon Bulgar, qui ex philosopho monachus, ex monacho miles factus, Bulgaribus dominatur, Graecos graviter atterit. Quem Romanus, Graecorum imperator, congregi non ausus, facto foedere mitigavit. Post mortem Karoli regis, nolentibus Lotharingis Henrico regi subesse, quidam nomine Christianus, simulata infirmitate, Gillebertum ducem, cum se inviseret, cepit regique misit, ut per eum caeteros sibi subjugaret; cujus rex perspecta probitate filiam Gerbergam despondet et Lotharingiae eum praefecit. Lodewicus, filius Karoli regis, in Anglia per fugam enutritus, quia mater ejus erat Anglorum regis filia, licet aerumnose in Franciae regno restitutus, regnat annis xxvij.

Anno DCCCCXXX, Henricus imperator a Rodulfo, rege Burgundionum et Italiae, nimiis muneribus et precibus extorquet lanceam mirandi operis, clavis Christi sanctificatam, quae magni Constantini spes et fortitudo perhibetur.

Johannes XI^{us} praesidet annis tribus. Hic a militibus Gidonis marchionis captus et in custodiam trusus, cervicali super os ejus posito, impie suffocatur.

In cujus loco alter Johannes subrogatur, frater Alberici Romam expulso Hugone regentis. Alibi tamen de hoc Johanne nulla habita mentione, legitur in hoc loco Leo papa praesedissee vj mensibus et dimidio. Ratherius, quondam abbas Lobiensis, in Italia dudum ad Hugonem profectus et ab eo Veronae episcopus constitutus, nunc ab eo episcopatu pellitur et Papiae exiliatur, ubi suas aerumnas libro edito consolatur. Stephanus VII^{us} papa praesidet ij annis. Beneventani contra Graecos bellum agentes, quoscumque capiebant eunuchos faciebant. Otto filius Henrici imperator uxorem duxit filiam Edmundi regis Anglorum. Johannes XII^{us} papa praesidet uno anno. Henricus imperator Danos, qui per piraticas insidias Fresones incursabant, vincit et tributarios facit, et regem eorum Chiupam baptizari facit. In Genuensi urbe, fons sanguinis largissime fluxit, portendens urbis ipsius ruinam, quam eodem anno passa est a Sarracenis Africanis. Leo VIII^{us} papa praefuit annis vij, vel tribus et dimidio. Hoc tempore signa apparuerunt: sol sereno coelo obscuratur; mons, ubi Henricus imperator postea sepultus est, flammam in multis locis evomit. Henricus imperator obit, qui licet in vincendis hostibus gloriosus fuerit, nullam tamen operam dedit ut benedictionem imperialem acciperet. Leoni papa Stephanus VIII^{us} in quibusdam chronicis succedere et tribus annis praesedissee reperitur, de quo Sigebertus nullam penitus facit mentionem.

Anno DCCCCXXXVIII, Otto, filius Henrici imperatoris, ex Mathilda filia Theoderici ducis Saxonum, imperium adeptus, imperat xxxvj annis. Cui rebellat Gillebertus, dux Lotharingiae, suae tamen sororis maritus. Obiit sanctus Odo, primus abbas Cluniacensis, cui succedit Ademar. Hominis cujusdam sinistra manus pro culpa ejus ferro amputata, post annum integrum ei dormienti est restituta, talis per omnia ut prius erat, nisi quod in loco conjunctionis quasi rubeo filo signata videbatur. Gillebertus dux Henricum, fratrem imperatoris, obsessum et captum ab eo alienat. Otto imperator Parthenopolim ¹ exstruit et contra Sclavos munit.

Lodewicus, rex Francorum, Lotharingiam invadens ductu Gilleberti ducis, usque Alsatiam venit. Marinus primus, papa, praesidet iij annis et dimidio, vel v annis. Otto cum paucis, Henrici fratris sui et Gilleberti et Everardi magno exercitui juxta Renum congressus, victoria potitus est; ipso enim in alio Renu littore prostrato ante clavos lanceae Domini, hostes terga dederunt, Henrico

¹ Magdeburgum vocant.

fratre suo in brachio insanabiliter vulnerato. Apud Constantinopolim Stephanus et Constantinus patrem suum Romanum, ambitione principandi in monachum attondentes, in monasterium trudent. Quod et filio Leonis Constantino facere molientes, consilio eorum prodito, cum patre coenobitis sociati attondentur. Sicque abusivis imperatoribus deturbatis, cum filio suo Romano imperat Constantinus xvij annis. Corpora sanctorum Wandregisili, Ansberti et Wlframmi a locis suis transferuntur in Blandinio. Regi Francorum Lodewico nimis adversatur Hugo, comes Parisiensis, filius Roberti tyranni, in Suessionico bello perempti. Agapitus V^{us} papa praesidet, et post ipsum Benedictus xij annis. Berengarius, Hugone expulso, regnat in Italia. Lodewicus, rex Francorum, fraude suorum circumventus, a Normannis capitur et Lugdunum missus custodiae traditur. Taxis, rex Hunorum, decem modios nummorum a Berengario rege accipit. Anno DCCCCL, Otto imperator Franciam ad deliberandum Lodewicum aggreditur, qui ejus metu mox a custodia relaxatur. Rex Otto Lugdunum capit, Hugonem intra Parisius claudit, Remis capit, Hugonis nepote invasore expulso, legitimum episcopum constituit.

Mortuo Wicfrido, suscepit Coloniensium archiepiscopatum vir gloriosus Bruno, frater Ottonis imperatoris. Qui qualis quantusque fuerit apud Deum et homines lector ediscat in vita ipsius, quam Rogerus luculenter descripsit. Hujus studio translata sunt a Roma Colonia corpora sanctorum Elifi, Patrocli, Privati, Gregorii, cum baculo sancti Petri. Otto uxorem secundam duxit relictam Lodewici, Italiorum regis, et cum ea Papiam accepit. RATHERIUS, bis episcopatu Veronensi pulsus, Leodiensium episcopus per Brunonem ordinatur. LIETDULFO filio Ottonis qui rebellaverat ad gratiam patris reducto, Conradus dux, Dei et imperatoris refuga, ad Ungaros se contulit, eosque in Lotharingiam usque ad Carbonariam silvam perduxit, sed virtute Dei apud Lobias contra eos ostensa, ultra prodire prohibiti sine effectu retrogradare compelluntur. Lodewico Francorum rege mortuo, Lotharius, filius ejus ex Gerberga sorore imperatoris, regnavit annis xxxj. Ungari rursus rebellantes ita ab Ottone atteruntur, ut fere nullus evaderet. Conrado vero poenitente et orante, ut pro culpa perfidiae in bello perimeretur, in ipso bello pro voto occubuit. Bruno archiepiscopus, ducatum Lotharingiae post Conradum adeptus, coenobium sancti Pantaleonis construxit Coloniae. Willelmus, filius Ottonis imperatoris, archiepiscopus fit Maguntiae.

Johannes papa praesidet viij vel v annis. Eodem anno, notae crucis in ves-

tibus plurimorum apparuerunt, quorumdam quoque vestes quasi lepra sorduerunt. Ab Arnulfo, marchiso comite Flandrensi, coenobium Blandiniense, id est sancti Petri Gandensis, in majori elegantia est constructum, anno Domini DCCCCLXI, quia monasterium sancti Bavonis ipso antiquius annis CCCXLV¹. Bruno, archiepiscopus et archidux Lotharingiae, Rainerum Montensem comitem apud Valenchenas cepit, exilio damnavit, ejusque bona fiscus occupavit.

Apud Constantinopolim post Romanum, Constantini filium, Niceforus imperat annis x. Otto, filio suo Ottone septenne Aquisgrani in regem uncto, Romam petens a Johanne papa benedicatur. A papa et a Romanis tyranni abjurantur, imperatore repatriante. Papa Adelbertum tyrannum revocat, sed mox refugit, imperatore redeunte. Collecta synodo, Johannes papa de nefariis causis infamatur, qui cum tertio citatus venire diffideret, Leo ei substituitur et uno vel iij annis praesidet. Nec longum, fide a Romanis apud imperatorem alterata, Johannem recipiunt, qui, synodo collecta, Leonem deposuit et ejus gesta cassavit, et quicumque a Leone ordinati damnabantur hanc suam proscriptionem suam jussi sunt in charta recitare : *Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit*. Romani a Johanne papa pecunia illecti, imperatorem bello aggressi in momento penitus occubuissent, nisi imperatoris milites per ipsum et per Leonem papam a caede revocarentur. Leo vero, cum Romanos reconciliasset imperatori, post abscessum imperatoris sentiens sibi parari insidias, ad ipsum fugit. Interim Johannes papa, se cum uxore cujusdam oblectans, a diabolo percutitur ac sine viatico Dominico moritur. Romani contra juramentum suum sine consensu imperatoris Benedictum papam faciunt. Imperator Romanos obsidens vi extorquet, Leonem relocat, qui restitutus sedi Benedictum ejectum etiam sacerdotio exordinat.

Theodoricus, factus Metensium episcopus, primas litteras nominum omnium episcoporum Metensium inspiciens, quas angelus Domini dedit Clementi, primo Metensium episcopo, invenit alias notatas auro, alias argento, alias et viliore metallo. Sui autem nominis litteram argento notatam inveniens : « Nitar, inquit, donante Deo, hanc litteram auream efficere, » quod et meruit et fecit.

Bulgaribus dominatur Caianus, in magica arte tantum valens, ut in quam

¹ Legitur in margine :

Est hoc falsum; nam Blandinium est funda-

tum a S. Amando, anno 610.

vellet se feram mutaret. Arnulfo Flandrensi comite mortuo , Lotharius rex Franciae graviter infestat Flandriam. Johannes papa praesidet annis v. Dani , qui simul Christum et idola colebant , cum Poppone clerico coram rege certantes , in convivio exigunt ab eo christianae fidei probationem. Qui wantam ferream ignitam manui induxit et locum construendae ecclesiae designans , et circuiens illaesus permansit. Rex ergo Haraldus illum ad episcopatum promovit , et praedicatorem in toto regno suo constituit.

Otto minor , a patre evocatus Romam , a Johanne papa in imperatorem benedicitur. Otto imperator in Saxonia venas auri et argenti primus industria sua aperuit , de quo legitur quod decus imperialis nominis a Francigenis in Teutonicos primus magnanimiter transvexit , quod secundum id dicitur quod post Lodewicum ultimum primus ex Teutonicis imperialem meruit benedictionem. Conradus enim et Henricus ante eum et fuerunt et appellati sunt imperatores , sed benedictione caruerunt. Iste Otto , inter caetera quae exercuit religionis opera , xiiij pontificales sedes construxit , inter quas Parthenopolim , quae communi vocabulo *Medeburch* dicitur , metropolim esse fecit. Qui sanctos episcopos , Aubertum et Gaugericum , ad Parthenopolim a Cameraco deferendos a venerabili Fulberto Cameracensi episcopo petens , duos alios sacerdotes pro eis ignarus et pie delusus recepit cum pauculis reliquiis petitorum , anno DCCCCLXX.

Quidam comitum praepotens ante oculos Ottonis et omnium a diabolo arreptus vexari coepit , dictumque est quod si catena sancti Petri ejus collo imponeretur , mox liberaretur. Sed cum , una et alia prolata , liberari non posset , vera allata et imposita mox liberatus est. Theodoricus , Metensis episcopus , arreptam se non dimissurum nisi manu abscissa cum juraret , imperatore pro eo petente , obtinuit ut de ea annulum acciperet. Otto dum exercitum ad Graecos misisset , ut filio suo Ottoni uxorem adduceret , Graeci super eum irruunt , occidunt et capiunt. Imperator hoc vindicat , plures occidit et Graecos sub tributo mittit.

Apud Constantinopolim Johannes , suasu reginae matris suae , laqueo strangulans Niceforum , imperavit. Stephanus papa praesidet annis vij. Otto imperator Romae Ottoni filio suo neptem Johannis imperatoris Graecorum , Theophaniam nomine , a Johanne papa coronatam matrimonio copulat. Otto senior obit , cujus vitam Vindecindus monachus describit cum historia Saxonum usque in hunc annum , qui est a nativitate Christi DCCCCLXXV.

Otto minor filius Ottonis imperat annis x. Anno Domini DCCCCLXXVII ,

gelu magnum a kal. Novembris duravit usque ad aequinoctium vernale. Otto imperator Henricum ducem sibi subjugat. Rainerus, auxilio Francorum, Arnulfum Montensem, qui expulso patre suo comitatum invaserat, bello lacescit, Castrilocum obsidet; multis utrimque fuis, obsidio remota est, victoria anceps, datur tamen palma comiti. Raginerus Haduidem, filiam Hugonis comitis Parisiensis, postea regis, ducit uxorem.

Anno DCCCCLXXIX, pacato undique regno, cum Otto imperator Aquis moraretur, Lotharius rex Francorum subito ad invadendam Lotharingiam contendit, quem imperator persecutus Franciam intravit totamque pervagatur, Remis, Laudunum, Parisiusque devastans; ecclesiis tantum pepercit, immunitate concessa, sed paulo post super Karum fluvium convenientes ambo pacificantur, Lothario Lotharingiam abjurante. Sanctus Uldaricus, Ansburgensis episcopus, obit. Anno DCCCCLXXXI, sanctus Landoaldus Gandavum transfertur. Stephanus papa praesidet annis x. Otto imperator Apuliam et Calabriam, Italiae provincias, ad jus regni Graecorum appendentes, transferre ad imperium romanum conatur, maxime propter uxorem suam, Graeci imperatoris filiam. Pro quo Graeci infensi cum Sarracenis ei in Calabria bello congregiuntur. Imperator autem, suis devictis, natando nitens evadere, a nautis capitur ignorantibus quod esset imperator. Quem Theodoricus, Metensium episcopus, pecunia redemit, qui Romam veniens frigore, labore et taedio vexatus cito defecit. Quo mortuo, alii filio ejus Ottoni imperium deberi certabant, alii odio Graecae imperatricis impropertantis suae nationis homines, Romanos ut lutum conculcasse, Henrico duci, cujus patruus fuerat Otto senior. Iste Henricus ipsum Ottonem puerum factiose raptum tenebat.

Anno DCCCCLXXXVII, principes regni, Ottonem puerum de manu Henrici ducis extorquentes, in regno sublimant, et imperavit xix annis. Lothario mortuo Francorum rege, Lodewicus filius ejus regnat anno uno; post quem Francis regnum volentibus transferre ad Karolum ducem fratrem Lotharii regis, dum ille rem ad consultum differt, regnum Francorum usurpat Hugo Capeth, Hugonis Parisiensis filius, ex Hathuide, sorore primi Ottonis imperatoris, natus. Qui regnavit ix annis et oritur longa contentio inter Hugonem et Karolum ducem pro regno, quod Karolo duci ex paterna et avita successione debebatur. Itaque Karolus contra Hugonem regem, nepotem suum, regnum repetit, eumque bello perurgens Laudunum capit. Quem Hugo rex in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense ille exiliens castra ejus incendit,

et ipse Hugo fugiens, multis suorum amissis, vix evasit. Quem Karolus insequitur, Suessionis usque omnia vastando peraccedit. Remis bis aggressus, cum multa praeda archiepiscopum, quem eidem urbi rex Hugo praefecerat, et quosdam principes capit et Lauduno relegat.

Martinus papa, qui et Marinus, praesidet annis vij. Fames maxima praevaluit. In Hasbania annonam de coelo pluisse contendunt, cui etiam pisciculi mixti ferebantur. Karolus dux moritur. Otto filius ejus succedit in ducatu Lothariensium. Remis synodo congregata, Arnulfus, nepos Karoli ducis, quem ipse episcopum Remis substituerat, omnium judicio exordinatus damnatur. Cui Gerbertus, qui et Johannes, substituitur, annitente maxime discipulo suo Roberto, filio Hugonis Francorum regis. Sed quibusdam causam ventilantibus non potuisse degradari Arnulfum absque auctoritate summi pontificis, Gerbertus depositus se contulit ad Ottonem imperatorem, qui et ipse discipulus ejus fuerat, qui eum episcopum Ravennatensem, deinde papam creavit. Cujus est illud monasticum :

Scandit ab R. (Remis) Gerbertus ad R. (Ravennam), post papa vigens R. (Romae.)

Odilio IV^{us} abbas Cluniacensis efficitur coenobii, quod per annos lvj miro religionis fervore rexit et provexit. Qui misericordiae redargutus respondit : « Si damnandus sum, malo damnari pro misericordia quam pro justitia. » Otto imperator Romam profectus, imperialem accipit benedictionem. Gerbertus, qui et Sylvester vel XV^{us} Johannes, Romanae ecclesiae praesidet x mensibus, qui et ipse inter scientia litterarum claros emicuit. Quidam, isto praetermisso, Agapitum ponunt, quia is primo monachus, deinde apostata, nigromanticus demum a diabolo ad mortem percussus, non per ostium intrasse dicitur. De quo tamen memini me legisse quod idem in responsis accepit a daemone se non moriturum, priusquam in Jherusalem missam celebraret. Qui decimo papatus sui mense, missam ignarus Romae celebrans ad ecclesiam nomine Jherusalem, quae olim asylum dicta est, quia eam Romulus reorum fecit refugium, membratim se discerpi fecit vere poenitens, diabolicae prophetiae dolo cognito¹. Unde me non minime movet quod quidam hunc tribus annis ponunt. Quapropter te, lector, obsecro quatenus hic vel alibi, si qua dissonantia te offendit de nominibus,

¹ De his fabulis, vid. *Breviarium gest. rom. pont.* Fr. Pagi, II, 281.

annis vel temporibus paparum , non mihi imputes , qui non visa sed audita vel lecta scribo.

Post Hugonem , Francorum regem , Robertus ejus filius regnat annis xxxv. Iste Robertus fecisse legitur hanc prosam : *Sancti Spiritus adsit nobis gratia* , necnon et responsorium : *Judaea et Jherusalem*. Ansfridus , comes Brabantinorum¹ , tam justitia quam potentia famosus , deposito militiae cingulo , tonsuratur , eoque profecit ut ordinaretur episcopus Ultrajectensis ecclesiae. Agapitus papa praesidet annis iiij. Quidam reclusus in Sicilia fide dignus affirmabat quod in vicina Vulcani olla animae luant diversa pro meritorum qualitate supplicia , ad quod exequendum deputatos daemones saepe plangentes audivit , quod , per orationes Cluniacensium animabus liberatis , in ipsos tormenta revocarentur. Quae fama postquam certis nuntiis ad abbatem Odilionem pervenit , suas et orationes fratrum pro fidelibus defunctis auxit et constituit , ut sicut omnium sanctorum memoria , sic die sequenti fidelium defunctorum quotannis agatur. Quem ritum etiam decreto confirmari obtinuit.

Anno Domini M , terrae motus factus est pervalidus , cometa apparuit , circa aequinoctium verni , scisso coelo , quasi facula ardens ad instar fulguris terris illabitur ; moxque ab imo figura serpentis consurgens apparet , capite crescente cum caeruleis pedibus. Octavianus papa praesidet annis viij.

Otto Roma discedens in redeundo moritur , consumptus veneno sibi dato per uxorem Crescentii patricii , quem ipse jumento averse impositum ante urbem suspenderat.

Anno MIII , Henricus , dux Baioariae , corpus imperatoris differt , et ab Heriberto , Coloniensi archiepiscopo , insignia regni sibi violenter extorquet , quasi haereditario sibi jure competentia. Erat quippe filius Henrici ducis , quem genuit Henricus , frater primi Ottonis. Henricum Maguntiae archiepiscopus in regem ungit , et imperavit xxij annis. Henricus imperator Babinpergensensem ecclesiam episcopalis sedis honore sublimat , et quia liberis carebat , eam omnium rerum suarum facit haeredem. Anno MVI , Ottoni , duci Lotharingiae , succedit Godefridus , comes Ardenensis. Henricus imperator castrum Valentias , situm in marchia Franciae et Lotharingiae super Scaldum fluvium , obsidet , quod Balduinus , Flandrensium comes , invasum praeripuerat , sed ab obsidione rediens inefficax , contra Gandavum se vertit , depopulataque terra incen-

¹ Comitem Lovaniensem et Hoyensem , immo et Dionantinum vocant alii.

dio, caede et luctu, plerosque primatum capit totiusque Flandriae excidium minatur. Sed Balduinus comes cum timore percussus satisfacisset imperatori, reddidit ei imperator Valentias necnon et Walacriam. Leo papa praesidet annis ix. Normanni Fresiam infestantes, Tile oppidum et Ultrajectum incendunt. Anno MX, gens Ungarorum ad Christum convertitur per Gislam, uxorem Ungarorum regis et sororem imperatoris. Rex autem in baptismo dictus est Stephanus, cujus merita multa miraculorum commendat gratia. In Lotharingia juxta montem Castrilocom, fons aquae saluberrimus subito in sanguinem conversus est, cujus aqua cum mulier, vultum ut ablueret, perfudisset, sanguinolentam cum vidissent omnes admirantes pertimuerunt. Sanctus Macharius, archiepiscopus Antiochenus, laboriosa pro Christo peregrinatione suscepta, Gandavum venit, et in monasterio S. Bavonis sepultus, beato fine quievit, anno Domini MXIV, quarto idus Aprilis.

Gerardus, xxiii^{us} Cameracensis episcopus, ab Auberto vero xxij^{us}, claret. Henricus imperiali benedictione confirmatur. Godefridus, dux Lotharingiae, comitatum Montensem depopulatur, quem Rainerus cum patruo suo Lamberto, comite Lovaniensi, insecutus, apud Florinas cum eo pugnam conseruit, ubi Lambertus habens reliquiarum capsam ad collum dependentem, cum jam haberet spem victoriae, reliquiis ad terram delapsis, mox perimitur, ante invictus et invulnerabilis. Miles vero quidam inventas reliquias abscondit in caliga, sed coxa ejus et crure intumescente, rem prodidit. Symeon, monachus Syracusis Siciliae, oriundus Treviris, pro Christo in turri diu conclusus, migravit ad Dominum.

Benedictus papa praesidet annis vij. Cometes solito mirabilior in modum trabis maximae quatuor mensibus apparuit in Fresonia. Anno MXVIII, Theodorico, comite Flandrensi, filio Arnulfi Gandavensis, debellante Frisones in vindicta patris sui ab eis occisi, Godefridus, dux Lotharingiae, ad eum debellandum ab imperatore mittitur et Frisones Morsatenos, qui ei consenserant. Conserto itaque praelio, repente vox unde nescitur quasi desuper emissa sonuit: Fugite, sicque cunctis in fugam versis, multi a paucis occiduntur, dux vero capitur. Dux vero Godefridus, impetrata Frisonibus ab imperatore totius injustitiae impunitate, a captivitate solvitur, et non multo post moritur. Anno MXIX, frater vero ejus Zozelo in ducatu ei succedit.

Henricus imperator secundo Flandriam hostiliter aggreditur et Gandavum expugnat. Benedictus papa in Galliam ad Henricum imperatorem venit, qui

cum eo Coloniae natalem Domini celebrans, Heribertum archiepiscopum, olim a se injuriose tractatum, humili satisfactione placat, qui prope diem, ut praedixerat, moriens magnis coepit clarere virtutibus, cui Peregrinus in cathedra substituitur. Durandus fit episcopus Leodiensium, qui quasi fabula in theatro mundi fuit. Nam cum esset ex humillimo et pauperrimo servilis conditionis genere, probitate meruit ut servus dominis dominaretur. Henricus imperator, consentientibus principibus, Conradum virum egregiae liberalitatis imperatorem designans moritur. Cujus vitam scripsit Adelbodus episcopus. Johannes, Portuensis episcopus, Romanae ecclesiae praesidet xxij annis. Cujus plane tempore et Henricus gloriosus obit, et Conradus sublimatur.

Anno MXXV. Conradus itaque, repulsis adversariis, in imperio sublimatur, imperans sedecim annis et dimidio. Johanni papae apparens, Stephanus papa, frater suus, dixit se infernalibus poenis non posse liberari, nisi intercessionem Odilonis abbatis mereretur, pro quo ille tamdiu oravit, donec per revelationem eum absolutum agnovit. Conradus Henricum filium suum adhuc puerum Aquis sublimat in regnum; ipse autem in Pascha Romae in imperatorem consecratur. In Lotharingia Richardus, Viridunensis abbas, clarus habetur.

Anno MXXVI, post Robertum, Francorum regem, Henricus, filius ejus, regnat annis xxx. Conradus, Sclavis et Ungaris subjugatis, prorsus utilitati ecclesiarum intendit. Episcopi apud Triburias collecti decreverunt ut jejunium primi mensis in capite jejunii, quando cineres imponuntur, cum sola illius diei missa ageretur. Quibus Gerardus, Cameracensis episcopus, resistens, obtinuit ut in sequenti, id est prima hebdomada, quadragesimae majorum more ubi ejus officium est ageretur. Robertus Fiscardus¹ cum Richardo a Normannia digressus in Apuliam venit, et Italis inter se dissentientibus quasi auxilium laturus adjunctus, sibi locum occupavit successusque urgendo suos ibi roboratus et contra inimicos et super amicos invaluit. Quidam episcoporum hoc sibi in litteris coelitus delatum affirmans, obtinuit ut in consilio Franciae haec decreta statuerentur, arma non ferenda, rapta non repetenda, ultionem non fieri, percussores immunes dimitti, in sexta feria omni tempore jejunandum in pane et aqua, haec observantes omni peccato liberos esse, non observantes christianitate privandos. Quibus nova mirari ac laudari studium est imperiti hanc mandatorum novitatem approbant. Gerardus, Cameracensis

¹ Guiscardus.

episcopus, haec vana refellebat, dicens quod sine armis et militibus patria defendi non posset, divinae legis praecepto rapinam reddendam, ut satisfactio locum habere posset, stultumque omnes velle facere similes in poena, qui non essent similes in culpa.

Anno MXXXVI, Rodulfus rex, suorum insolentia pulsatus, regnum Burgundiae Conrado imperatori tradit. Itaque Burgundia in provinciam redacta est, quam a tempore Arnulfi imperatoris per annos plus minus cxxx gentis suae reges tenuerant. Henricus, comes Lovaniensis, in domo sua perimitur a captivo suo Hermanno. Post Otto, filius ejus, succedit in ducatu, quo immatura morte praevento, successit patruus ejus Baldricus, qui et Lambertus.

Anno MXXXVIII, Henricus rex, filius Conradi, uxorem ducit filiam regis Anglorum. Normanni in Apulia confortati vicinis terrorem incutiunt.

Anno MXLIII, in Gandavo, praesente populi multitudine, cum post processionem sancti Guduali, referretur scrinium, imago crucis inclinato vultu eum venerata immobilis mansit neque se reflexit. Conradus imperator Italiam petit, ut rebellionem meditantes debellaret. Episcopus Mediolanensis, quia quosdam episcopos sibi contrarios in vinculis tenebat, periculum metuens cum fuga lapsus esset, imperator suburbana Mediolani incendit. Qui die Pentecostes dum secus eandem urbem ad missam coronatus adstaret, tam gravia facta sunt tonitrua, ut aliqui nimietate pavoris vitam finirent. Bruno autem episcopus, dum offerret sacrificium, vidit sanctum Ambrosium imperanti comminantem. Itaque beatus Ambrosius Conradum morte compescuit, nam non multo post moritur in Italia.

Anno MXLII, Henricus Conrado patri suo succedit in imperio et imperavit annis xvij. Apud Constantinopolim Constantinus monachus imperat. Petrus, rex Ungarorum, regno pulsus per Ebbonem regem, auxilio Henrici imperatoris restituitur; pro qua re Ungariam facit imperatori tributariam. Benedictus, symoniace papatu invaso, cum esset rudis litterarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exsequendas consecrari fecit; sed cum tanta enormitas ab omnibus culparetur, tertius superducitur, qui solus duorum vices impleret. Sic unum contra duos et duos contra unum altercantes, Henricus imperator deponit, ad dirimendam partium litem advocatus, et Swidigerus Babenbergensis episcopus, qui et Clemens, canonicè substituitur. At Henricus in imperatorem benedicatur. Iterum hic ex his quae me legisse memini occurrere videtur controversia. Nam quae hactenus diximus a Sigeberto excerpta sunt, at secun-

dum alios quosdam Johanni papae, cujus tempore et Henricus obiit et Conradus sublimatus est, succedit Benedictus Theophylactus annis tredecim, cui Sylvester dies lvj, cui Gregorius quintus hujus nominis, qui et Johannes Gratianus, annis duobus et dimidio, vir magnae religionis et sinceritatis. Iste Gregorius, rogatus ab Henrico imperatore Wandelicos expugnante, quatenus regis expensis extirparet perturbatores reipublicae et latrunculos, qui tunc intolerabiliter thesauros emungebant ecclesiasticos, et peregrinos adventantes trucidabant, miseratione ductus, primo spirituali, deinde gladio materiali, eos strenue coërcebat, ut pacem firmam ecclesiis et securitatem omnimodam peregrinis reformaret; super quo in extremis etiam a cardinalibus quasi sanguinis reus accusatus, cum se sermonis ratione validissima affluenter excusasset, jussit insuper quia miraculis quam sermonibus potius credendum esset, ut cum spiritum efflasset, feretro superpositus ante ostium templi S. Petri firmissimis obseratum repagulis sisteretur, quatenus si paparum consortio dignus haberetur, seris contractis divina virtus ostenderet; quod et factum est. Repagulis nempe vehementi concussis turbine, et suspicionis nota exuitur et inter apostolicos, ut meruit, digne sepelitur. Ecce quam clarum et quam dignum relatu miraculum! Sigebertus et eum sequentes omiserunt, qui quia hujus Gregorii mentionem non egit, hujus non attigit novitatem miraculi, quod plane inter caetera minime expediret omisisse. Itaque ad ordinem redeamus, isti Gregorio Benedictus invasor et Clemens canonice electus substituuntur, post quos Poppo, qui et Damasus, papa praesidet annis duobus. Odilio, abbas Cluniacensis, dormivit in Domino. Fuit isto tempore in Normannia mulier ab umbilico sursum gemina, cujus una pars alteri triennio supervixit. Bruno, sanctissimus consobrinus Conradi imperatoris, civitate Leucorum, quae alio nomine Tullus dicitur, episcopus romanae ecclesiae praesidet annis v. Bruno dictus est Leo, secundum quosdam, nominis hujus papa nonus, qui tamen perspicue decimus invenitur. Iste ordinandus audivit angelorum voces in coelo canentium: *Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis*, etc. Hic cum leprosum refocillandum in suo lecto collocasset, et reserato ostio eum non invenisset, in paupere se Christum suscepisse obstupuit.

Anno MLII, sanctus Tibaldus, xij conversionis anno, miraculis clarus requievit. Leo papa Normannos a Romanorum finibus deturbare satagens, cum multis etiam ipse capitur, sed tamen relaxari noluit nisi suis omnibus relaxatis. Francia turbatur per Berengarium Turonensem, qui dicebat quod in

altari sumitur tantum sacramentum esse, et post consecrationem panem et vinum ut fuerat permanere, et corpus Christi sumi non veritate rerum, sed virtute sacramentorum. Leo papa legatos mittit ad Graeciam contra multiples Graecorum errores, quod dei donum vendant, quod castratos ad episcopum promoveant, quod nuptias sacerdotibus concedant, fermentatum sacrificent, nos Azimitas vocent et nobis ecclesiam claudant. Legati Leonis ab imperatore benigne suscepti Nicetam Pectoratum in ejus conspectu convincunt, Michaëlem patriarcham, quia eis communicare nolebat, charta super altare sanctae Sophiae posita, excommunicant et recedunt.

Anno MLV, Henricus imperator, Henrico filio suo quinquenni Aquisgrani in regem sublimato, contra Balduinum comitem Flandriae proficiscitur, Scaldum transit, multos perimit, omnia devastat, urbem Tornacum capit. Leo papa migravit ad Dominum, anno Domini MLV, Leucorum episcopus xxiiij, apostolatus v, impleta vel implenda visione quam vidit sibi dari per beatum Petrum, quinque videlicet calices, Victori successori suo tres, et Frederico successori Victoris unum, annum apostolatus calice mysticante. Cujus est epitaphium :

Victrix Roma dolet nono viduata Leone,
Ex multis talem non habitura patrem.

Gebehardus, Eustadensis episcopus, qui et Victor, papa praesidet annis iij, qui in Gallias veniens gloriose ab imperatore suscipitur, et eo praesente, non multo post Henricus imperator moritur.

Anno MLVI, Balduinus, comes Flandriae, cum Godefrido, duce Lotharingiae, aemulum suum Fredericum ducem Brabantiae intra Antwerpianum oppidum coartant. Coloniae generali curiae conventu habito, Balduinus et Godefridus, mediante Victore papa, ad gratiam regis et pacem reducuntur et omnes bellorum motus sedantur. Anno Coloniae archiepiscopus constituitur.

Anno MLVII, Henricus puer annorum ix patri suo succedit in regno, et imperavit L annis. Hoc tempore, sanctus Eduardus, rex Angliae, sedens ad mensam coronatus in die Paschae, vidit vij dormientes in Celyo monte juxta Ephesum a dextro latere, super quod CC annis jacuerant, in sinistrum latus inverti, praedicens eos super idem latus adhuc lxxiiij annis pausaturos, et tunc turbationes et regnorum futuras mutationes. Ita in Anglorum historia

me legisse memini, unde Deum in omnibus factis et praecipue in istis admiror mirabilem. Qui postquam in Christo quieverunt et una stola decorati sunt, a quiete non ad inquietudinem vel laborem, sed ad honorem ejus qui mundum pugillo continet causis occultis, sed justis, inscrutabilibus, sed irreprehensibilibus, toties excitantur. Nam sub Decio pro Christo tormentati in spelunca se occultantes obdormierunt, et post annos circiter CXCII spelunca patefacta a somno surgunt, anno Domini circiter CCCXLVIII, et asserta fide resurrectionis coram Theodosio minore, de qua eo tempore multum dubitabatur, iterum dormierunt. Qui modo se de latere vertentes in latus jam prophético spiritu praedicuntur per annos lxxiiij pausaturi. Immo eodem spiritu immoti a tempore tantum Lotharii imperatoris, nepotis Karoli Magni, quievise asseruntur, qui quomodo se tunc vel ad quid mobiles vel quibus videntibus praebuerunt solus immotus novit, movens omnia, vel quibus revelavit. In Paderbronna, scotus, Paternus nomine, multo tempore reclusus se comburi passus est propter propositum reclusionis, nolens exire, qui etiam hoc incendium saepius praedixerat. Fredericus, filius Gozelonis ducis¹, ex clerico sancti Lamberti Leodiensis, VII^{us} levita Romanae ecclesiae, quia exosus erat imperatori propter fratrem suum Godefridum, ducem Lotharingiae, apud Cassinum primo monachus, postea abbas factus, Stephanus dictus, Romanae ecclesiae praesidet anno uno.

Anno MLXI, juxta Tornacum multitudines colubrorum altrinsecus congregatae prodigioso praelio occurrunt, et multis utrimque occisis, pars victa fugiens in arboris cavo se abscondit, pars autem victrix sibilo circumstrepebat. Nec ante requies, donec inclusi circumposito igne concremantur. Gerardus, Florentiae episcopus, qui et Nicolaus, Romanae ecclesiae praesidet ij annis. Inter hunc et Stephanum papam, secundum alios, praesedissee legitur Benedictus papa x mensibus. Henrico Francorum regi succedit Philippus filius ejus annis xlix. Nicholaus papa constituit cardinales et devotos clericos, summi pontificis facere electionem². Idem Nicolaus et Alexander II^{us} prohibuerunt ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere vel subintroductam mulierem. Non ut sacramenta per tales exhibita nulla sint vel indigna, sed ut peccandi licentiam caeteris auferrent et tales ad dignae poenitentiae lamenta revocarent. Schismaticorum vero et haereticorum sacramenta,

¹ Brabantiae.

² Soli cardinalium collegio electionem attribuit.

quum extra ecclesiam sunt, secundum Pelagium, Gregorium, Cyprianum, Augustinum et Jheronimum, formam quidem sacramentorum, si autem virtutis effectum habent, excepto baptismo quod etiam ab haeretico pro necessitate acceptum plenarium habet virtutis effectum. Marianus Scotus, chronographus, in territorio Maguntiensi, Fuldensis monachus, clarus habetur. Anno, archiepiscopus Coloniensis, indigne ferens per Agnetem matrem Henrici imperatoris regnum non viriliter gubernari, puerum violenter et industrie captum sub tutela sua accepit, et imperii regimen a matre ejus amovit; at ipsa imperatrix, limina apostolorum Petri et Pauli petens, usque ad finem vitae cunctis Romae exemplo et miraculo fuit. Anselmus, Lucensis episcopus, qui et Alexander, Romanae ecclesiae praesidet annis vj. Contra quem Cadelo¹, Parmensis episcopus, papatum ambiens, magno scandalo ecclesiae fuit, quia longa inter eos concertatio etiam usque ad homicidia prorupit. Praevaluit tamen ex consensu majorum Alexander, quia se jurando de symonia expurgavit. Dominus Hermannus, nobili Alemannorum prosapia genitus, anno Domini MLXIV, computum suum edidit et famosissimam de naturali lunae cursu quaestionem subtilissime investigatam absoluit, qui a primaeva aetate a renibus deorsum contractus, et toto vitae tempore ambulandi usu privatus, absque humano magisterio in omni liberali scientia, Dei dono, philosophus perfectus apparuit.

Anno MLXIV, Robertus Flandrensis Fresiam subintrat et partem provinciae occupatam subjugat. Conradus, Coloniensis primicerius, ab Henrico imperatore Treverorum archiepiscopus missus, a comite Treverensi Theodorico de altissima rupe praecipitatur nec laeditur; deinde gladio transverberatus et apud Tolegium sepultus, statim miraculis a Deo glorificatur.

Anno MLXVI, Willelmus Notus, comes Normannorum, cum Francis Angliam intrat, et Anglos obsidens, in Exonia munitissima cum quidam ex obsessis contra exercitum suum, discoopertis genitalibus, per murum mingere praesumpsisset, genu flexo in oratione, auxilium Dei contra eos petiit et impetravit. Nempe pars muri ilico per se collapsa est, et conserto cum Anglis praelio, Haraldum regem cum multis millibus perimens, Londoniae coronatus in regem ungitur, et regnavit super Anglos et Normannos annis xxiiij.

Anno MLXVII, in Gandavo sanctus Macharius in dedicatione ecclesiae elevatur, ubi dum increduli miraculum exigentes contendunt, iris in modum

¹ Aliis Cadalous.

coronae totum atrium circumdat et in medio crux aurea resplendet; tanta miraculorum evidentia subsequente, quantam nullus enarrare poterit. Theodoricus, Treverorum comes, pro perempto Conrado exiliatur ab imperatore, et suscepta peregrinatione Jherosolimam eundi, quid de eo et sociis ejus actum sit hucusque nescitur.

Anno Domini MLXVIII, Balduinus, Flandriae comes et marchio, potentissimus victoriis et justitia magnificus obit; cujus sepultura Risela, quam Insulam dicunt, honoratur.

Anno MLXIX, Frederico duci succedit dudum Godefridus, post quem modo Godefridus Gibbosus, filius ejus, quamvis staturae decore minoratus, animi tamen virtute eximius.

Anno MLXXI, Robertus, frater Balduini Flandrensis comitis jam defuncti, consensu Flandrensiū contra Arnulfum, fratruē suum, Flandriam occupat. Arnulfus cum Philippo, Francorum rege, occurrit patruo suo Roberto, et pugna conserta apud Capsellam, Arnulfus perimitur; Philippus vero rex fuga liberatur: multis vero occisis, hinc Richildis comitissa, illinc Robertus, captivantur. Placuit tamen tandem conventionibus tantos motus finire, ut, uno pro altero relaxato, illa cederet et Robertus comes fieret. Apud civitatem Treverim, quam condidit Treber, filius Nini, cum fugeret Semiramidem, novercam suam, in ecclesia S. Paulini confessoris, in crypta subterranea invenitur corpus ipsius Paulini, cum corporibus multorum martyrum passorum sub Rictiovaro. Sigebrius, episcopus Maguntinus, quasi orationis causa in Galiciam ad S. Jacobum perrexit, cum autem Cluniacum intrasset, seculum relinquens, ibi persistere proposuit, sed cum mercenarii comparare vellent ejus episcopatum, ipse, praecipiente sibi abbate, per obedientiam quam sibi et sancto Benedicto deberet et debebat, ad suam sedem rediit, quam catholice regens in monachi proposito, usque in finem laudabiliter vixit. Conveniunt contra Henricum, imperatorem, Saxones, Suevi, Westfalici, Bavarii, Turingii, cum vij principibus suis, ipsis ipsum ejiciendum, aliumque constituendum uno animo decernentes, quos imperator gravissimo bello ad deditiōnem compellens, perdomuit. Anno Domini MLXXIII, teste Mariano, duobus magnis annis a xv anno Tyberii Caesaris revolutis, omnia secundum cursum solis et lunae concordant illi anno, quo baptizatus est Jhesus Christus, octavo idus Januarii, die dominico Epiphaniae, initium jejunii ejus in proxima secunda feria.

Hildebrandus, Romanae ecclesiae archidiaconus, dictus Gregorius papa, praesidet annis xvij. Iste symoniacos, uxoratos vel fornicatores presbyteros, et eis communicantes, damnat, missas eorum audiri prohibet, benedictionem eorum maledictionem judicans, et orationem peccatum. Ipse quoque totus fertur in Henricum imperatorem verbis et scriptis, quos potest avertens ab eo. At Henricus, coacto Vormaciae consilio xxiiij episcoporum, omnia decreta et facta Gregorii in irritum deducit. Episcopi ibi Gregorium abjurant et papatu abdicandum judicant, sed e contra Gregorius adversantes imperatori absolvit a perjurio, ut perjurium perjurio corrigerent, immo cumlarent, abjurantes imperatorem et secum jurantes¹. Haec tota contentio inter ipsos habita est propter investituras ecclesiarum, quas sibi Henricus usurpavit injuste. Hoc enim tempore, imperatores juste privantur ecclesiastica auctoritate, quia plurimi per eos intrant aliunde, non per ostium: quae tamen prius ab Adriano papa magno Karolo concessa fuit, qui minime ad avaritiam animum inclinavit.

Anno MLXXV, in Antwerpia, sicarius ducem Godefridum, in secessum ad purgandum alvum ingressum, per secreta naturae cultro feriens interfecit. Anno Domini MLXXVIII, hyems asperrima invaluit atque durissima a kal. Novembris usque in litaniam majorem; cujus tanta vis erat ut diebus natalis vel quadragesimae divina in ecclesiis non fierent, nisi plurimo igne accenso carbonibusque congestis, et quem calor ignis hinc coquendo exurebat, illinc frigus tolerare non poterat; perieruntque bestiae, volucres et gramina, et in Pascha qui sereno coelo in sole aestuabat umbram intrans, frigore constringebatur. Saxones, instinctu Gregorii papae, rebellant et regem constituunt Rodulfum, ducem Burgundiae, cui papa coronam misit, cui inscriptum erat:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulfo.

Henricus gravi bello congreditur cum multis principibus, etiam Rodulfum perimit. In Pentecoste Maguntiae conventu habito, Gregorius abdicatur. Wicbertus, Ravenates archiepiscopus, papa designatur. Anno Domini MLXXX, in natali Domini ventus validus sylvas conterit, muros dejicit, urbes evertit, non minatur casum, sed omnia ruina prosternit. In cathedra S. Petri, sereno coelo in vespera mane, tanta nix cuncta operuerat, ut ostia aperiri non possent, culmina tectorum excederet et etiam sylvas absconderet.

¹ Haec e Sigeberto Gemblacensi, cujus in Gregorium VII iniquitas omnibus nota est.

De aedificatione monasterii Hassligensis, et ejus fundatoribus.

De claustro S. Petri Gandensis, Wethericus monachus zelo divinae religionis ad praedicandum se accingit, secundum decretum summi pontificis, ejusque auctoritate munitus, uxoratos presbyteros et eorum missas docens respuestas. Cujus praedicatione quinque milites, inter quos excellebat Gerardus, cognomine Niger, conversi, seculo renuntiant, qui moniti ab eo ut in loco suorum scelerum Deo offerrent suae poenitentiae sacrificium, Hassligensis coenobii principia dedicaverunt, anno Domini MLXXXIII; idem enim locus latrocinantium et praedas agentium tantum conventiculis aptus erat. Tertio vero anno postquam claustum extruere coeperunt, basilicam eorum dedicavit Gerardus, Cameracensis episcopus, ac sexto anno primus abbas Fulgentius ibi constituitur, non tam bonis comparandus quam etiam optimis eo tempore praefertur. Claruit plane hoc tempore sancta Wivina de Bigardis, eidem abbati tam pro religione quam pro castimonia familiaris et nota.

Henricus imperator Italiam ingressus, obsessam Romam et debellatam capit; Gregorius fugiens ad Normannos se contulit. Wicbertus per Henricum in sede apostolica intronizatus Clemens nominatur, a quo etiam imperator coronatus, imperialem suscipit benedictionem. At Robertus Wischart, Normannorum dux, Henricum imperatorem e Roma fugans, Gregorium papam in cathedra relocavit, qui denuo ejectus apud Salernum exulans, obiit in vera poenitentia, absolvens tam Henricum quam complices ejus omnes, quos banno ligaverat¹. Cassinensium abbas Desiderius, Victor nominatus, contra Clementem fit papa, qui tribus annis praefuit ecclesiae romanae, sed dyssenteria solutus non multo post moritur; plane quidem chronographi Clementem et Victorem non annumerant. Marianus Scotus chronicam suam perduxit usque ad hoc tempus, id est annum Domini MLXXXVI.

Anno MXC, Venetiani ossa sancti Nicholai a Mirrea, Lyciae civitate, in Barum transferunt, anno DCCXLV a depositione ipsius. Anno Domini MXC, Cnuto, rex Danorum, a Danis in templo peremptus, miraculis claret, et persecutores ejus mox divinitus puniuntur. Odo, ex monacho Cluniacense episcopus Hostiensis, contra imperatorem et Clementem fit papa, et Urbanus nominatur, qui annis x praefuit. Willelmus Notus, rex Anglorum, vir in censura jus-

¹ Haec e Sigeberto falsa esse omnino patet ex Pauli Bernriedensi, *Vita Gregorii*, c. 110.

titiae singularis, moritur. Succedit ejusdem nominis, sed non ejusdem animi, filius ejus, hostis religionis et bonis omnibus contrarius et gravis. Metis, corpus sancti Clementis ab apostolis illic ordinati inventum levatur. Godefridi Gibbosi ex Yda sorore nepoti, Godefrido de Bullion tandem datur ducatus Lotharingiae. Hermannus, Metensis episcopus, amicos ad prandium convocavit. Qui postquam liberaliter et jucundissime cum eis bene cibus et exhilaratus, se in lecto quieturus reclinavit, ubi quid viderit, nescitur; quod somnum morte sociaverit, scitur.

Anno MXCIV, Robertus, primus hujus nominis, Flandriae marchisus, cognomento Jherosolimitanus, obit; succedit ei filius Robertus. Conradus, filius imperatoris, ad patris adversarios se contulit, et multis se ad eum vertentibus, priores patris prosperitates obfusavit et vires ejus attenuavit. Pater tamen iram potius frenare quam exercere voluit, et malis pressus, tamen consilio non excidit. Henricus, comes Lovaniensis, vir in militaribus artibus ultra omnes sui temporis nominatus, apud Tornacum perimitur anno Domini MXCVI. Cui succedit frater ejus Godefridus.

De initio Cisterciensis ordinis.

Anno Domini MXCVIII, ordo Cisterciensis initium habuit ab abbate Roberto. Claruit eo tempore Bernardus, Castellioni, oppido Burgundiae, oriundus, qui cum triginta sociis et amicis Cistercii ad conversionem veniens, anno Domini MCXIII, postea missus est abbas Clarevallis, cum quibusdam fratribus, ibique monasterium construxit, et per xl annos ordinem Cisterciensem per universum orbem multipliciter dilatavit. Aliorum amplius quam centum lx monasteriorum pater, sanctam quoque ecclesiam, tanquam lucerna super candelabrum posita, verbo doctrinae, scriptis, miraculis et exemplis illuminavit. Pro pace etiam sanctae romanae ecclesiae plurimum et efficaciter laboravit. Urbanus papa in Galliam veniens, Philippum, regem Francorum, excommunicat, quia uxori suae aliam superduxerat. Urbanus papa, habitis consiliis in Gallia, Gregorii decreta renovat et confirmat. Milites Jherosolimam pergere, quae a Saracenis conculcabatur, hortatur et incitat. Reges, duces, principes et barones ad hoc inducit aut signat, signatos transmittit promptos et alacres. In quo Dei hostico eminent dux Lotharingiae, Godefridus et fratres ejus Eustachius et Balduinus; Balduinus, comes Montensis, Robertus, comes

Flandrensis, Stephanus, comes Blesensis, Hugo, frater regis Francorum, Robertus, comes Normanniae, Reimundus, comes Sancti Aegidii, Boiamundus, dux Apuliae.

Anno MXCVIII, exercitus Dei terminos Paganorum aggressi, viriliter agunt, primo bello Niceam capiunt, ubi Balduinus, comes Montensis, sagitta percussus occubuit¹; inde Antiochiam obsident et ix obsidionis mense capiunt: sed mox versa vice, Christiani a Paganis obsessi, fame urgente, ultima desperatione coacti, manifesta Dei virtute, ferro salutem quaerunt et inveniunt. Interim Fredericus in archiepiscopatu Coloniensi succedit Hermanno. Dehinc post multos labores et pericula Jherosolimam veniunt, eam diebus xl obsidione cingunt, ibi omnium necessariorum penuria summo discrimine, omni spe destituti, ad rogandum Deum se convertunt, urbem vij diebus cum litaniis circumeunt in jejuniis, sacco et cinere, clamantes, coelum pulsant, fletibus ad aures Dei irrumpunt, et die octavo vj feria, id est idus Julii, anno MC sed minus uno, Jherusalem laeti capiunt. Virtute potenti capta est autem post annos circiter CCCCLXVI, ex quo post Eracleum secunda vice est possessa a Sarra-
cenis. Remanentibus ad muniendum sanctum locum dux Godefridus rex constituitur, caeteri repatriant. Urbanus et Clemens de papatu contententes, moriendo finem faciunt. Succedit Reinerus, qui et Paschalis, papa xvij annis praesidens.

Anno MCI, rex Sarracenorum cum innumero exercitu venit contra sanctos qui Jherusalem remanserant. Cui rex Godefridus cum tam pauco numero occurrit, ut nec centum millibus mille, hoc est unum centenis opponere sufficeret; sed Deo pro suis pugnante, omnes projectis armis fugerunt, et praecipitata fuga se invicem collidentes maxima ex parte in portis Aschalonis in sua strage compressis suffocati jacuerunt.

Anno MCII, Godefridus, dux Lotharingiae et rex Jherosolimorum, primo anno regni felici fine consummatur, cui Balduinus, frater suus, succedit in regno annis xvij, qui multa gloria regens imperium, magnas et regales civitates adjecit imperio, Ptholemaïdem videlicet, Tyrum et Sydonem. Wilhelmus, rex Anglorum, perimitur a suo milite, sagittam in incertum dirigente, percussus in venatione. Cui successit frater ejus Henricus.

Anno MCII, Robertus, comes Flandriae, acquisita multa laude secularis mi-

¹ Plerique chronographi quomodo Balduinus perierit, ignorari perhibent.

litiæ revertitur de Jherusalem. Conradus, filius imperatoris, adhuc patri rebellis, in Italia moritur. Henricus imperator ducatum Lotharingiæ dat Henrico Lemburgensi. Anselmus, Laudunensis doctor, clarus habetur.

Initium abbatiæ de Foresto.

Fulgentius, primus abbas Haffligensis, sanctas et devotas virgines congregavit in loco qui *Merchten* dicitur; sed quia idem locus congrua opportunitate carebat, procedente tempore eas transposuit in loco qui Forestum dicitur, tradito sibi a Francone, castellano Bruxellensi, qui inibi priorissam constituit dominam Bertildam, quæ xxx et eo amplius annis in illa sanctimonialium congregatione et omnibus gratam et sine reprehensione se gessit.

Henricus, filius imperatoris, a patre aversus multos ab eo avertit, et sub obtentu statum ecclesiæ meliorandi in eum insurgit. Paschalis papa ad Gallias transiens, exercet synodales causas, et non apparente nota symoniæ injuste sibi a Romanis injecta, honoratur apostolica dignitate. At Maginolfus, qui et Sylvester IV, invasionis reus, non multo post reprobatur a Romanis et fama nominis ejus evanuit.

De Norberto qui ordinem Praemonstratensem inchoavit.

Adolescebat hoc tempore primo in curia Frederici, archiepiscopi Colonien-
sis, deinde in curia Henrici imperatoris, quidam nomine Norbertus, natione Teutonicus, municipio de Sanctis, quod olim Troia dicebatur, genere de illustri prosapia ortus, opibus adauctus, forma decorus, scientia eruditus, eloquio excultus, officio clericus, ordine subdiaconus, de quo ad matrem suam, cum adhuc eum gestaret in utero, per somnium facta est vox hujuscemodi: « Aequo animo esto, quoniam archiepiscopus futurus est quem gestas in ventre. » Hic cum levitati secularis pompæ satis superque indulisset, repente mutatus in virum alterum, accelerandæ religionis causa, a Frederico archiepiscopo petiit et impetravit duos simul supremos ordines, id est diaconatum et sacerdotium.

Anno MCVII, Henricus, filius Henrici imperatoris, imperium invadens, patrem suum cepit et custodiæ mancipavit. At pater qualiter dolo filii sui de-

ceptus sit, si quis epistolas ejus legit, cum lacrymis agnoscit, in quibus inter caetera ait : « Si pro peccatis meis flagellandus sum, de me, fili, nullam maculam conquire nomini et honori tuo. » Et item : « Ille mihi omnia in corde et corde est locutus, et ex omnibus meis quartus ego sum inclusus. Cum in die natalis ille puer gaudium omnium est natus, mihi soli non est natus; ipse Deus negatus et cibus illo mihi die non est datus. » Cui cum in eadem custodia nuntiaretur, quod si vel una hora ibi moraretur, aut in mortem, aut in perpetuam captivitatem inde raperetur, fuga elapsus, primo Coloniam, inde Leodium venit, ubi langore correptus, magis autem taedio et angore confectus, in dolore consummatur.

Anno MCX, Henricus Junior, qui patris tempora invadere nisus, dolores seminavit et messuit in regno, succedit xx annis, sed tamen ei ingratus existit. Omnes enim qui ei fideles fuerant, odio persequabatur. Nam Henricus dux, primo filii, dehinc parti patris favens, patre Leodii mortuo, a filio captus, ducatu Lemburgensi privatur et custodiae mancipatur, ejusque ducatus datur Godefrido, comiti Lovaniensi¹. Sed tamen idem Godefridus, non multo post cum infinito exercitu contra eundem Henricum imperatorem veniens, ipsum fugat et Aquis victor ingreditur. Postea vero idem Henricus imperator contra Robertum, comitem Flandriae, Duacum veniens, ab oppidanis tanto ludibrio habitus est, ut non lapidibus aut sagittis eum vulnerarent, sed ovis projectis exercitum ejus foedarent atque hoc modo inde rediit inefficax. Robertus, comes Normanniae, a fratre suo Henrico, rege Anglorum, capitur.

Anno MCXIII, Philippo, regi Francorum, succedit filius ejus Lodewicus annis xxvij. Henricus imperator, quintus hujus nominis, Machtildem sortitur in matrimonium, regis Anglorum filiam. Robertus, comes Flandriae, moritur, qui in exercitu Jherosolimorum insigni laude claruit. Succedit et Balduinus, filius ejus. Waldericus, episcopus Laudunensis, a civibus perimitur.

Anno MCXIV, Henricus imperator Romam vadit, propter sedandam discordiam inter regnum et sacerdotium, quae incepta² ab ultimo Gregorio papa valde conturbabat ecclesiam. Rex uti volebat privilegiis, imperatoribus a tempore Conradi Magni concessis, ut eorum more licite daret episcopatus et ab-

¹ In margine scriptum est apicibus rubris : *Hic unitur ducatus Lemburgensis et Lotharingiae terrae Brabantiae, et abhinc principes Brabantiae duces appellantur, qui prius comites Lovaniae dicebantur,*

² Vocem hanc in codice recentior manus delevit.

batias per annulum et virgam pastorem; papa vero, contra consuetudinem, ex mera auctoritate¹, decrevit nec debere, nec posse dari vel accipi aliquam ecclesiasticam investituram a manu laicali. Pro qua controversia imperator papam in templo S. Petri cepit, ipsum interrogans quomodo regnum staret, si papa sibi omnia regalia tolleret. Papa respondit militiam et castra et omnia quae regni erant ab episcopis tollenda, solas eis decimas et oblationes relinquendas. Quo audito, imperator mox ab eo promissum impleri exigebat; sed omnibus in faciem ei resistentibus, et inimicum ecclesiae Dei illum iudicantibus, compulsus est papa confirmare ut post electionem episcopus ab imperatore investiatur. Quo confirmato, imperator benedictione percepta coronatur. Sed quia hoc modo privilegium investiturarum a papa, quem captivaverat, extorsit, rursus a cardinalibus et episcopis quamplurimis excommunicatur. Obiit Sigebertus, Gemblacensis chronographus, qui chronicam suam perduxit usque ad annum Domini MCXI.

Leodii pulsantibus vesperis sabbato quaedam femina caput dum lavat puero, manus rubent sanguine fluido. Johannes Gaitanus, Gelasius dictus, Romanae ecclesiae praesidet anno uno. Cujus electioni quia imperator non consenserat, ei Burdinum superordinari fecit, qui postea a Kalixto papa captus ultimae abjectionis confusionem pertulit, ut asello nudus impositus per plateas Romae traheretur, luto conspergeretur et caederetur. Gelasius papa verens praesentiam Henrici tendentis Romam, secessit Capuam, indeque transiens ad partes S. Aegidii, ibidem causas agit synodales, ubi et Norbertus, de quo praefatus sumus, fortuita tunc peregrinatione pro Christo suscepta veniens, veniam a summo pontifice specialiter petiit et impetravit de eo quod duos supremos ordines simul contra canonum statuta susceperat. Papa vero considerans et magnipendens prudentiam viri, et videns spiritum Dei habitantem in eo, voluit eum secum retinere. At Norbertus validissimis rationibus quoniam arctioris propositi ardorem conceperat, allegans id sibi non expedire, dimissus est, potestate ubique terrarum praedicandi litteris apostolicae auctoritatis sibi confirmata. Burchardus Cameracensi ecclesiae praesidet. Cum Gelasius primo anno apostolatus Cluniaci obisset, ibidem a cardinalibus et clero Wido, Viennensis episcopus, in papam eligitur et Kalixtus nominatur, vij annis praesidens, qui bonum dans adveniens principium, Remis mox consilium convoca-

¹ Delevit et verba haec.

in eo quae sinistra sunt corrigens et quae bene gesta confirmans. Ubi cum vir Dei Norbertus litteras a Gelasio sibi datas bulla Kalixti renovari fecisset, ab eodem venerabili papa commendatus est Bartholomeo, episcopo Laudunensi. Qui consilio papae tunc etiam Laudunum venientis, ambiens eum in sua parochia retinere, obtulit ei in suburbio ecclesiam B. Martini. Canonici vero ejusdem ecclesiae Norberti videntes inflexibilem severitatem et arduum propositum, cum eum omnimodis renuissent, dicentes: « Castigare quidem vult Deus, non mortificare, » desertum quoddam elegit nomine Praemonstratum, ubi ordo Praemonstratensis ab ipso Norberto tunc initium habuit, videlicet anno Domini MCXX, unde quidam:

Anno milleno centeno bis quoque deno,
Sub patre Norberto Praemonstrati viget ordo.

Anno MCXIX, Balduinus, comes Flandriae, Roberti Junioris et Clementiae filius, xxvj aetatis suae anno, monachus apud S. Bertinum effectus, absque haerede moritur, cui succedit consobrinus ejus Karolus, filius scilicet amitae suae, quem genuit Cnuto, rex Danorum, qui sanctus dicitur.

Balduinus II, rex, Jherusalem obit, quem cum fratribus suis genuit Eustachius, Bononiae comes, ex Ida sorore Godefridi Gibbosi, ducis Lotharingiae. Post istos regnat in Jherusalem Balduinus, filius Hugonis de Rettesta. Kalixtus papa, Romae ab omni clero et populo gloriose susceptus, Henricum imperatorem cum fautoribus excommunicat. In Dania defunctus clericus cum ad tumulum portaretur, resedit in feretro. Qui primo suos occultos actus presbytero confessus, indulgentiam petiit et accepit. Deinde omnium qui praesentes erant occulta et quid in toto mundo ageretur sibi notum linguisque omnium se posse loqui ostendit, moxque finitis admonitionibus suis ut ante mortuus tumulo mandatur.

Anno MCXXI, Henricus, rex Anglorum, ducit in uxorem Athelam, filiam Godefridi, ducis Lotharingiae, qui ex magna prudentia rexit imperium suum et larga manu Dei ditavit ecclesias. Sed libidinis impatiens, dum cum multis volutatur, magnum bonum magna foeditate maculavit. Controversia, quae hactenus fuerat inter imperatorem et dominum apostolicum de investituris ecclesiarum, tandem finitur, Henrico voluntarie abrenuntiante omnimodae investiendi potestati, quam tamen sibi concedere papa voluit in regno Germanorum, si

vitaret omnimodis symoniam. Sicque imperatori ecclesiastica communio et papae pax integra reformatur.

Item de Norberto.

Norbertus, in loco Praemonstrati exstructis jam officinis et ecclesiola, egreditur, tum ad praedicandum, tum ad congregandum socios, qui secum communem et apostolicam vitam profiterentur. Qui sermonem confirmans sequentibus signis multo clarius virtutum jubare, inter discordantes principes, ut ex libro vitae suae patet, bis miraculose pacem reformavit; daemónicos frequenter sanavit, inter quos puellam a daemonio apud Nivellam liberavit, ubi quiddam inauditum evenit et plane nostris temporibus admirandum. Nam cum daemon inter exorcizandum sacerdoti saepedicto saepius exprobrasset, volens, ut vere superbus est, suam scientiam ostentare, cantica canticorum a principio usque ad finem per os puellae edidit, et iterans verbum ex verbo atque reiterans, in duabus linguis, primo in romanam, deinde in teutonicam, usque in finem interpretatus est, cum illa puella adhuc sana nihil nisi psalterium didicisset. Venerabilis vero Norbertus, jam collectis sociis tam laicis quam clericis ferme xxx, volens ecclesiolam suam sanctorum reliquiis communire, Coloniam petiit ibique miraculose invenit prius corpus unius virginis, deinde ipsum etiam sanctum Gereonem, praeter craneam capitis integraliter totum, qui per voluntatem Dei hactenus omnes latuerant. At Norbertus, de his vel aliis sanctorum reliquiis implens duo vascula, hilaris et laetus regressus est, atque in ipso reditu a comitissa Namurcensi Floreffiam suscepit regendam. Cum vero non multo post ecclesia Praemonstratensis dedicata fuisset, ille serpens antiquus, volens callide subvertere novellam plantationem, quemdam ex discipulis idiotam plane et ineruditum ita falsa et subita inflavit scientia, ut se prophetiam Danielis scire jactitaret. Qui in tantam prorupit audaciam, ut etiam in capitulo sermonem facere praesumeret super hanc sententiam: *Estote fortes in bello*; sed mox deprehensus confunditur, quia cum multis et congruis sententiis sermonem roborasset, hanc clausulam *et accipietis regnum aeternum* nullo conamine proferre potuit. Godefridus, comes Capenbergensis et dominus Westfaliae, exhortatione Norberti, in canonicum attonsus, castrum suum Capenberga commutat in coenobium.

Balduinus, rex Jherosolimorum, a Saracenis capitur, Christiani ad tria

millia resumpta fiducia de lx millibus Paganorum triumphant, occisis septem millibus et submersis quinque millibus, et Tyrus iterum Christi imperio subjugatur.

Lambertus, Hostiensis episcopus, qui et Honorius, Romanae ecclesiae praesidet annis iij. Ad hunc Norbertus Romam venit pro stabilitate ordinis sui et pro confirmandis rebus sibi a Deo collatis, a quo honorifice susceptus est, et quidquid juste petiit, ab eo gratanter accepit, atque inde rediens, mox suscepit ecclesiam S. Michaëlis in Antwerpia, emporio videlicet multarum terrarum, quod per Tanchelinum haereticum, stipatum tribus millibus pugnatorum, haeretica et abominabili pravitate jam dudum sorduerat. Hoc tempore, in Gemblacensi parochia, dum quidam dominica die segetes prae penuria famis moleret, subito arsit farina cum putoris nigredine, ad exemplum posteris, ne quid praesumant simile. Henricus imperator, cum venisset Ultrajectum, Pentecosten ibi celebraturus, morbo dragunculi interiit; cujus corpus, ejectis intestinis, sale conditum Spirae relatum est. Rex Jherusalem Balduinus de manu redimitur Saracenorum.

Anno MCXXVII, Lotharius, qui et Luderius, dux Saxonum, vir sapiens et industrius, omnium assensu electus, a Frederico, Coloniensi archiepiscopo, in regem ungitur, anno Domini MCXXVI et x annis imperavit. Eodem anno fundata est abbatia Parcensis¹. Norbertus iens pro sponsa Theobaldi Blesiensis comitis et nobilissimi principis Francia, quam ex consilio ipsius Norberti ducere debebat in uxorem, venit Spiram, ibique, in praesentia Lotharii imperatoris et unius cardinalis, a Parthenopolitanis, qui tunc forte pro eligendo antistite convenerant, electus est in archiepiscopum Parthenopolis civitatis, in qua dignitate cum biennium egisset et ordinis sui in eadem urbe fundamenta jecisset, ex condiscipulis, qui penes se erant, tres remisit in Galliam; quorum unum Praemonstrati sibi substituit, alterum Antwerpiae; tertium Floreffiae patrem posuit, sed et duo jam alii consecrati erant, scilicet Laudunensis et Vivariensis. Praemonstratensis autem abbas mox sextum exposuit ad locum qui dicitur Bona-Spes. Itaque hi ex mutuo condicto, ad similitudinem Cisterciensium, ad corrigendum sinistra annuatim convenientes, si in primo anno vj, in secundo fuerunt ix, in tertio xij, in quarto xvij, et exinde multiplicati palmites suos a mari usque ad mare, immo ultra mare extenderunt,

¹ Annum 1129 indicant MS. Parcensia.

sicut voces et actus eorum testantur usque in hodiernum diem. Anno Domini MCXXVII, secunda hebdomada quadragesimae, feria iij kal. Martii, tam Flandria quam Burgundia proditoris Judae conjurat in apostasia. Nam quidam Flandrensium proceres dominum suum Karolum, comitem Morinorum, Brugis in templo S. Donatiani psalmos canentem, jugulant; in Burgundia eodem die, instinctu unius ejusdemque Satanae, damnati quidam et laesae majestatis dominum suum Willelmum, comitem Sedunensium, gladiis confodiunt, in ecclesia ante altare orantem. Nec impune cessit homicidiis nefas hujusmodi. Nam diversis injuriis et digno sibi satis fine perierunt. Comitatus Morinorum sive Flandrensium a Lodewico, rege Francorum, datur Willelmo, filio Roberti comitis Normanniae, quem Robertum redeuntem ab Jherosolimis Willelmus, frater suus, rex Angliae, in custodia libera redegerat, eo quod praestitam sibi pecuniam reddere nequibat. Balduinus Gandensis, primus inter primos Flandriae et Brabantiae, apud Haffligem in monachum attonditur.

Anno Domini MCXXVIII, facta est abbatia Grimbergensis. In vicinia Lovaniae, villa Gerpinas, paupercula mulier in nocte sancti Michaëlis hordeum moluit, de quo ilico faciens azima coxit, quem dum frangeret sanguinem et aquam elicuit.

Anno MCXXVIII, Willelmus, comes Flandriae, cum Godefrido duce Lotharingiae, obsidione premens, in castro Alost Theodericum de Alsatia, qui contra se comitatum Flandriae tentabat invadere (erat enim consanguineus Karoli comitis), levissimo sagittae ictu in manu accepto, male, ut putatur, a medico potionatus, repente moritur; cujus corpus, ejectis intestinis, apud S. Audomarum translatum est et sepultum. At vero exercitus ejus cum maxima confusione fugiens, partim captus, partim in Tenera submersus est. Quos Theodericus cum suis egressus cum alacritate persequens, cum praeda infinita etiam comitatum obtinuit. Hoc tempore in Flandria multi fluvii sanguinei facti sunt et fossata similiter. Burchardo, Cameracensi episcopo, mortuo succedit Lietardus, Trajectensis praepositus.

In Gallia plaga ignis divini desaevit in homines cujuslibet aetatis, conditionis et sexus, qui exstinguuntur in multis per Galliam beatae Mariae oratoriis, sed praecipue Suessionis. Quo tempore cuidam juveni hac infirmitate detento in ecclesia sua Parisius pernoctanti, sanctus Martinus apparens dixit: « Scito, inquit, ex decreto superni judicis per Gallias hanc combustionis plagam desaeuire et matrem misericordiae obtinuisse omnium pro hac clade se invocantium

misereri , ideoque in templo ejus te facias portari , quia ibi habes sanari. » Cui ille : « Quia ab omnibus miraculorum factor diceris , ad te veni. » Et sanctus Martinus : « Sine permissione Virginis exstingui non poteris. » Discedit sanctus Martinus , qui iterum rediens , jussit illum redire ad matrem misericordiae. Et ille : « Aut per te , inquit , sanabor aut hic moriar. » Et sanctus Martinus : « Sanet te Dominus Jhesus Christus precibus suae matris , et hoc tibi signum : Tu primus , post te de omnibus tum sex sanabuntur. » Dixit et discessit , factumque est ut prophetavit. Balduinus , rex Jherusalem , moritur , succedit Fulco , comes Andegavensis. Honorio papa mortuo , ecclesiae pax interpolatur , altercantibus de papatu Gregorio legitime electo , qui Innocentius est dictus , et Petro Leonis , monacho Cluniacensi , sed natione Romano. Gregorius , qui et Innocentius , veritus potentiam Petri de multitudine gentis praesumentis , Gallias petit atque ab imperatore , a rege Franciae , episcopis et comitibus , honeste suscipitur. Remis , Leodii concilia convocat. Tandem ex communi omnium assensu , cum imperatore et maximo exercitu Romam vadit , in cujus comitatu fuit Norbertus archiepiscopus , tam papae quam imperatori notus et familiaris , ubi Innocentius papa sedi restitutus Lotharium in imperatorem benedixit. Sed idem imperator cum ad debellandum Petrum , qui et Anacletus dictus est , pseudopapam venisset , illi parum obfuit. Itaque inter duos papas per vij annos et eo amplius contentio protracta est. Nam dum Anacletus sedem tenet , Innocentius ecclesias , iste praevalet in urbe , iste obtinet orbem. Norbertus , cum mortis periculum , pro episcopo suo sibi a civibus intentatum , protectus sub umbra alarum Dei tertio miraculose evasisset , quarto mense egressionis suae a Roma , obiit , feria iiij Pentecostes , viij idus Junii , anno Domini MCXXXIV , episcopatus sui viij , Innocentii papae v , Lotharii imperatoris ix. Argumentum salutis ejus non solum virtutum signis quas fecit adhuc vivens , sed etiam tribus post discessum suum apparitionibus declaratum est. Quae cum caeteris mirabilibus ab ipso patris , quae hic causa brevitatis omittimus , in libro vitae suae declarantur.

Magister Hugo de S. Victore , qui diversa opuscula conscripsit , simplicitate et morum honestate praecipuus habetur. Frederico , Coloniensi archiepiscopo , succedit Bruno. Henricus , rex Anglorum , obit vir pauperibus et ecclesiae Dei multae benignitatis , cui , quia liberos non habuit , succedit Stephanus , consobrinus ejus. Lodewicus , rex Francorum , obit , filius ejus aequivocus secundus natu succedit. Nam primus antea Remis ab Innocentio papa coronatus

cum venisset Parisius, ut fertur, a daemone in specie porci ludificatus, dum hac vel illac equum gyrat, subito cadit exanimis. Quo mortuo, etiam iste junior praesens Remis ab eodem papa, petente patre, in regem unctus est. Puella in provincia Hasbaniae aristas de aure germinantes granis fecundas protulit, quod nemo credere potuit nisi qui vidit; sed ille de quo haec excerpimus et grana ipsa manu tenuit, et eos qui praesentes de aure illius nasci et germinare multoties viderunt contestantes audivit. Luderius, qui imperator factus Lotharius est dictus, ad debellandum Anacletum pseudopapam, ut dixi, profectus, in redeundo moritur. Ipse quoque Petrus papa non multo post moritur. Lietardus, Cameracensis episcopus, abjicitur et Nicolaus substituitur.

Anno MCXXXVII, Conradus imperium adipiscitur, vir regii stemmatis. Erat enim ex sorore nepos Henrici, quinti imperatoris hujus nominis.

De fundatione abbatis Ninivensis.

Anno Domini MCXXXVII, in festo sancti Martini, tres canonici in oppido Ninivensi commorantes vestem veterem, vestem Babylonicam, vestem fervore intemperati caloris in plateis Aethyopiae denigratam, vestem in quam cultus et pompae secularis in vestem novam, in vestem hebraicam, tinctura candoris dealbatam, in vestem plane mutarunt religionis et regularitatis, qui tunc tres figuram sanctae Trinitatis quodammodo in ternario repraesentantes per gratiam ipsius, qui trinus est, hodie in decuplum et supra multiplicati sunt, decimas omnium quae possident in spiritu et veritate Deo offerentes. Nullum enim opus perfectionis et impletionis decalogi sibi, sed totum Deo tribuunt; qua autem occasione mutatio dexterarum Excelsi, quae cuncta movens immota manet, sic mutaverit, latius aperiam per ea quae sequuntur.

Prologus auctoris.

Post longam peregrinationem, qua nimium attriti sunt pedes mei, tandem dulci solo natalis patriae et monasterio meo redditus, jam sudorem vultus abstergere et lasso corpori vel sero quietem incipio diu desideratam indulgere, qui enim hactenus scribendo mare circuivi et aridam, qui insulas maris et exterarum nationes, qui regum castra et religiosorum claustra, abrupta montium et alta convallium calamo vagabundus peragravi, simul et plagas terrae

quatuor , jam portum teneo , dulci statione reperta , plane qui post excursus multiplices quasi ad examen apum fructum laboris mei contuli , collectum videlicet de multarum nationum specialibus gestis , quasi de diversis floribus , favum brevis historiae ; immo qui aetates et regna percurrens in deserto quodammodo per annos plene MCXXXVII vagus et instabilis ambulavi , inventa jam semita ac ostiis reseratis , ingredior in domum meam , non de qua exivi , sed quam quaesivi , quaesivi enim eam et nunc inveni. Nec me fefellit qui nec falli nec fallere novit , qui dixit : « Quaerite et invenietis , » et quia jam prospere reversus sum in domum patris mei , a quo et qua occasione eadem domus fundata sit paucis aperiam , quum et haec causa plures latet , etiam in eadem domo una mecum educatos.

Causa foundationis abbatae supradictae.

Erat itaque hoc tempore oppidi Ninivensis advocatus Gerardus , vir nobilis , cognomento constabularius , Amelrici Flandrensis constabularii filius , qui similem sibi in generositate sortitus uxorem , nomine Gislam , de ea duas genuit filias , Machtildem de Ninive et Ermegardem de Woma. At eadem Gisla , susceptis haeredibus , mortifera correpta infirmitate , morti appropinquabat ; quam visitans abbatissa de Ghileghem , cognata sua , ut ibi post mortem sepelienda deferretur obnixe postulabat. Gisla vero jam mortua , abbatissae postulatio penitus cassatur. Nam domino Gerardo potissimum placuit ecclesiam suam et uxoris suae honorare tumulo et liberalitatis suae sublevare beneficio. Quo intuitu cum in eadem ecclesia tres essent canonici , quartum addere disposuit , ejus ilico praebendae ob aeternam suae uxoris habendam memoriam , decimam ecclesiae de Herlinchove assignans , et ecclesiae Ninivensi in perpetuam eleemosynam condonans ; sed Dei disponente providentia , quia eo tempore tertius canonicus morte fortuito subtractus erat , et ejus praebenda cum quarta nuper instaurata adhuc vacabat , coepit unus canonicus , nomine Balduinus , cognomento Wala , nam alter Oiotus dicebatur , saepedicto Gerardo persuadere , quatenus , fundandae intenderet abbatae , maxime cum duabus vacantibus suam paratus esset praebendam adjicere. Quibus in hoc sancto proposito devote concordantibus , placuit fratres Praemonstratensis ordinis esse advocandos , quorum suavissima conversationis opinio grata Deo et plurimum commendabilis mundo videbatur. Missa itaque legatione Parcensis ec-

clesiae abbatem, nomine Symonem, advocarunt, qui omnia parata inveniens et locum videns canonicis regularibus aptum, in spiritu exultationis domum reversus, seminarium sacrae congregationis septiformi gratia Sancti Spiritus confovendum, in septenario fratrum numero transmisit, anno Domini, ut dixi, MCXXXVII, in festo sancti Martini, quibus ex unanimi omnium consensu domnus Gillebertus, Laudunensis canonicus, religione, scientia et moribus adornatus, in conversione sancti Pauli, primus abbas constituitur. Hujus abbatis tempore, fundata est curia nostra *Rubroec*, ubi saepedictus Gerardus dominus de *Ninive*, qui jam fratribus relaxaverat sextam garbam de omni terra, quam in parrochia de *Herlinchove* quoquo pacto possent acquirere, etiam vij bonaria terrae adjecit. Cum autem eo tempore dominus Woltelmus Jettensis ecclesiae, quae anno Domini MCXL fundata erat, et Lidekerkensis ecclesiae abbas, vir opinatissimus, defunctus esset, dominus Yvanus de Alost, apud Liedekerkam tunc temporis dominium tenens, accersito domino Gilleberto, abbate nostro, Liedekerkensem ecclesiam et decimam de *Meins* cum caeteris appenditiis suis, videlicet *Lombeke* et *Stritem*, nobis in eleemosynam tradidit, et episcopali auctoritate confirmari obtinuit. Nempe tam Liedekerkensi quam Jettensi ecclesia existente libera, neutra alteri subjecta erat.

Anno Domini MCXXXVIII, Malachias, archiepiscopus Hyberniae, qui mortuum suscitavit, diem obiit et Clarevalli sepelitur.

Anno MCXXXIX, Nicholaus, Cameracensis episcopus, anno episcopatus sui secundo, abbati nostro omnino remittit et successoribus suis quidquid obsequi ad honorem suae dignitatis attinebat, excepto quod semel in anno, si tamen praemonitus fuerit, ad synodum venire curabit. Talem quoque libertatem ecclesiae nostrae concessit, quatenus abbas electus, ad consecrandum iturus, baculum pastorem super altari propria manu accipiat; quatuor vero piscatorias tendiculas, quas vulgo *gheweren* nominamus, et allodium de *Roeslaer* sua nobis auctoritate confirmavit, cum caeteris aequae eleemosynis a praedicto Gerardo nobis traditis. Eodem anno, dux Godefridus moritur, et apud *Hafflighem* sepelitur, cui succedit ejusdem nominis filius, quia ei Conradus imperator suae conjugis sororem dederat uxorem. Hujus Godefridi frater, Henricus, militiae cingulo deposito, non multo post apud *Hafflighem* monachus efficitur.

Anno Domini MCXLI, apud *Niniven* ad conversionem venit, celebris memoriae, dominus Arnoldus vij liberalibus artibus adprime imbutus, immo in

omni scientia tam seculari quam divina plane melioribus praeferendus. De quo verissime dicitur :

Plus quam laudatur est quod laudetur in ipso.

Qui in sancta religione fere cunctis mortalibus praeferendus, primo conversionis anno, prioratum adipiscitur, quem probabiliter per xlv annos rexit et ad meliorem statum provexit, donec vocem sibi dicentem audiret : *Amice, ascende superius*. Hunc cum pluribus amicis ad conversionem secuti sunt una soror et duo fratres, quorum alter, Damianus nomine, adeo in litteratura et praecipue in musica clarus effulsit, ut sanctorum cantus ab ipso compositi raptim a vicinis ecclesiis peterentur et prae suavitatem melodiae usque in praesens ab ipsis inexplebili aviditate frequententur. Sanctorum quoque patronorum nostrorum Cornelii et Cypriani proprium cantum composuit, quem usque in hodiernum diem in conventu recolentes ejus suavitatem omni laude amplectendam et admiratione dignam judicamus.

Anno Domini MCXLII, in vicinia Lovaniensi verum mel de coelo stillavit in modum roris. Eodem anno, dominus Gillebertus, primus abbas noster, quinto anno regiminis sui in generali capitulo Praemonstrati de communi patrum consilio a pastoralis cura absolvitur. Nempe fratres nostri contra eum venientes ad capitulum, nuditatis et paupertatis suae lacrymabiliter opposcentes incommoda, ipsum multimodae indiscretionis accusarunt, et revera religione pollens minus prudenter tamen se agebat, quia non computans quae sibi forent necessaria, populum utriusque sexus plurimum, et quem sustentare non suffecit inconsiderate attraxerat. Post quem fratres alium mox Gillebertum, canonicum Parcensem, prudentia et religione clarum, in abbatem elegerunt. Qui cum per duos menses vel eo amplius cum eis conversatus nimiae paupertatis et hujus officii pondere terreretur, ab eis clandestina fuga elapsus est. Post hos in abbatem eligitur dominus Gerardus, Laudunensis canonicus, in conversatione maturus, forma plane speciosus, simplicitate et morum honestate praecipuus. Iste Gerardus primus ecclesiae nostrae abbas scribitur, et merito : primus enim eam a paupertate relevavit, divitiis et possessionibus ampliavit et ad maximam dignitatem provexit.

Godefrido quarto anno ducatus sui mortuo, succedit filius ejus Godefridus, primum adhuc agens aetatis annum, cui imperator concessit quidquid beneficium antecessores ejus acceperant.

Anno MCXLI, in octavis apostolorum Petri et Pauli, hora sexta usque in vesperam, tempestas gravissima grandinis invaluit, talis ut glandibus comparata, aut similis aut major esset, in qua, mirabile dictu, humanae facies, oculos, nares et os diligenter expressa apparuerunt. Nubes triplici colore distinctae apparuerunt, igneo, caeruleo et obscuro, atque horribili atque contrario motu visae sunt concurrere. Tanta denique fuit immutatio et turbatio aëris, ut mundi machina in occasu pendere et ruinam minitare videretur. Aves quales in hac regione nemo ante vidit, quas nos Herodios putamus, ab alto decedentes, captae ac detentae pro monstro visuntur; quarum alarum extensio xx pedum spatio mensuratur. Tota hyeme nec glacies, nec nix, nec etiam aliquando tenuis pruina visa est. Quae temperies etiam usque in solstitium perduravit, ut tota aestas frigida cogeret nos sicut in hyeme vestiri et calefieri. Quam annonae sterilitas subsecuta est, et omnium victualium indigentia. Haffligensis monachus chronicam suam perduxit usque ad annum Domini MCXLIII, Innocentii papae XII, Conradi V; qui plane his qui ante eum scripserunt non tam conferendus quam etiam praefendus, si non scriptorum vitio depravatus fuisset. Eodem anno, puer nascitur in Gemlaus duorum capitum et trium manuum.

Sequenti anno, Innocentius papa moritur, qui praecepit ut nullus missas presbyterorum audiret, quos uxores vel concubinas habere cognosceret. Monachos et canonicos artem medicinae pro pecunia exercere prohibuit, praefatos talia negligentes et non corrigentes propriis honoribus spoliari iussit. Succedit Wido cardinalis, Coelestinus appellatus, qui uno anno praefuit. Hoc anno incipiente, frigus acerbissimum multum praevaluit, ut non solum aves et feras exstingueret, sed etiam multas arbores radicitus exsiccaret. Nix etiam gravissima ab ante adventum Domini usque in Purificationem cuncta operuit. Quae in maximos cumulos erecta postquam liquescere coepit, tanta inundatio aquarum facta est, quanta hactenus nunquam apparuit. Pontes regali opere factos dissolvit, domos magnificas dissipavit, turres etiam, urbes et basilicas plurimas evertit. Gandavi in monasterio S. Bavonis per totum claustrum in tantum aqua praevaluit, ut ultra solitum alvei sui terminum plus viginti pedum spatio excresceret. Tum flumine per omnes officinas monasterii stagnante, claustrum navigabile factum est, ut fratribus ad dormitorium vel refectarium navigio esset eundum. Haec miserabilis clades sicut gravissima, sic etiam diuturna fuit. Inundatio maris maxima terrarum spatia occupavit, multis gravissimae calamitatis causa fuit.

Coelestino papa post unum annum mortuo, succedit Gerardus, et ipse cardinalis Lucius appellatus, anno Domini MCXLVI, qui tamen eodem anno moritur. Isto anno, Nicolaus, episcopus Cameracensis, episcopatus sui decimo, ecclesiam Liedekerkensem ab omni exactione, tam sua quam ministrorum suorum, perpetuo absolvit et ipsam cum appendiciis *Lombeke* et *Stritem*, decimam quoque de *Meinz* et quotidianum usum lignorum in sylva Liedekerkenensi, ad opus curiae, et duas carratas lignorum singulis septimanis, datas ad usus Ninivensium a praefato Yvano, auctoritatis suae scripto nobis roboravit, et ad arcendas a possessionibus nostris quorumlibet importunitates, data conservatoribus benedictione, in praevaricatores excommunicationis sententiam promulgavit. Fulconi regi Jherosolimorum succedit Balduinus filius ejus. Bernardus, monachus Claraevallensis, abbas monasterii S. Anastasii, Romanae ecclesiae praesidet vj annis et dimidio, et Eugenius appellatur. Normanni subtrahentes se Stephano, regi Anglorum, se subdunt Andegavensium comiti. Hoc tempore moritur Yvanus de Alost. Haeresis Eunitarum in Britannia pullulat auctore Euno, qui, cum esset idiota, non promotus missas celebrabat et episcopos ordinabat.

Anno MCXLVII, Conradus imperator, Henrico filio suo Aquisgrani in regem uncto, et Lodewicus, rex Francorum, Theodoricus quoque, comes Flandriae, religiosorum virorum hortatu et praecipue Bernardi, Claraevallensis abbatis, ad debellandum paganos, qui christianos transmarinos inquietabant, cum maxima multitudine proficiscuntur. Qui nihil agentes prospere multis infortuniis ita attriti sunt, ut de tanta multitudine vix pauci repatriarent. Eodem anno, Eugenius papa in Gallias venit, cui fratres nostri Catalauni occurrentes bullae suae auctoritatem et munimentum totius possessionis nostrae in scripto ipsius expresse nominatenus ab ipso impetraverunt, anno pontificatus sui tertio. Qui mox Remis consilium convocat, in quo Eunum praefatum haeticum, praesentibus MC episcopis vel abbatibus, convictum carceri mancipat, in quo et mortuus est. Circa idem tempus, canonici Jethhenses nos calumniabantur saepius, et tanquam sui juris invasores frequenter impetebant pro ecclesia de Liedekerke et appendiciis suis, quae nobis tam secularis quam episcopalis, jam vel apostolica dignitas tradidit et confirmavit. Sed post longas inter nos et varias contentiones, consilio et auctoritate Bernardi, Claraevallensis abbatis, hoc tempore apostolicae sedis legati, facta inter nos compositione, omnis haec decisa est querela, et auctoritate Cameracensis episcopi et totius ordinis nostri utrique ecclesiae indictum est silentium.

Anno MCXLIX, Conradus imperator et Lodewicus, rex Francorum, cum Theodorico, comite Flandriae, secundo anno profectionis suae a Jherosolimis sine ullo effecto revertuntur, nunquam audita tanta felicitate tanti exercitus. Relatum est nobis miraculum omnibus retro seculis inauditum. Nam anno Domini circiter MCL, quaedam mulier, mulieris in habitu nihil habens, in Anglia apparuit; lineum aut laneum in ejus vestibus nihil fuit, sed virides illae concrectiones quae in palustribus aquis velut spumae quaedam apparent, ei quasi vestis erant. Quibus induta tota viridis apparebat. Haec referebat sub terra esse quasi regionem quamdam, in qua homines consistentes nostro more viverent, nuptias, agriculturas, etiam ecclesias sicut nos habentes, et sub legibus et rectoribus suis viventes; solis lucem, lunae et stellarum ibi non esse, cum tamen ibi terra arbores et fructus germinet et ad maturitatem perducatur. Educta est autem cum fratre suo, qui scholaris erat, per quamdam cavernam terrae a seniore quodam, primo nostrae linguae penitus ignara, sed postquam nostra lingua loqui didicit, nam vij annis in Anglia conversata est, haec et alia innumera plus stupenda enarravit.

Anno Domini MCLI, die nundinarum, maxima frequentia turbarum ad forum collecta in oppido Lovaniae, duae lunae in coelo ab omni populo ibi constituto visae sunt, una in oriente, altera in occidente, et quasi pari luce rutilantes apparuerunt. Alter alteri contra intento digito indicabat miraculum, quod cum ab omnibus videretur, non erat quem posset latere, et tamen omnes sic erant stupore hebetati, ut vix sibi credi posse crederent, cum evidens esset quod idem omnes viderent. Sequenti anno, Conradus imperator occubuit, ut quid monstro monstratum sit, praemisso pateret indicio.

Anno MCLII, Fredericus, consobrinus Conradi, imperat annis xxxvij, qui concordi principum electus sententia: « Gratias, inquit, vobis, quod in electione concordastis, tamen si alium elegissetis, me socium haberet, si duos, tertius essem, si sex, septimus. » Quod licet arroganter dixisse videatur, tamen modeste et civiliter tractavit imperium. Anno Domini MCLIII, Eugenius papa obit, de quo diversorum diversa est sententia, aliis ejus sanctitatem extollentibus, aliis quaedam ejus sinistra interpretatione detorquere et oblimare nitentibus, eo quod nocentibus accepto munere nimis esset facilis¹, innocentibus

¹ In libris *De consideratione*, ubi sancta cum libertate beatus Bernardus aulae pontificiae vitia reprehendit, fatetur Eugenium pecuniam tam-

quam paleam habere, lib. III, cap. XIV. Vid. et *Policriticum* Johannis Sariberiensis, lib. V, cap. 5.

cum munera deessent, rigidus et difficilis; de quo nostram sententiam subtrahimus, ne aut bonum malum aut malum bonum lapsu linguae dixisse videamur. Succedit Eugenius, qui et Conradus, S. Sabinae episcopus, vicarius Eugenii, Anastasius appellatus, uno anno praesidens; qui inter praecipuos praecipuus hoc meruit, ut in longaeva aetate emeritorum laborum stipendiis fruens strenuitate et probitate omnibus praeponatur. Nam octogenariam aetatem excessisse dicitur. Hujus tempore, anno MCLIII, Bernardus, abbas Clareae vallensis, qui quasi Lucifer exoriens monachicum ordinem illustrabat, migravit ad Dominum. Cujus vita et doctrina in tantum excellit, ut minus sit quidquid in ejus laude dictum fuerit. Eo tempore, in loco qui *Frankendale* dicitur, congregatio sanctimonialium et aliquorum conversorum usque ad millenarium excrevit numerum, quos plaga divinitus irruens exterminavit hoc modo. Nam cum prae multitudine penuria victus angustiarentur plurimum, sexcentae de illis uno die collecto agmine pariter egressae sunt, diversas sedes petentes, ubicumque incertas necessitas devenire compulisset; post quarum discessum tempestas gravissima incubuit et quadringentas quae remanserant et fratrum innumeram multitudinem, alios effugavit, alios consumpsit, et totum locum exterminavit. Ubi exemplum omnibus datum est, ne quis congregationem aut ordinem se posse constituere putet, ubi praelatorum incauta praesumptione et improvida duritia fratres in penuria deficiunt, sub oppressione gemunt, et in odio, dissentione, tristitia, conturbatione et mumuratione affliguntur, perturbantur, colliduntur, dissipantur et pereunt. Hoc istis contigit multitudine collecta adunatis, sed charitate divisis. Hoc omnibus quoque metuendum est, ubi odio et murmuratione in fratrum corde regnante, frustra a praelatis paries dealbatur et testa testae conglutinatur.

Christiani Aschalonem a Purificatione usque ad Assumptionem beatae Virginis obsessam ceperunt, suorum tamen ante passi stragem maximam. Nam cum desperati jam procinctum solverent, patriarcha crucem Domini ferens ad murum processit. Qui praesens fuit nobis retulit; mox omnes hostes ita caecitate percussi sunt, ut molares lapides per balistam jaculatos nec viderent nec loco cedentes declinarent. Quapropter pagani illico civitatem in manu regis nostri tradiderunt. Nicholaus, Albanensis episcopus, Adrianus appellatus, praesidet annis quinque. Hic vir strenuus fuit et in omni vita conversationis optima, Anglicus natione et in curia papae ita conversatus, ut inter praecipuos praecipuus judicaretur. Rex Angliae constitutus est Henricus, cujus avus

fuit ille magnus et famosus Angliae rex Henricus. Filia namque ejus imperatoris, videlicet conjunx comiti Andegavensi in conjugio post imperatoris mortem copulata, hunc qui modo regnat de eo suscepit et fratres ejus. Stephanus namque non satis nota morte praeventus est, qui hujus Henrici, cum adhuc puer esset, procurator immo supplantator factus fuerat.

Anno MCLV, Fredericus imperator armata manu Romam ingressus, ab Adrianò papa benedicitur, cum quo Romani bello congressi cessere victi turpiter. Godefridus junior, dux Lotharingiae, filiam Henrici, comitis Lemburgensis, ducit in uxorem. Fredericus imperator ab Italia regressus, judicio et consilio episcoporum relicta uxore sua, duxit filiam comitis Burgundionum, quam patruus suus Willelmus in turri diu clausam tenuerat, ut eam perderet et haereditatem ejus acciperet. Sed miserante Deo liberata imperatori copulatur.

Anno MCLVI, rex Babyloniae, qui sibi dolose regnum usurpaverat, fuga clandestina, universo palatii thesauro compilato, cum Damascum proficisci vellet, a conviantibus proditus, a militibus templi Domini captus est, et cum infinita pecunia Jherosolimam perductus. Qui per reginam et principes Babylonios a captivitate redemptus, in ultionem regis praedecessoris sui, quem ipse clam peremerat, membratim discerpitur. Post quem Babylonii undecies centena millia aureorum numismatum Christianis Jherosolimitis offerentes, tuam pacem firmaverunt.

Anno Domini MCLVII, apud *Niniven*, templi monasterii primum fundamentum ponitur. Oritur longa contentio inter Henricum, regem Angliae, et Lodewicum, regem Franciae, quia Lodewicus patrimonium relictæ suae, quam repudiaverat, retinere contendebat. Reliquerat enim eam Lodewicus propter fornicationis petulantiam, de qua plane admodum lubrica Henricus suscepit hos quatuor filios: Henricum, Geffroidum, Richardum et Johannem.

Anno MCLVIII, Theodoricus de Alsatia, comes Flandriae, iterato Jherosolimam petit, cum uxore sua Sibilla, zelo pia devotionis accensa. Quae cum illo venisset, Bethaniae suscepit religionis habitum. Theodoricus vero et rex Jherosolimorum regem paganorum Noradin superantes, multas civitates et castella ceperunt. Habuit autem Theodoricus tres filios et duas filias, Matheum, comitem Bononiae, et Petrum, ex episcopo Cameracensi comitem Narvensem, id est Tornacensem, et Philippum patri in comitatu succedentem, quem justitia, fortitudo et liberalitas omnibus bonis laudabilem fecit et

amabilem. Fuerunt vero filiae Sibilla et Margareta; Sibilla ex comitissa Morianensi fit abbatissa Metenensis, Margareta vero, uxor Balduini comitis Montensis et Flandriae post Philippum, eo genuit duas filias, quarum una nupsit Philippo, filio Lodewici regis Franciae, et tres filios, Balduinum, Henricum et Philippum.

Anno MCLIX, Adriano papa mortuo, Rolandus cancellarius et Octavianus presbyter cardinalis, de papatu contendunt. Quae contentio protracta est per annos circiter xvij, donec tandem Alexander praevaleret. Ab exordio vero hujus contentionis usque ad diem quo obiit Urbanus papa, praeterierunt anni circiter xxviiij. Quod me in quodam exemplari aliquando collegisse commemorans, hic inserendum dignum duxi, maxime quia nec Alexandri nec Urbani annos distinctos usquam potui reperire.

Bellum gravissimum ortum ante annos fere xx inter ducem Lotharingiae Godefridum juniorem et Walterum Berthout de Grimbergis tandem finitur, hoc anno Domini MCLIX. Nam quarto bello

Urbs antiqua ruit multos dominata per annos¹,

castrumque Grimbergae magnum et famosum, quod humana virtute vix poterat, justo Dei judicio in nocte sancti Bavonis combustum et ad solum usque dirutum est. Fredericus imperator Ariminum cepit et captum destruxit.

Anno MCLX, Henricus, rex Anglorum, filiam Stephani, neptem suam, sanctimoniam et abbatissam Cantuariae consecratam, contra fas legum Matheo, filio Theodorici comitis Flandriae, Boloniensi comiti dedit uxorem, ut per eam comitatum retinere Boloniensem posset. Cumque Matheus ex ea suscepisset duas filias, scilicet Machtildem, ducissam Brabantiae et comitissam Bononiae, mater denuo velata ad claustrum rediit.

Fredericus imperator exercitum totius regni sui convocat contra Mediolanenses. Quos obsidione premens ferme per triennium et potestatem vendendi et emendi eis praeripiens, fame tandem et inopia coarctatos per deditionem accepit, anno Domini MCLXIII, eosque per regiones dispersit. Balduino quinto regi Jherosolimorum succedit Amelricus frater ejus. Desponsata filia Lodewici, regis Francorum, Henrico, filio Henrici regis Anglorum, pace reddita, contentio inter eos quievit. Qui Henricus, Henrico patre adhuc vivente et jubente,

¹ *Aeneid.*, lib. II, vers. 565.

coronatus et rex appellatus, ante patrem, pro dolor, mortuus est. Qui velut alter Titus, totius insulae, immo totius tunc fuit orbis amor, amabilis, forma speciosissimus, pietate praecipuus, spes insulanorum, justitiae cultor et omnibus gratiosus. Quo mortuo, Pannoniorum regi data est uxor ejus.

Corpora trium magorum a Rainaldo, Coloniensi electo, de ecclesia quadam civitati Mediolanensi contigua, Coloniā translata sunt. Quomodo autem de partibus suis translata sint Constantinopolim et inde Mediolanum, in ecclesia sancti Petri Coloniensis traditum invenitur.

Anno Domini MCLXVI, conventus noster a veteri claustro descendit in templum novum et in novum clastrum, et sicut a veteri materiato transierunt ad novum, ita et vetera ab ore suo projicientes et in novitate spiritus ambulantes, quasi nova fecerunt omnia, quia sine murmure, odio vel detractioe, invicem honore et honore praevenientes, hospitales, charitate ferventes, euntes de virtute in virtutem, renovabantur quotidie spiritu mentis suae, quod gloriosa fama sanctae opinionis longe lateque respersa tunc temporis attestante, clarius innotuit claris miraculis. De quibus omnibus quae Ninivensium commendat historia, hic saltem duo ponemus. Cum ejusdem novi templi nova structura ad perfectum excrevisset, et post diutinam cementi conglutinationem ligneum sustentamentum fornicis vel obliquae testudinis, presbyterium discernentis a choro, quidam fratrum per frustra de subtus auferret, mox cum toto lignamento lapidum pondus corrui universum; cum quibus frater subito prolapsus in pavimento, cum undique vallaretur mille immo centenis millibus trabibus vel lapidibus, a periculo tamen mortis remansit immunis, immo sibi nec membrifragium reliquit praecipitium. Nec multo post quidam nobilis, superbia tumidus et invidiae zelo succensus, ad curtem nostram *Roeslaer* pransurus accessit, qui mensam sibi charitative propositam, non refertam lautioribus escis et suae gulositati calumnians respuendam furibundus abscessit, et ingressus campum extraxit gladium, ineptoque ferro et more insolito segetes messuit; sed messor importunus messuit ante tempus. Nam tunc forte post flores immo sparsim adhuc florentes, granis jam coeperant paulatim teneris onustari, sed non sibi nefarium tempus messis anticipatae vel ad horam cessit impune. Nam qui agilis et facundus alterius laborem metierat, loquela privatus ilico, perpetua paralysi percutitur et insanabili, insanabili plane, quum adhuc superstes membris invalidus et velut alter Cayn vagus et tremebundus, per longum tempus balbutientis, immo anniculi infantis more, rara verba

edidit. Ipsum et nos apud *Woutbrechtegem* vidimus, spectabile monstrum reservatum viciniae.

Anno Domini MCLXXIV, nonas Julii, consecrata est ecclesia nostra a domino Eskillo, archiepiscopo Lundensi, Daciae et Suethiae primate et apostolicae sedis legato. Abhinc secundo anno schisma de papatu terminatum est, Alexander enim praevaluit.

Anno MCLXXX, factus est terrae motus in Francia et Lotharingia, et per totam fere Europam, quod rarissime contingere solet. Ante hoc tempus (anno MCLXX), orta in Anglia inter regnum et sacerdotium quadam simultate, adimpletur Merlini prophetia, praedicens quod filius patrem occideret in utero matris suae. Henricus rex, utique spiritualis filius episcoporum suorum, Thomam, archiepiscopum Cantuariensem, sane patrem spiritualem, occidi fecit in matris suae utero, hoc est in templo. Qui mox miraculis clarus caecis visum, surdis restituit auditum, claudis gressum, et similia nova et larga benedictione operatus est. Interfectores vero ejus omnes digna et plenaria satisfactione Deo et sanctae matri ecclesiae reconciliati sunt.

Anno Domini circiter MCLXXX, obiit Nicolaus, Cameracensis episcopus, qui praesulatum tenuisse dicitur annis circiter xliij; post ipsum praefuit dominus Alardus, archidiaconus ejusdem ecclesiae; post hunc eligitur Petrus, filius Theodorici, comitis Flandriae, qui huic mundo quam Deo magis eligens militare, Narvensem adipiscitur comitatum, episcopali benedictione contempta. Huic dominus Robertus substituitur de Aria, quem dominus Jacob de Avennis, vir nobilis, episcopalem benedictionem necdum consecutus, apud Condatum interfici fecit. Post hunc dominus Rogerus ex praeposito Cameracensi fit episcopus. Cui succedit dominus Johannes Attrebatensis. Post quem dominus Hugo de Duaco eligitur, quem postea papa deposuit, quia promoveri in sacerdotem contempsit. Post quem substituitur magister Petrus de *Corbeil*. Quo ad archiepiscopatum Senonensem vocato, substituitur dominus Johannes de Betunia. Hos hic quomodo tantum sibi invicem successerunt ordinare curavi, quoniam sub quibus praecise apostolicis vel sublimati, vel depositi sunt, adhuc mihi est indiscussum.

Anno Domini circiter MCLXXXII, Lodewico Francorum rege mortuo, succedit Philippus filius ejus. Qui ducens in uxorem filiam Margaretae et Balduini, comitis Flandriae et Hannoniae, ex ea suscepit Lodewicum filium. Qua mortua, secundam legitime duxit in uxorem filiam videlicet regis Dano-

marchiae. Qua post viij dies repudiata et custodiae mancipata, tertiam illegitime superduxit filiam Bertoldi, ducis de *Durenbon*. Quae cum ei unam filiam et unum filium peperisset, periit in partu tertii; rex vero ut ad legitimam suam rediret, non regum, non ducum, vel quorumlibet amicorum hortatu, nec etiam ecclesiastica censura induci potuit, sed concubinas, quoad vixit, ad thorum suum non veretur evocare.

Anno Domini MCLXXXV, iij kal. Octobris, obiit piae memoriae dominus Gerardus, abbas noster, qui xliij annis irreprehensibiliter rexit et provexit ecclesiam Ninivensem. Post hunc dominus Arnoldus, prior noster, in abbatem eligitur; cujus vita et doctrina in tantum effulsit, ut minus sit quidquid in ejus laude dictum fuerit. Philippus, comes Flandriae, jamdudum duxerat in uxorem filiam Rodulfi, comitis de Perona. Qua mortua sine prole, sortitur in conjugio filiam regis Portogalensis.

Anno Domini MCLXXXVII, Urbanus papa obiit, cui succedit Gregorius anno uno. Cujus tempore Saladinus, rex paganorum, Christianis transmarinis nimis infestus, Jherusalem cepit et totam terram promissionis, excepta Tyro; pro qua recuperanda cum Gregorius papa regnis occiduis lacrymabiliter scriberet, mox Fredericus imperator, Henricus, rex Anglorum, et Philippus, rex Francorum, crucis signum acceperunt illorsum quantocius profecturi. Saladinus itaque et Saphadinus, reges pagani, fratres fuerunt. Saladinus habuit ix filios, quos Saphadinus occidit praeter unum, nomine Noradin, qui tenet terram Alapiae et ducenta castella sive civitates. Saphadinus autem habuit xv filios. Primus Melehalius, qui tenet terram Alexandriae, *le Kayre*, Damietam, Babylonem et terram Aegypti. Secundus filius Coradin tenet Damascum et Jherusalem. Sextus frater Melchinhohet tenet regnum de Baudas¹, ubi est papa Sarracenorum, qui vocatur Calistres, et ibi est corpus Mahumeti. Haec civitas Baudas est caput totius paganismi, sicut Roma christianismi. Duo de his fratribus observant sepulcrum Domini et dividunt inter se obventiones ejus seu oblationes. Saladini causa haec ad praesens a materia deviendo dixisse sufficiat, ad propositum nostrum redeamus.

Gregorio papae, primo pontificatus sui anno mortuo, succedit Clemens iij annis. Cujus primo anno Henricus, rex Anglorum, cruce signatus mortuus est, cui succedit filius ejus Richardus. Iste Gregorius viij, qui prius

¹ *Bagdad.*

dictus est Albertus cancellarius, canonicus fuit S. Martini Laudunensis.

Anno MCLXXXIX, Fredericus imperator, terreno itinere iturus Jherosolimam, profectus est per Graeciam, in qua et mortuus est.

Anno MCXC, Henricus post patrem imperium adipiscitur et viij annis imperat. Philippus, rex Franciae, et Richardus, rex Angliae, et Philippus, comes Flandriae, Jherosolimam profecti sunt. Godefridus, dux Lotharingiae, obit, cui succedit filius ejus Henricus. Qui duxit in uxorem Machtildem, filiam abbatissae Cantuariensis et Mathaei, comitis Bononiae.

Eodem anno, viij idus Octobris, obiit venerabilis Arnoldus, abbas noster. Qui, ut vir summae religionis, cum xlv annis prioratum tenuisset, post in cura pastorali ut fidelis servus v annis ministravit. Iste tempora sua Christi ornans bono odore usque ad consummationem vitae, armaria nostra utilibus et variis et chorum replevit libris necessariis, thecam quoque ecclesiasticam cappis sericis et textis adornavit deauratis, immo totius ecclesiae possessionem omnimodis ampliavit et terrae nostrae terminos dilatavit. Cui successit venerandae memoriae dominus Matheus, Montis S. Martini¹ canonicus, in omni seculari scientia clarus, et praecipue in theologia melioribus praeferendus, qui diversos sermones dictans inter caetera etiam Isaiaem exposuit ad litteram.

Anno Domini MCXCI, sol eclipsim passus est in vigilia Johannis Baptistae. Hanc et ego ipse, cum puerulus essem, me vidisse memini, praecipue quia eam, adultorum exemplo, in aqua tunc didici perspicacius contemplari.

Eodem anno, Clemente papa mortuo, succedit Coelestinus vij annis, a quo Henricus rex in imperatorem consecratur. Rursus, ipso eodem anno, magni nominis Philippus, comes Flandriae, moritur in obsidione Tholomaidae, et alii principes plurimi de diversis mundi partibus congregati. Cui successit in comitatu sororis suae maritus, Balduinus, scilicet comes Montensis, annis circiter vj. Tholomaida, quae vulgariter *Akers* dicitur, a nostris capta est et pagani in ea inventi omnes deleti. Eodem tempore, dominus Conradus de Monferrat, egregius marchio Tyri, qui in bellis Domini semper invictus fuit, et ex quo Terra Sancta capta est pondus diei et aestus tulerat, in regem electus, a cujusdam sectae hominibus, qui in rebus etiam pessimis dominis suis obedire religiosum putant, interficitur. Richardus vero rex Angliae bellicosissimus, infamatus quod eundem Conradum factiose interfici fecerit, pace per

¹ In Picardia.

triennium cum paganis facta, ea conditione ut Aschalon urbs munitissima destrueretur, cum christiano exercitu reditum parat, et reliquiae christianismi Henrico, comiti Hispaniae, committuntur. In redeundo vero dictus Richardus sub specie mimi nisus insidiantes praeterire, ab amicis et propinquis Conradi fortuito capitur, sed multis marcarum millibus redemptus ad propria repedit. Qui postea circiter per triennium regnans in obsidione cujusdam castelli in pago Lemovicensi ictu sagittae interiit, cui frater suus Johannes successit in regno.

Anno Domini MCXCII, domnus Albertus, frater Henrici, ducis Lotharingiae, contra voluntatem Henrici imperatoris canonice Leodiensium electus episcopus, imperatore canonicam investituram ei conferre recusante, qui quemdam Lotharium, Bonnae praepositum, fratrem comitis de Hostadio, episcopum sibi nominaverat, post appellationem factam Romam petiit et a Coelestino papa diaconus ordinatus et in episcopatu confirmatus, ad metropolitanos Galliarum remissus est, apostolico illis dante in mandatis quatenus eum episcopum consecrarent et ejus adversarios anathematis vinculo alligarent. Quod indigne ferens imperator, ab universis illum Leodii abjurari fecit, plurimis sancti Lamberti hominibus suo simoniaco manus dedentibus. Porro dictus Albertus Remis ab archiepiscopo Wilhelmo est consecratus; ubi dum honeste conversaretur, advenerunt quidam Teutonici, dolose dicentes se propter offensam imperatoris ab ipso esse proscriptos, quaerere se dominum a quo detinerentur, donec imperatori reconciliari mererentur. Quos ipse secum in suo assumens contubernio in mensa intus et exterius sodales, et quasi consimiles consilii admisit socios, sibi tamen callide insidiantes. Qui tandem se velle discedere fecte dicentes pro exhibitis beneficiis gratias referebant, egressosque civitate paucis suorum comitantibus ipse deducebat. Qui nacta opportunitate patrandi facinoris in campis late patentibus, erat enim dies nebulosa, ipsum aggressi cultris confoderunt, peractoque facinore equum quo sederat abducentes ad imperatorem aufugerunt. Cujus mortem coram Deo esse pretiosam gloria miraculorum attestatur.

Eodem anno, ignis in aëre visus est per totam Galliam nocte, ita ut singuli proxima sibi loca ardere putarent; subsecuta vero est fames fere septennis.

Anno Domini MCXCV, domnus Matheus, quintus abbas noster, vir singularis religionis et abstinentiae, impatiens curarum et occupationum, eligens potissimum vacare quam ministrare, contemplari quam negotiis occupari,

quinto regiminis sui anno, sponte pastoralis curae deponit onus; post quem dominus Algotus eligitur, vir justus et timoratus, et usque in senectam et senium permanens in innocentia sua, plane in omnibus viis suis laudabilis, si non fuisset nimiae simplicitatis.

Hujus tempore, Balduinus, comes Hannoniae et Flandriae, mortua Margareta uxore sua, rediit ad Montensem comitatum, ex paterna sibi successione relictum, et reliquit Balduino majori filio suo (tres enim, ut in praecedentibus dixi, genuerat filios et duas filias) Flandriae comitatum, in morte matris sibi adjudicatum. Qui, non multo post patre etiam mortuo, tam istum quam illum, immo etiam et Namurcensem, adipiscitur comitatum, sed ipsum mox concessit Philippo fratri suo, qui secundus natus erat, datis tantum quibusdam villis Henrico minimo, sed plane probissimo. Idem Balduinus comes duxit in uxorem Mariam, filiam comitis Campaniae, de qua duas suscepit filias, Johannam et Margaretam, postmodum Flandriae et Hannoniae comitissas.

Fames prioribus annis paulatim cepta totum mundum conterruit, anno Domini MCXCVI, pauci tamen perierunt quia a fidelibus sustentati sunt.

Anno MCXCVII, Henricus, dux Lotharingiae, cum multis episcopis, principibus, Germania proficiscitur ad expugnandum terram promissionis. In cujus adventu Henricus, comes Campaniae, cui terra commissa fuerat, ad columnam cujusdam fenestrae se appodians, columna ruente, pariter praecipitatus et mortuus est. Exercitus vero mox Henricum, ducem Lotharingiae, in dominum et principem elegerunt, qui non multo post repatriavit, magis eligens natale solum et regnum paternum strenue regere, quam in peregrinis partibus alienis parum prodesse. Eodem anno, Henricus imperator de uxore sua, filia regis Apuliae, suscepto filio nomine Frederico, veneno interiit in Apulia.

Anno MCXCVII, Henrico imperatore mortuo, de substituendo successore orta contentio, et per annos circiter decem protracta est, aliis eligentibus Philippum ducem Sueviae, fratrem Henrici imperatoris, aliis ducem Zaringiae, aliis Ottonem, comitem Pictavensem, nonnullisque fidem servantibus Frederico, filio Henrici imperatoris, agente infantiae annos in Apulia, cui etiam principes regni vivente patre juraverant. Sed caeteris etiam spe imperandi destitutis, dictus Otto cum Philippo, Suevorum duce, diu pro imperio et instantissime contendebat. Nam Otto thesauro et auxilio maxime Anglorum regis avunculi sui, subsidio quoque fretus Balduini, Flandrensis comitis, in Aquisgrani ingreditur. Philippus vero divitiis et majore potentia ipsum supergres-

sus, castella et redditus imperii et regnum undique occupavit; sicque inter ipsos vario belli eventu diu certatum est, donec tandem cessit Otto, viribus pene totis attenuatus. Itaque Philippus, tam contentione durante quam etiam finito, imperavit annis circiter xj.

Anno Domini MCXCVII, incepit ordo Trinitatis. Coelestinus papa moritur, succedit Innocentius tertius annis xix. Fames, quae vj fere annis debacchata est, ita omnia consumpsit, ut sextarius siliginis, quem vij denariis apud *Niniven* constare vidimus, xix solidis Valenchenensis monetae venderetur.

Anno Domini MCXCIX, dominus Algothus, abbas noster, resignat, aetate jam fatiscente gravis, et ab equo quo sedebat fortuito cadendo perpetua infirmitate correptus. Succedit dominus Steppo quinque annis, de magnis viris et nobilioribus Hannoniae oriundus, in monasterio nostro ab annis puerilibus laudabiliter conversatus, aetate quidem juvenis, sed discretus et ingenio clarus, plane morum magis civilitate quam aevo longiore maturus.

(Cui succedit dominus Henricus, Montis S.-Martini canonicus, praedicator egregius, qui post biennium curam suam sponte resignavit. Huic substitutus dominus Johannes De Spinis post iiij menses obiit. Succedit Rodulfus, etc.)¹.

Circa idem tempus Lodewicus juvenis, Philippi regis Franciae filius, duxit in uxorem filiam regis Hispaniae cognomento *Pitit*. Anno MCCI, Parisius orta seditione inter scholares et burgenses, duo clerici et tres clericorum famuli perimuntur. Qua injuria scholares irritati omnes ex communi consilio civitatem in perpetuum relinquere disponebant. Sed per regem multo conamine sufficiente, satisfactione facta deliniti, omnium unanimi consensu urbis bitalassum egressi cum cathedris docentium, magnum pontem transibant atque in occidua urbis parte deinceps habitabant.

Anno MCCII, Balduinus, comes Flandriae et Hannoniae, Jherosolimam profecturus per Constantinopolim vadit, ibique imperator est factus. Biennio ante hunc annum obiit dominus Gerardus, ecclesiae Grimbergensis advocatus et dominus de *Ninive*, ante cujus mortem triennio terra Grimbergensis dividitur, et magister Fulco praedicavit.

Anno Domini MCCVII, pridie kal. Martii, eclipsis solis fuit. Wido, archiepiscopus Remensis, in monasterio S.-Bavonis Gandensis obiit, ante cujus mortem quinquennio etiam Willelmus archiepiscopus antecessor suus obiit.

¹ Quae uncis inclusa in margine leguntur.

Anno MCCVIII, Philippus, rex Alemanniae, insidiose peremptus est. Otto, cujus supra mentionem fecimus, imperium adipiscitur. Qui Romae ab Innocentio papa in imperatorem consecratus, ix annis imperat.

Eodem anno, circa paschalem festivitatem, electus est ad regimen ecclesiae nostrae domnus Rodulfus, ad cujus introitum nobis Dominus benedixit. Quia cum ecclesia nostra multis esset debitis et usurarum exactionibus aggravata, ipse ea paulatim sine dispersione conventus sui aequitavit, et eam pluribus aedificiis, rebus et possessionibus ampliavit.

Sequenti anno, obiit Machtildis, ducissa de Lovanio. In Hispania quidam presbyter nocte dominicae Nativitatis cum muliere carnaliter peccans, cum primam missam nec contritus nec confessus celebrare praesumpsisset, et peracto sacramento, orationem dominicam decantasset, subito columba cum impetu advolans, rostro misso in calicem totum sanguinem absorbit et hostiam de manu presbyteri rapiens, evolavit. Simile et in secunda missa contigit. Tunc demum presbyter ad cor suum reversus, quemdam discretum adiit sacerdotem, cui crimen quod commiserat, devote confessus, accepta poenitentia reversus est. In tertia igitur missa, post orationem dominicam, tertio columba rediit, et rostro misso in calicem quidquid inde tulerat, totum refudit, et duas hostias ad pedem calicis deponens, evolavit. Hinc aperte colligitur quanti meriti sit apud Deum devota confessio.

Eodem anno, dominus Arnoldus de Grimbergis obiit, et domina Allicia de Grimbergis. In inventione sanctae crucis et in ascensione Domini, Henricus, dux Lotharingiae, Leodium cum exercitu intravit; ecclesias et civitatem spoliavit.

Eodem anno, Ferrandus, filius regis Portogalensis, duxit in uxorem Johannam, primogenitam filiam Balduini, comitis Flandriae, et factus est comes Flandriae et Hannoniae. Henricus, dux Lotharingiae, duxit in uxorem Mariam, filiam Philippi regis Franciae. Tunc etiam Tungrim et villas circumjacentes plurimas spoliando et concremando vastavit. Qui tamen in suo reditu inter *Montenake* et *Landen* ab episcopo Leodiensi et comite Hasbaniae cum suo exercitu caesus est, ubi pene duo millia hominum corruerunt, plures capti sunt, ipse vero Henricus dux cum paucis evasit. Tunc etiam Ferrandus, comes Flandriae cum Wilhelmo, comite de *Saelbergem*¹, cum comite de

¹ Sariberio.

*Boenen*¹ et cum comite Hollandiae, Bruxellam obsedit, nec tamen cepit. Sed dextris a duce Henrico acceptis, duos filios ducis Henricum et Godefridum secum transduxit in Flandriam obsides, ne juvaret regem Franciae, cum quo jam graviter werraverat; quia ante, hoc in ipso anno, Philippus, rex Franciae, cum praedicto Henrico, duce Lotharingiae, omnes confines Flandriae intraverat in manu valida. Sed praedictus Philippus rex, cum esset Gandavi, ecce naves onustas armis, balistis et diversis opibus, quas secum adduxerat in portum de *Damme* omnino perdidit. Adduxerat enim eas ut post subjectam sibi Flandriam, in eis Angliam debellando intraret et sibi subjugaret. Sed hoc regi Angliae innotuit, et misso fratre suo Wilhelmo de *Saelberge* in multitudine navium, naves regis Franciae omnes fortiter diripuit, et cum omni ope in Angliam transvexit. Adjuvabat quippe Ferrandum, comitem Flandriae, contra regem Franciae. In hoc etiam anno caesi sunt Sarraceni in Hispania.

Tempore Innocentii papae iij floruit religione et sanctitate ancilla Christi Maria de *Oegniez*, quae oriunda de Nivella, exemplar et speculum totius patriae, in adolescentia sua juncta est in matrimonio cuidam juveni Johanni, sed non multo post divinitus inspirati a carnalibus amplexibus pro Domino abstinentes, et caste viventes omnia pauperibus erogabant. Leprosis quibusdam juxta Nivellam, in loco qui dicitur *Owillonbroec*, pro Domino aliquanto tempore servierunt. Ipsa vero Maria in eodem loco juxta ecclesiam cellam habens et postea apud *Oegniez*, ubi quiescit septiformi spiritu repleta, praesentiam Jhesu Christi et sanctorum frequentationem sanctorumque angelorum solatium et auxilium semper habebat, devotioni lacrymarum, castigationi corporis, orationibus, jejniis et vigiliis, ac aliis sanctis operibus ultra humanum modum insistens. Adeo quod tribus annis continue, a festo sanctae crucis usque in Pascha jejunavit in pane et aqua, nullum tamen invalidudinis corporis vel operis manuum sustinuit detrimentum, multis etiam beneficia sanitatis devotionem, compunctionem et rorem supernae gratiae, animarum quoque in purgatorio allevationem et liberationem suis a Domino precibus impetravit. Tandem vero infirmitate correpta, ante mortem per triduum de sancta Trinitate, de beata Virgine, de angelis et de omnibus sanctis, cantans et jubilans, in pace emisit spiritum, anno Domini MCCXIII, in vigilia beati Johannis Baptistae. Cujus vitam virtutibus plenam scripsit ad Fulconem, Tholosanum episcopum, vir venerabilis

¹ Bononia.

magister Jacobus de Vitri, episcopus Acchonensis, postmodum Romanae ecclesiae episcopus cardinalis, qui consecravit ecclesiam nostram de Liedekerke, anno Domini MCCXXVII.

De ordine fratrum praedicatorum et fratrum minorum.

Temporibus Innocentii et Honorii papae, claruerunt viri sancti Dominicus presbyter, qui ordinem fratrum praedicatorum instituit, qui Jacobitae vulgariter appellantur, anno Domini MCCXVI, et Franciscus diaconus, qui instituit ordinem fratrum minorum, anno Domini MCCX. Qui tanquam duo magna luminaria sanctam ecclesiam in diebus suis, doctrinis, virtutibus, exemplis et miraculis, illustrarunt. E quibus beatus Dominicus obiit, anno Domini MCCXXI. Beatus vero Franciscus obiit, anno Domini MCCXXVI, et gloriosis miraculis prodeuntibus post biennium elevatus est et auctorizatus.

Anno MCCXIV, Imperator Otto Trajectum descendens, filiam Henrici ducis Lotharingiae, Mariam duxit in uxorem. Qui Otto cum socero suo Henrico praedicto, ob favorem regis Angliae, avunculi sui, tractus a comitibus Flandriae, Bononiae, Hollandiae, contra regem Franciae in praelium properabat. Qui omnes caesi sunt a Philippo, Francorum rege, juxta pontem de *Bovines*, ultra Tornacum, et peditibus fugatis, cepit ibi quatuor comites, Ferrandum, comitem Flandriae, Willelmum, comitem de *Saelberghe*, fratrem regis Angliae, comitem Bononiae, comitem de *Teclenborg*, cum omnibus nobilioribus Flandriae. Otto quippe ibidem fortiter faciens cum Henrico duce evasit, rediensque Coloniae modicum repausavit. Tunc superveniens rex Apuliae Fredericus, filius Henrici imperatoris, cui etiam principes imperii vivente patre juraverant, cum maximo exercitu contra Ottonem descendit et Trajectum pervenit. Ibi episcopum Leodii et comitem Hasbaniae habens in comitatu, Henricum, ducem Lotharingiae, per vim disjunctum ab auxilio Ottonis, et abstulit Trajectum a dicto duce Henrico, et tradidit comiti Hasbaniae, et accepit a duce filium suum Henricum in obsidem. Quem tamen breviter tenens, cito coactus est reddere patri. Sed nusquam commisit cum Ottone, quia inclusus erat in Colonia et obviam ei non exivit. Et moratus parum in Ardenia, extra munitiones totam terram vastavit, et universa terra vastata, non habens unde exercitus ejus viveret, perditis quatuor millibus de hominibus suis, tam gladio

quam fame reversus est, tandem ignominiose ad terram unde descenderat.

Anno MCCXIV, hoc tempore incepit praedicare Aegidius, plebanus de *Lewe*, juxta Bruxellam, qui signavit signo crucis multa millia hominum. Eodem anno, Gerardus, dominus de Grimbergis et de *Ninive*, duxit in uxorem Agnetem, filiam Thomae de *Beverne*. Sequenti anno, concilium maximum Romae fuit sub Innocentio papa. Barones Angliae contra Johannem regem suum bellaverunt. Anno Domini MCCXVI, Innocentius papa moritur, succedit Honorius x annis. Johannes, rex Angliae, moritur; filius Johannis regis in Anglia coronatur.

Anno MCCXVII, Lodewicus, Philippi regis Franciae filius, cum exercitu maximo intravit in Angliam, ut eam debellaret; ex qua post modicum, post plurima damna, turpiter fugatur.

Anno MCCXVIII, Erucarum inaudita multitudo operuit terram. Eodem anno, Otto imperator obiit apud *Brungeuyc*.

Fredericus, rex Apuliae, filius Henrici imperatoris, Ottoni succedens in imperio, xxij annis imperat.

Anno MCCXIX, Johannes, episcopus Cameracensis, obiit. Succedit Godfridus de Condato, vir probus et nobilis. Qui in diebus suis temerariam audaciam et potentiam civium Cameracensium, qui tanquam filii Belial contra sanctam ecclesiam se hactenus opponebant, episcopum Cameracensem et clerum de civitate frequenter expellendo, multiplices injurias et contumelias irrogando, per consilium et auxilium Romani imperatoris, cujus Camera dicitur Cameracus, et a quo etiam electus Cameracensis regalia sua recipit et requirit, ita viriliter subjugavit et attenuavit, ut eorum turrim altam, quae *Bele-froit* vulgariter appellatur, et ingentem in ea campanam pendentem, per quam convocationes suas faciebant, ad terram dejiceret et confringeret, ut de caetero non auderent contra dominum suum, Cameracensem episcopum, ausu temerario rebellare.

Anno Domini MCCXX, sanctus Thomas, Cantuariensis episcopus, elevatur et auctorizatur. Anno sequenti, frater Arnoldus de Sualma, canonicus Niniensis, vir religiosus, obiit. Qui fere per xxxij annos presbyter parochialis ecclesiae Ninivensis, cum in coemeterio monasterii sepultus esset, miraculis prodentibus, ad ecclesiam parochialem deferri et ibidem meruit sepeliri. Damietta, urbs Aegypti nobilissima a Christianis diu possessa, reddita est soltano Babyloniae.

Anno MCCXXII, Henricus, filius Frederici imperatoris, Aquisgrani rex coronatus est. Fredericus vero imperator Sarracenos in Sicilia penitus exterminavit et delevit. Sequenti anno, ecclesia parochialis de *Ninive* de novo coepit nova aedificari, et mense Junio collocatus est lapis primarius in fundamento a fratre Andrea, plebano ejusdem ecclesiae, et domina Agnete, domina de Grimbergis et de *Ninive*.

Anno MCCXXIII, Philippus, rex Francorum, obiit; succedit ei Lodewicus, filius ejus, in regnum. Sequenti anno, obiit Maria, uxor Henrici ducis Lotharingiae, et filia Philippi regis Franciae, quae apud *Haffligem* insigni sepultura honoratur.

Anno MCCXXV, circa paschalem festivitatem, quidam Bertrammus nomine, ut dicitur, exiens a Valenchenis et fingens se esse comitem Balduinum, qui jam dudum post adeptum imperium Constantinopolitanum mortuus fuerat, ut dicitur, fretus consilio et auxilio burgensium Valencensium et quorundam nobilium Hannoniae, cum exercitu et armis perambulavit Hannoniam et Flandriam, et pervenit Gandavum, ubi honorifice receptus et per totam Flandriam, laetantibus omnibus et quasi festum agentibus, circuibat, existimantibus universis se verum dominum et patrem patriae recepisse. Johanna vero, comitissa Flandriae et Hannoniae, filia praefati comitis Balduini et uxor Ferrandi comitis, qui adhuc detinebatur Parisius in custodia regis Franciae, et Arnoldus dominus de *Audenarde*, balivus ejus, ac reliqui nobiles barones Flandriae a praesentia dicti invasoris se subtrahebant, nec audebant coram eo comparere. Tandem vero vocatus ad colloquium a Lodewico, rege Franciae, apud Peronam, et ad interrogata, ut dicitur, male respondens, ab eodem rege reprobatus est, et paulatim a suis derelictus, fugam iniit, ac demum reperiens Johanna comitissae praesentatur, a qua per aliquot tempus detentus in vinculis, et coram omnibus comitem Balduinum se non esse confessus, apud *Risele*, quam Insulam vocant, est suspensus. Eodem anno, ij idus Novembris, obiit vir nobilis et potens Gerardus, dominus de Grimbergis et de *Ninive*, et in ecclesia Ninivensi honorifice sepelitur, juxta quem Agnes, uxor ejus, postea tumulata est. Circa idem tempus, vir venerabilis Engelbertus, Coloniensis archiepiscopus, ecclesiae murus, pupillorum et viduarum defensor, a Frederico, comite de *Ysenbergh*, consanguineo suo, pro libertate et defensione ecclesiae insidiose occisus est, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam testata sunt miracula subsecuta. Praefatus vero comes iniquus, fugiens et per

modicum tempus latitans, tandem a quodam nobili viro inventus est, et captus Coloniæ est adductus, ibique ob vindictam sanguinis innocentis et sceleris perpetrati, fractis membris, in rota positus indignam vitam digna morte finivit.

Anno MCCXXVI, Lodewicus, rex Franciæ, obiit. Succedit Lodewicus, filius ejus juvenis, cum matre sua Blanca. Eodem anno, ad natale Domini, redemptus est Ferrandus, comes Flandriæ, de captione regis Franciæ. Honorius papa moritur, succedit Gregorius nonus.

Anno Domini MCCXXVII, mense Augusto, Ferrandus, comes Flandriæ, cum ingenti exercitu et manu forti intravit Brabantiam et pervenit usque ad villam *Asche*, patriam circumquaque depopulandò. Quem timens dux Henricus, datis obsidibus, pacem cum eo statim fecit.

Eodem anno, magister Aegidius de *Lewes*, postea abbas Viconiensis, cum fratre Andrea, plebano Ninivensi, et Johanne de Outre, socio eorum, circa festum beati Johannis Baptistæ, et innumerabilis turba cruce signatorum proficiscuntur ad expugnandam Terram Sanctam ultra mare. Fredericus autem imperator, cum jam pluribus annis retroactis crucem sponte assumpsisset, domino apostolico ignorante, et vovisset solemniter et pluries jurasset, se in Terræ Sanctæ subsidium profecturum, et cum ad ejus frequentem instantiam multa cruce signatorum millia in termino destinato ad portum Brundisii properassent, ipse iniquus imperator omnium promissorum immemor, quæ apostolicæ sedi et cruce signatis per prædicatores et litteras suas desponsione passagii sui intelligere fecerat et promisit, tam diu in aestivi fervoris incendio et in regione mortis et aëris corruptela detinuit exercitum christianum, quod non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo virorum nobilium et magnatum pestilentia, sitis ariditate ac multis incommoditatibus expiravit. Inter quos defecerunt langravius Thuringiæ et episcopus Augustensis. Frater vero Andreas, canonicus Ninivensis, qui vehementi et pio desiderio cupiebat videre Terram Sanctam, quam calcaverunt vestigia Christi, Brundisii in quodam monasterio ordinis Praemonstratensis infirmitate correptus, diem clausit extremum. Sane reliqui cruce signati impii imperatoris vanis promissionibus defraudati, in nativitate beatæ Virginis sulcare maria inchoantes se pro nomine Jesu Christi discrimini commiserunt. Gregorius autem papa imperatorem Fredericum, eo quod non transfretavit in termino destinato, nec in passagiis promissam pecuniam destinavit, nec duxit milites quos in subsidium Terræ Sanctæ per biennium de suo tenendos promiserat.

et ducendos, sed in iis tribus articulis manifeste deficientem et mendacem excommunicationis vinculo innodavit, Remensi archiepiscopo et ejus suffraganeis et aliis ecclesiarum rectoribus per litteras suas praecipiens excommunicationem publice nuntiari.

Anno Domini MCCXXXIII, obiit Ferrandus, comes Flandriae et Hannoniae. Ante hunc annum triennio sol passus est eclipsim.

Henricus, filius Henrici ducis Lotharingiae, cum innumerabili multitudine cruce signatorum, quorum princeps et ductor fuerat, auctoritate romani pontificis Stadingos Kataros, qui in regno Alemanniae Christianos nimis infestantes, a fide catholica discedebant, bello congressus est, et dictis Kataris omnibus interfectis, videlicet undecim millibus armatorum, vel ea circiter, exceptis mulieribus et parvulis, quorum infinitus erat numerus, terram eorum redegit in solitudinem, factumque est quasi per miraculum, quod de praefatis Christianis, quorum multa fuerunt millia, nullus cecidit de nominatis viris, exceptis duobus militibus et aliis paucissimis.

Anno MCCXXXV, Henricus, dux Lotharingiae senior, et Maria, uxor Henrici, filii ejus, obierunt. Sequenti anno sancta Elyzabeth de Thuringia elevatur. Johanna, comitissa Flandriae et Hannoniae, secundum duxit maritum Thomam, fratrem comitis de *Savoy*. Eodem anno, defuncto Godefrido, Cameracensi episcopo, eligitur magister Guiardus, cancellarius Parisiensis, vir in litterarum scientia et honestate vitae non tam bonis comparandus quam melioribus praefendus; qui mores sacerdotum et etiam laicorum dioecesis suae plurimum correxit et ad meliora provexit, unumquemque sacerdotem examinans, et curam animarum sibi commissae parochiae committens, quod prius fieri non solebat. Gregorius papa moritur, succedit Coelestinus.

Anno MCCXL, Henricus, dux Lotharingiae junior, duxit in uxorem Sophiam sanctae Elizabeth. Sequenti anno, quidam Sarraceni, qui vulgariter Tartari appellantur, ab Orientis partibus egressi terram Bohemiae, regnum Hungariae, et Polloniae et multas alias terras vastaverunt, et habitatores earum occiderunt, timorque eorum cecidit super totam Alemanniam et pervenit usque ad fines Brabantiae et Flandriae. Eclipsis solis ij nonas Octobris.

Anno MCCXLII, Thomas, comes Flandriae et Hannoniae, volens intrare Brabantiam, juxta abbatiam Ninivensem cum suo consedit exercitu, circa festum beati Remigii. Cujus ecclesiae bona dictus exercitus et annonam per grangias ipsius per triduum multiformiter diripuit, et eam in rebus aliis gra-

viter damnificavit, villam Pamellam incendit, tandem via qua venerat est reversus. Coelestinus papa moritur, succedit Innocentius iiij^{us}.

Anno Domini MCCXLV, Innocentius papa consilium apud Lugdunum civitatem Galliae convocat, in quo hostem et persecutorem sanctae ecclesiae Fredericum imperatorem, diu excommunicatum, tanquam apostatam et infidelem deposuit et damnavit. Postea eligitur Henricus, langravius Thuringiae, sócer sanctae Elizabeth, quo non multo tempore post defuncto, eligitur Willelmus, comes Hollandiae, et viij annis vel ea circiter imperavit. Eodem anno, obiit Johanna, comitissa Flandriae et Hannoniae, cui in comitatu succedit Margareta, soror ejus, relicta viri nobilis Willelmi de Dompriro, cum Willelmo juvene filio suo.

Anno MCCXLVII, obiit Henricus, dux Lotharingiae, et in Villariensi monasterio sepelitur. Willelmus imperator electus, Frederico adhuc superstite, sed, ut dictum est, deposito ac damnato, ad expugnandum Aquisgranum cum magna cruce signatorum multitudine profectus est, quia ejusdem loci incolae ipsius ditioni, Frederico vivente, submittere nolebant. Igitur dictus electus idem oppidum expugnare aggressus, et per dimidium annum obsessum, licet admodum difficulter, tandem cepit et cum optimatibus regni ingressus, in solio regni intronisatus et regalibus insigniis est honoratus. Eodem anno, Guiardus, Cameracensis episcopus, columna ingens sanctae ecclesiae, morum honestate et justitia clarus, et verbi Dei praedicator egregius, moritur apud Haffligenium in senectute bona plenus dierum, et sepelitur ibidem. Succedit vir nobilis Nicolaus, dominus de Fontanis, archidiaconus Cameracensis, in Valenchenis.

Anno MCCXLIX, Lodewicus, rex Francorum, in extasi raptus per duarum ferme horarum spatium, in terra repromissionis se vidit transpositum, dictumque est ei quod per eum esset ab hostibus Christianae fidei expurganda. Qui ad se reversus se statim cruce signari fecit, et in brevi postea cum Roberto, Attrebatensi comite, fratre suo, Willelmo, comite Flandrensi, ac innumerabili multitudine nobilium et cruce signatorum eamdem terram, prout ei revelatum fuerat, ab immundo Sarracenorum ritu emundaturus intravit. Qui in brevi postea Damietam, nobilissimam Aegypti urbem, tam situ loci quam murorum et immensarum turrium ambitu fortissimam, Dei nutu et adjutorio, cepit, et, ejectis Sarracenis, Francis inhabitandam tradidit. Verum idem rex postea in brevi a Sarracenis insidiosè captus, non prius ab eis relaxatus est

quam totam terram quam in ditione eorum adquisierat eis restitueret, et nihilominus immensam pecuniae summam pro dicta relaxatione eis traderet.

Anno Domini MCCLI, Willelmus imperator obsedit Ropardium et quaedam alia castra cum cruce signatis. Eodem anno, Willelmus, comes Flandriae, reversus a Terra Sancta de partibus transmarinis, ubi inter praecipuos nobiles militari probitate claruerat, in torneamento apud *Trasegniez* cum armis viriliter se exercens, ita fatigatus et debilitatus est ut altera die obiret. Cujus mortem planxit et doluit vehementer tota Flandria et Brabantia. Nam ante quadriennium, Beatricem, filiam Henrici ducis Lotharingiae et Sophiae uxoris ejus filiae sanctae Elyzabeth (duxerat). Cui succedit in comitatu Flandrensi Guido, frater suus germanus, post mortem nihilominus matris suae sibi adjudicato, et relicto Johanni de Avesnis, fratri suo seniori, quem mater eorum Margareta a domino Bocharo de Avesnis susceperat, Hannoniae comitatu.

Eodem anno pastores profecti sunt Jherusalem, de diversis mundi partibus congregati, cujus rei causa haec fuit. Quidam apostata et maleficus, qui Christianae fidei renuntians ad paganismum se transtulerat regi Sarracenorum promisit infinitam Christiani populi multitudinem ad se perducturum, sub hoc pacto ut de quolibet Christiano quinque bisantos ab eo reciperet. Qui mox in Gallias transiens, tam per se quam per suos complices tantam multitudinem opilionum ex diversis provinciis collegit, quod vix numerari posset. Quos in unum redactos per totam Franciam usquedum Bituricas cum eis perveniret, se sequi fecit, ubi a quodam cive detecta nequitia sua, cum aliquibus de collegio suo vinculis mancipatus, et ab archiepiscopo dictae urbis damnatus, suspendio interiit. De reliqua autem multitudine quidam defendere se volentes interierunt, alii fuga evaserunt, sicque maximus ille pastorum exercitus penitus dissolutus est.

Anno MCCLII, vir Deo devotus, frater Petrus, prior de ordine fratrum praedicatorum, zelo fidei succensus et auctoritate apostolica fretus, praedicabat in Longobardia contra haereticos et inimicos fidei christianae, sed ab eis juxta Mediolanum gladio percussus, occubuit iij kal. Maii. Cujus diem passionis Innocentius papa decrevit eodem die solemniter celebrari.

Anno MCCLIII, Margareta, comitissa Flandriae et Harmoniae, collecta exercitus multitudine maxima, proficiscitur in Walacriam contra Florentium, comitem Hollandiae ad bellum, cui occurrens comes cum paucis omnem illam multitudinem ita delevit, ut aliis occisis, aliis captis, aliis submersis, vix pauci

evaderent, qui et ipsi fortasse idem discrimen experti fuissent, nisi superveniens Willelmus imperator, frater dicti comitis, pugnantes a caede prohibuisset. Nobiliores tamen omnes fere aut interfecti sunt aut capti, inter quos capti fuerunt Guido et Johannes, filii ejusdem comitissae, comes Barrensis, comes Gisnensis, et alii quamplures. Sequenti anno, Innocentius papa moritur, succedit Reinaldus, Hostiensis episcopus cardinalis, et Alexander nominatur.

De morte Willelmi, Romanorum regis.

Anno Domini MCCLV, Willelmus, Romanorum rex, dum Frisones sibi subigere nititur, quos olim Karolus Magnus perpetua libertate donaverat, ipse ab exercitu suo modicum abstractus, in quorundam rusticorum manus incidens, cum se Willelmum regem audacter profiteretur, ab eisdem occisus est sine imperiali benedictione.

Anno MCCLX, Richardus, frater regis Angliae, apicem Romani regni ab optimatibus regni, quorum erat regem eligere, infinita summa pecuniae sibi comparavit. Qui Aquisgrani perveniens, ab eis in solium regni est intronizatus, et xvij annis imperavit. Pridie nonas Martii obiit Henricus, hujus nominis tertius, dux Brabantiae et Lotharingiae sextus, necdum habens triginta annos, relinquens uxorem Alaisam, filiam ducis Burgundiae, cum quatuor liberis, necdum adultis, cujus filius Johannes in ducatu ei succedit, ducens uxorem filiam Lodewici, regis Francorum.

Anno MCCLXI, mortuo Alexandro papa iiij^o, qui navem ecclesiae vj annis strenue rexerat, succedit Urbanus iiij^{us}, prius Jacobus dictus, natione Burgundus; in cujus promotione divinae pietatis indicia manifeste claruerunt, quia primo canonicus et postea archidiaconus in ecclesia Laudunensi, inde archidiaconus Leodiensis, et exinde episcopus Verdunensis, eandem ecclesiam rexit strenue aliquot annis; postea adscitus ad patriarchatum ecclesiae Jherosolimitanae, eam similiter rexit aliquot annis: tandem pro quibusdam ecclesiae suae negotiis Romam veniens, vacante sede papali, papa est effectus. Circa idem tempus, Menfredus, filius Frederici imperatoris jam dudum condemnati, vir bellicosus et potens, regnum Siciliae et Apuliae sibi vendicans, haeres paternae nequitiae, etiam ab obedientia domini papae et ecclesiae romanae se retraxit. Contra quem Karolus, comes Andegavensis, frater Lodewici, regis Francia, a domino papa et Romanis accersitus, et patricius Romanorum fac-

tus, cui etiam dictum regnum Siciliae et Apuliae apostolica benedictione et confirmatione ac suis successoribus datum est. Cum Roberto, comite Attrebatensi, Roberto Bethuniensi, filio Guidonis, comitis Flandriae, ac innumerabili cruce signatorum exercitu properans, tam istum Menfredum quam Conradinum etiam, fratrem Menfredi et dicti Frederici filium legitimum, unum post alterum in diversis praeliis interfecit, civitates et castella cepit et ab inimicis purgavit, et tandem toto potitur et rex appellatur.

Anno MCCLXX, Lodewicus, rex Francorum, Karolus, rex Siciliae, et Eduardus, rex Anglorum, cum immenso exercitu cruce signatorum terram repromissionis, circa paschalem festivitatem, expugnare aggredientes, civitatem de Thunis obsederunt, nec tamen ceperunt, quia exercitu christiano moram ibidem faciente, Lodewicus, piissimus rex Francorum, cognomento Justus, obiit. Succedit ei in regno Philippus, filius ejus. Praefati ergo Karolus et Eduardus reges, de morte Lodewici regis plurimum destituti, accepto a rege de Thunis maximo tributo, quod postea omnino in mari perdiderunt, cum inenarrabili damno exercitus revertuntur.

Anno MCCLXXIII, Richardo, Romanorum rege, sine imperiali benedictione defuncto, comes Rodulfus Havecsburgensis in regem eligitur, et nemine resistente vel contradicente, Aquisgrani in regni solio collocatur et regnavit annis xix.

Anno MCCLXXIV, Gregorius papa praesidet anno uno. Hic Lugduni concilio convocato, universis ecclesiis occidentalibus decimam partem omnium reddituum fructuum et proventuum suorum per sex annos solvendam in subsidium Terrae Sanctae indicit. Bigamos omni clericali privilegio nudatos esse decrevit. Henricum, Leodiensem episcopum, de incontinentia et aliis excessibus graviter diffamatum deponit. Johannem, episcopum Tornacensem, substituit, et multa alia statuit. Eodem anno, Maria, soror Johannis ducis Lotharingiae, Philippo Francorum regi, matrimonio copulatur.

Anno MCCLXXVI, Gregorius papa obiit, Innocentius papa v^{us} succedit. Philippus, rex Franciae, cum exercitu valido proficiscitur ad regem Hispaniae debellandum. Qui adhuc infra limites proprios constitutus, cogente ciborum penuria, via qua venerat est reversus. In vigilia beatae Gertrudis, comes Juliensis cum Willelmo, filio suo primogenito, et aliis multis, civitati Aquisgrani insidiosae irruens, multitudo ad arma concurrente, cum suis omnibus est occisus, facta in eum divinitus, ut creditur, ultione. Ipsa vero civitas oc-

cisorum tam hominum quam equorum cruore adeo abundabat, quod usque ad gradientium genua ascendebat.

Anno MCCLXXIX, Petrus, dictus *de Broche*, ex paupere ad tantam gloriam provectus est in curia Philippi, regis Franciae, ut nulli post regem in regno Franciae secundus videretur. Hic cum reginam Mariam, sororem Johannis ducis Brabantiae, apud regem occulte accusasset quod filium ejus primogenitum, quod falsum erat, veneno interfecisset, tandem comperta ejus nequitia et reginae innocentia, capitur et tenetur, et ad ultimum suspendio condemnatur.

Anno MCCLXXXI, virum venerabilem Johannem, ex Tornacensi episcopo, ecclesiae Leodiensi auctoritate apostolica subrogatum Henrico de *Ghelre*, ut supra dictum est, in concilio Lugdunensi deposito, idem Henricus capere aggressus in villa de Hugardis cepit, et cum vellet eum abducere, durius quam ejus valetudini conveniret tractans, ad extrema perductum in villa prope *Helleschen* dimisit, commendans eum tribus mulieribus, inter quarum manus exspiravit.

Anno MCCLXXXII, Florentius, comes Hollandiae, collecto robore exercitus, Frisones bello aggressus est, qui adeptus victoriam plurimos interfecit et aliquam partem terrae eorum sibi subjugavit, in ultionem patris sui Wilhelmi, Romanorum regis, ab eis interfecti. Cujus etiam ossa inveniens inde transtulit et in terra sua honorifice sepelivit.

Anno MCCLXXXIII, quidam imperatorem Fredericum se esse mentiens, et nondum mortuum, ut putabatur, sed se in ignotis regionibus agendo poenitentiam latuisse, et universo adhuc orbi divina voluntate imperare debere, audacter affirmans, signis verisimilibus multos in admirationem et dubitationem traxit. Qui tandem quod veraciter fuerat se Fredericum non esse coactus confitens, jussu Rodulfi, Romanorum regis, incendio concrematur.

Anno MCCLXXXIV, Margareta, ducissa Brabantiae, filia comitis Flandriae, obiit et Bruxellaè sepelitur, quatuor liberos nondum adultos post se relinquens.

Anno MCCLXXXV, Philippus, rex Francorum, ex domini papae mandato, ad expugnandum Petrum, Arragoniae regem, ejusdem domini papae auctoritate damnatum, accersito secum Johanne, duce Brabantiae, et aliis principibus multis, proficiscitur cum exercitu copioso, de quo ex aëris forte et ciborum inconsuetudine pluribus mortuis, quam facile credi posset, etiam rex ipse in redeundo mortuus est, obtentis nihilominus dicti Petri aliquibus civitatibus et castellis. Succedit Philippus, filius ejus.

Anno MCCLXXXVI, bonae indolis adolescens, Wernerus nomine, a Judaeis

in opprobrium nominis Christiani, Wesaliae in regno Alemanniae inauditis tormentis miserabiliter cruciatus, in valle *Windesbach* repertus in Bacheracense oppidum deportatur, ubi plurimis claris miraculis venerabiliter honoratur.

Anno MCCLXXXVII, mare ventis validissimis agitatum procellosis fluctibus solito multo altius intumescit, ruptisque ripis et obicibus, violenter egressum in Hollandia, Zelandia, Frisia, Dacia et Anglia, et aliis multis locis, virorum, mulierum et infantum ac diversi generis bestiarum multitudinem infinitam in se miserabiliter rapuit et involvit.

Anno Domini MCCLXXXVIII, nonas Junii, Johannes, dux Brabantiae et Lotharingiae, cum militibus et nobilioribus terrae suae hominibus, profectus versus Coloniam castellum *Woeronc*, situm super Rhenum fluvium, in quo raptores ab archiepiscopo Coloniensi positi graves thelonei exactiones a navigantibus exigebant, eosque nimium spoliabant, obsedit, cepit ac solotenus dejecit, patriamque raptores interficiendo mundavit. Cui tandem in eodem loco dictus archiepiscopus, comes Ghelriae, comes de *Lussenborg*, comes de *Asseu*¹, cum suis exercitibus horribili bello congressi, a dicto duce sunt superati et caesi, et in dicto praelio plus quam mille viris interemptis caeterisque in fugam coactis, archiepiscopus Coloniae, comites Ghelriae et de *Asseu* cum multis aliis, mancipantur vinculis a seipsis allatis. Cecidit in hoc praelio comes de *Lussenborg*, et tres ejus fratres. *Valkenborg* oppugnatur, ducatus Lemburgiae Brabantiae jungitur. Dux Johannes in torneamentis utriusque ducatus insigniis decoratur.

Anno MCCXC, Johannes, primogenitus praefati Johannis ducis Brabantiae, Lemburgiae et Lotharingiae filius, Margaretae, Eduardi Anglorum regis filiae, matrimonio copulatur.

Anno MCCXCI, mortuo Rodulfo, Romanorum rege, qui regnum Alemanniae admodum strenue gubernavit, succedit Adulfus, comes de *Asseu*, ab optimatibus regni electus et in solium regni sublimatus. Eodem anno, soltanus Babyloniae, collecto innumerabilium Sarracenorum exercitu, civitatem Acconensem obsidet, quam variis et exquisitis machinis ac suorum continuis assultibus die, noctu, aliquandiu incessanter oppugnans, Christianis omnibus in ea existentibus, vigiliis nimis et laboribus diutinis fatigatis, licet cum maxima et incredibili Sarracenorum strage, eandem expugnat, ac omnibus in ea reper-

¹ Nassau.

tis Christianis, heu lamentabile dictu! occisis vel captivis abductis, inclytam illam civitatem, orientalis ecclesiae caput et refugium singulare, penitus destruit et subvertit, toti ecclesiae dignam lamentandi materiam subministrans.

Anno Domini MCCXCIV, nonas Maii, in inventione videlicet sanctae crucis, Johannes, hujus nominis primus dux Lotharingiae, Brabantiae et Lemburgiae, in hastiludio habito in nuptiis Barrensis comitis, filiam regis Angliae accipientis in uxorem, occisus est, hasta militis contra se equitantis transfossus. Succedit Johannes, filius ejus¹.

Versus magistri Gilleberti de Outre de guerra habita inter Philippum, regem Francorum, et Guidonem, comitem Flandriae.

- Si tu vis scire quo tempore Francia dire,
 Non parcens irae, Flandrenses cepit inire,
 Hic potes audire, versuque sequente require.
 Mille trecentenis annis, tribus inde retractis,
 5 In juvenum² mense, pars utraque cingitur ense,
 Et memor offensae parat ad certamina gens se.
 Rex intrat comitis terras, ad bella peritis
 Pluribus accisitis³. Sic incipit alea litis:
 Insula firmatur, obsessa fit ut capiatur,
 10 Ipsa reluctatur, tandemque fame superatur;
 Curtracumque datur inimicis et spoliatur;
 Comene turbatur, gladiatur et incineratur;
 Furnis flammatur, ubi sexus uterque necatur;
 Hic miles, dictus J. de Gavera, fuit ictus,
 15 Qui prius invictus Rolandi gessit amictus.
 Flandria vastatur et pars sua magna crematur.
 Brugis vallatur et rex in ea dominatur;
 Dam restauratur comitique suo revocatur;
 Pars ibi mactatur, pars autem fune ligatur.
 20 Undique pugnatur, passim Bellona vagatur;
 Francia laetatur, de fine tamen dubitatur;

¹ Explicuit hic Balduini chronicon ut cl. edidit Bonpain, caetera dein addita sunt, licet adhuc multa eadem manu scripta videantur.

² Anno MCCXCVII, mense Junio.

³ Accisitis.—Haec ad marginem: Duacum praeteriit, quia inexpugnabile vidit.

- Sors cito mutatur, qui risit heri lacrymatur ;
 Quique premebatur in vespere, mane levatur.
 Si rex Anglorum sese non opposuisset
 25 Regi Francorum, modo Flandria succubuisset,
 Et Gandense forum nisi primitus obtinuisset,
 Vis inimicorum comitem terra pepulisset.
 Rex, qui cuncta regis et supra sidera degis,
 Vires exlegis Francorum comprime regis,
 30 Flandrensisque gregis comitem tua protegat aegis,
 Qui de collegis nil quaerit jus nisi legis.
 Hoc in conflictu pia Virgo, suo sub amictu,
 Nos a districtu regis tueatur et ictu :
 Flandria, quam temo fati tulit axe supremo,
 35 Jacta sub extremo, natat ut navis sine remo ;
 Flandria, quae primis effulsit rebus opimis
 Temporibus, limis modo diruta dormivit in imis ;
 Flandria, quae domina fuit hactenus, ecce supina
 Est incentina, nimis est gravis ista ruina.
 40 Spes est firma tamen quod ei veniet relevamen
 Et consolamen : dicat modo quilibet amen.

- Discant subjecti majoribus esse minores¹,
 Sint licet eveci per divitias et honores.
 Si stent erecti juvenes contra seniores,
 45 Denique confecti patiuntur saepe dolores ;
 Hoc duo testantur, ut in exemplis habeantur,
 Qui captivantur multisque bonis spoliantur.
 Scilicet unius Guido, Robertus alius
 Principis est nomen, dirum quibus accidit omen !
 50 Hi quia se temere regi simul opposuere,
 Propterea vere dispendia multa tulere,
 Ac amiserunt comitatum quem tenuerunt,
 Et fore vix poterunt comites velut ante fuerunt.

¹ Altera poematis pars dissimili prorsus modo argumentum vertit.

- Si praevidissent mala quae ventura fuissent,
 55 Regi cessissent et adhuc in honore stetissent.
 Perfidus Anglorum rex, quem rector superiorum
 Destruat, istorum fuit ingens causa malorum.
 Regi Francorum nexu sociatus amorum,
 Contra verborum veniens promissa priorum.
- 60 Clades amborum comitum documenta minorum
 Sunt, ut majorum teneant praecepta suorum,
 Et reminiscantur, male quando boves operantur,
 Cumque reluctantur, quod bis stimulo stimulantur.
 Non tantum laici, sed religionis amici,
 65 Haec metra canonici monachique sciant sibi dici,
 Ut castigentur et praelatos venerentur,
 Nec dedignentur dimittere quae prohibentur,
 Et licet arcentur exireque claustra vetentur,
 Non iritentur animoque volente morentur.
- 70 Cur appellentur monachi? Quia scire tenentur.
 Saepe recordentur, soli sint et lacrymentur,
 Moribus ornentur, sic vivant, sic operentur,
 Quando resolventur, ut eis bona praemia dentur.
- Mundi primatum nemo putet esse beatum,
 75 Qui videt ablatum nostro comiti comitatum.
 Non magis esse ratum quidquid cito fit variatum
 Censeo, quam flatum venti volucrisve volatum.
 Quando fit iratum, quidquid dat mobile fatum,
 Aufert omne datum, nec vult audire precatum,
 80 Votaque magnatum, decus, imperium, dominatum,
 Magnificumque statum statim trahit in famulatum.

Rex pontem de *Rase*¹ juxta Duacum praeteriit, fregit et incendit, suorum tamen strage maxima. Deinde villa de *Orchies* in deditionem accepta, totam Pabulam usque Insulam pervagando incendit et terrae coaequavit et spoliavit, perdita nihilominus suorum hominum innumerabili et incredibili multitudine,

¹ *Pont à Rache.*

quos incolae terrae illius in sylvis latitantes paulatim occidebant. Et sic tandem Insula obsessa est ab ipso rege, in qua erat dominus Robertus cum mille ducentis equitibus electis viris, ab ipso rege per tres menses inclusus. A qua tamen cum suis tandem egrediens Yprium, Gandavum, *Dam*, *Erdenborg*, *Aldenarde*, cum paucis terris adjacentibus vix obtinuit, reliqua parte Flandriae potentiae regis subjugata. Interim rege Anglorum in Gandavo existente in auxilium comitis, per biennium treugae inter omnes partes confirmantur. Quo transacto biennio, iterum ipse Francorum rex, iterum per dominum Karolum, fratrem suum, Flandriam expugnat et igne ac caede devastat. Et tandem domini Guido pater, Robertus, filius comitis, et Wilhelmus, filius praedicti Guidonis, voluntarie se et terram suam potentiae domini Karoli tradunt, et dominus Karolus eos regi fratri suo concordare promisit, vel saltem legem fieri forefactis spondit. Interim praedictis comitibus in prisione ipsius regis existentibus, rex cum regina et suis baronibus Flandriam intrat, villas et castella ubique visitat, cujus divitiis et pulchritudine delectatus, promissi fratris sui immemor, praefatis comitibus legem fieri negavit, Flandriam occupavit, villas et castra munivit, et eis dominum Jacobum de Sancto Paulo gubernatorem praefecit, qui tot mala in populo Flandriae exercuit, quod homines villae Brugensis tandem ejus insolentiam ferre non valentes, ipsum villam Brugensem armis intrantem turpiter effugarunt, mille sexcentis viris ex suis interfectis. Qui mox in Franciam rediens, collecto flore militiae totius Franciae, iterum cum comite Attrebatii et novem aliis comitibus et innumerabili Francorum multitudine, Flandriam hostiliter intrant. Quibus homines Brugensis villae, accersitis dominis Guidone, domini Guidonis comitis filio juniore, et Willelmo de Juliaco, cognato suo, viris probissimis, in Curtraco occurrentibus, maximam et incredibilem illam Francorum virtutem inito praelio prostraverunt, et totam regis potentiam a Flandria viriliter effugarunt, anno Domini MCCC secundo, iterum ipsa Flandria potentiae comitis subjugata¹.

Anno Domini MCCXCIX, mense Januarii, juxta *Niniven*, in parochia quae vocatur *Eichem*, quaedam pauper mulierecula foetum peperit monstruosum sexus feminei, a pectore et supra duplicatum ac divisum, duo capita et in cujuslibet ore sex dentes, quatuor brachia cum manibus quatuor et totidem auribus, ad invicem se amplectendo, habentem unam spinam in dorsis, unum

¹ Quae praecedunt, scripta sunt in codice ad marginem versuum quos supra edidimus.

ventrem integrum ab ipso pectore, inferius usque ad umbilicum concretum, ab umbilico vero et infra similiter duplicatum et separatum, scilicet quatuor crura cum totidem pedibus, duo pudenda muliebria habentem, et iste foetus ab obstetrice baptizatus mox defunctus est. Mater tamen supervixit et de ipso partu convaluit.

Anno Domini MCCCLXIII, in crastino Gertrudis, dominus Sygerus, dominus de *Eedinghen*, princeps illustris, vir formosus, armis strenuus, captus est ab Alberto duce, fratre Guillelmi, comitis Hannoniae et Hollandiae, qui comes fuit et jacuit in villa de *Aet* tanquam furibundus. Tunc dictus dominus Sygerus in *Keinoet* castrum ductus, post triduum gladio capitali truncatione damnabiliter suffocatus est ¹.

Recapitulatio omnium abbatum ecclesiae Niniensis.

Anno Domini MCXXXVII, primus ecclesiae Niniensis eligitur abbas dominus Gilbertus, ecclesiae Laudunensis canonicus, in conversione sancti Pauli. Qui postmodum, ut praedictum est, a fratribus nostris in generali capitulo Praemonstrati nimiae indiscretionis accusatus, ibidem deponitur, anno regiminis sui quinto.

Post quem eligitur Gillebertus, canonicus Parcensis, prudentia et religione clarus. Qui post duos menses, hujus officii et nimiae paupertatis pondere teritus, clandestina fuga elapsus est.

Post hos eligitur, anno MCXLII, dominus Gerardus, Laudunensis canonicus, qui xliij annis ecclesiam nostram irreprehensibiliter rexit et ad meliora provexit.

Huic in administratione curae pastoralis successit, anno MCLXXXV, celebris memoriae, dominus Arnoldus, qui primo conversionis suae anno prioratum promeruit, quem per xlv annos probabiliter gubernans, in abbatem eligitur. Qui cum quinque annis ecclesiae nostrae laudabiliter praefuisset, expleto quinquennio, apud *Reinirsart* gravi infirmitate correptus, in redeundo versus ecclesiam suam cum apud *Hacrois* venisset, expiravit.

Cui successit in regimine pastoralis, anno MCXC, venerandae memoriae dominus Mathaeus, montis S. Martini canonicus, de *Scornay* oriundus, vir summae religionis et in omni scientia subtilissimus et praedicator praecipuus, qui quinto regiminis sui anno, curarum et occupationum impatiens, onus pastoralis curae

¹ Haec a recentiori scriptore addita.

sponte deposuit et ad locum unde exierat reversus, ibidem beato fine quievit.

Post quem, piae memoriae, dominus Algotus in abbatem eligitur, qui post quinquennem administrationem ab equo suo cadens, perpetua langoris infirmitate correptus, curam deposuit pastorem anno Domini MCCXIX¹.

Post hunc eligitur dominus Steppo, ex insigni prosapia Hannoniae oriundus; vir urbanus et discretus et in officio suo providus, qui ecclesiam nostram per quinquennium laudabiliter gubernavit.

Cui in regimine pastorali successit dominus Henricus, montis sancti Martini canonicus, vir utique in litterali scientia apprime eruditus et verbi Dei praedicator egregius. Qui post biennium laboris et curarum nimietate fatigatus, sponte curam suam resignavit et ad claustrum unde venerat regressus, beato fine quievit.

Post hunc eligitur dominus Johannes de Spinis, anno MCCXXVI, vir admodum religiosus, qui per quatuor menses ecclesiae nostrae tantummodo praesidens, gravi correptus infirmitate, diem clausit extremum.

Post quem evocatus est ad hanc pastoralis curae dignitatem vir venerabilis memoriae, dominus Rodulfus, circa paschalem festivitatem; qui cum ecclesiae nostrae xxxvij annis laudabiliter praefuisset; et ipsam gravibus debitis et usurarum exactionibus aggravatam, de paupertate ad divitias et summos honores tranquillitatis ac pacis provexisset, grangias animalibus replevisset, et ecclesiam nostram pluribus aedificiis, terris, possessionibus; et rebus aliis mirabiliter ampliasset, appositus est ad patres suos anno videlicet MCCXLVI, xiiij kal. Maii, eo anni tempore, quo jamdudum electus fuerat ad regimen pastorale.

Successit vir memoria dignus, corde, verbo et opere benignus, misericors, mansuetus, et ad omnia pietatis studia consuetus, dominus Sigerus. Qui in officio pastorali per septem circiter annos et viij menses ecclesiae nostrae praefuit et profuit; animarum lucra plus quam temporalium incrementa bonorum quaerens, ex verbo sancti Gregorii solamen recipiens, qui dicit: « Prosperitas temporalis indicium est aeternae reprobationis. » Qui quidem per prioratum, quem ut pius et mitis multo tempore rexerat, aliasque prudens dulcis alloquio et affabilis et per omnia idoneus probatus, sicque tandem ad pastorale regimen vocatus, illud gubernavit et tenuit usque ad tempus supradictum.

Cui successit, anno MCCLIII, vir venerandus, moribus et vita laudandus,

¹ In margine legitur: MCXCIX, 15 oct.

dominus Daniel. Qui quidem primo ad ecclesiam Getthensem, deinde ad Grimbergensem, abbas electus et confirmatus, utramque suis temporibus provide gubernans, ad nostram et suam matrem ecclesiam, vita et scientia sua exigentibus, postremo est electus. Hic ergo vir habitu, incessu et omni corporis motu atque gestu, compositus et maturus, non modica litteratura et trium idiomatum latini, theutonici et gallici, eloquentia ita edoctus, et eorum proprietates sic enuntians, ut ex singulis eorum locis sive terris ortus aestimaretur. Verbis igitur profluus, ingenii acumine praeditus et in divina pagina admodum eruditus, ubique divini sparsit semina verbi, praesidens officio pastorali tribus annis, totidemque septimanis.

Anno MCCLVI, huic substitutus est in eodem officio dominus Willelmus, de *Haeltert* oriundus, vir hilaris, vultu mitis et alloquio suavis, cujus tempore conventus noster fuerat dispersus. Hic tandem post aliquantum temporis quietem desiderans oneri simul cessit et honori.

Post hunc electus est dominus Aegidius, canonicus Viconiensis, qui prioratum Viconiensem septemdecim ferè annis laudabiliter rexerat. Postea in abbatem nostrum assumptus, officium pastorale tredecim ferme annis, quam religiose, quam fideliter, quamque viriliter administravit et gessit.

Omnibus haud dubium quibus est contraria notum
 Quanta sit hic passus, pro nostris juste tuendis
 Juribus adversis aliquanto tempore tritus,
 Dilexit doctos pro doctrinaque studentes,
 Doctus et ipse satis, quem summa sophia beatis
 Associet, dicat nunc pius omnis : Amen.
 Mille ducentenis annis et septuagenis
 A Christo nato tunc nascitur hic paradiso.

Anno MCCLIX, isti successit dominus Peregrinus, vir simplex et modestus, moribus maturus, sobrius, omnique corporis motu et gestu satis compositus. Qui secundum nomen sibi congrue inditum se peregrinum agnoscens in hoc mundo, cum nemo justus manentem hic civitatem habeat, sed futuram peregrinando inquirat; hic, inquam, fastum et fastigium hujus seculi contemnens, grandem quidem pastoralis curae honorem, sed grave pondus istius considerans honoris, et illi pariter cessit et isti, sicque a pondere pastorali non coactus, sed spontaneus absolutus speculativis, sicut ante, liberius incubuit, et erga

pauperes beneficus, in regimine ecclesiae nostrae parochialis diem clausit extremum.

Post quem constitutus est in officio pastoralis dominus Henricus de *Alost*. Cui non fortuna successit fine secunda.

Huic consilio praelatorum nostrorum deposito, anno MCCLXXIV, successit in regimine curae pastoralis dominus Johannes, praepositus noster, de *Hartbeke* oriundus, vir prudens et dignus memoria, qui ecclesiam nostram ex mediis maris fluctibus, gravibus debitorum et usurarum procellis agitatum, et tanquam sub pedibus conculcatam, de penuria ad divitiarum abundantias et honores, in portum honestatis et pacis sapientissime collocavit. Hic ergo pauperum amator piissimus, hospitem recreator praecipuus, et aedificiorum nostrorum reparator eximius, cum grangias nostras et ecclesiam nostram animalibus, aedificiis, terris, possessionibus, et rebus aliis mirabiliter ditasset, et pondus diei et aestus xxx annis et decem mensibus, quibus ecclesiam nostram laudabiliter gubernavit, sustinisset, tandem senio fatigatus, quietem desiderans, curam suam resignavit.

Cui successit dominus Johannes, dictus *Millys*, de *Ninive* oriundus, vir memoria dignus, corde, verbo et opere benignus, misericors, mansuetus, et ad omnia pietatis ac honoris studia consuetus. Hic etiam non modica litteratura et eloquentia edoctus, ingenii acumine praeditus, et in divina pagina admodum eruditus, ubique virtutum ac honoris semina sparsit. Qui cum ecclesiae nostrae ferme x annis laudabiliter praefuisset, quadam infirmitate in facie detentus, quam aliqui physicorum dixerunt esse *noli me tangere*, diem clausit extremum anno Domini MCCCXIV, sub festo Symonis et Judae, apostolorum.

Post quem electus est dominus Johannes *Scamp*, de Linnico oriundus, vir bonus et simplex, qui tribus annis rexit ecclesiam nostram, cui non fortuna secunda, et ideo aliqui fratrum monasterii nostri eum negligentiae arguebant, appellantes contra ipsum in curia Romana, fecerunt deponi per dominum Praemonstratensem et ordinem.

Post hunc eligitur dominus Aegidius de Cellario, de *Ninive* natus, vir admodum religiosus et bonae reverentiae. Gubernavit ecclesiam nostram circiter per vij annos. Qui tunc per insultationem et accusationem conventus, coram domino Praemonstratensi invite resignavit.

Cui successit vir prudens et magnae reverentiae dominus Johannes de *Hympe*.

Hic pastoralis curae honorem duobus annis tenuit. Quem fratres sui in multis accusantes et molestantes, coram ordine resignare fecerunt per dominum Praemonstratensem.

Isti successit in regimine curae pastoralis, vir piae memoriae et bonae religionis, dominus Simon de *Costere*, de villa Ninivensi natus; qui per duos annos stetit in onere regiminis et tunc statim ecclesiae resignavit in ecclesia S. Foylani, per dominum Praemonstratensem, licet satis invitus.

Post hunc fuit electus et in curia pastorali proventus, dominus Willelmus *Busere*, ex insigni prosapia progenitus, vir urbanus, discretus, religiosus vitae, venerabilis et in juribus ecclesiae suae tuendis audax et strenuus, qui praefuit ecclesiae nostrae antedictae viij annis et viginti septimanis, et tunc viam universae carnis ingressus, vitam finivit.

Anno MCCCXXXVI, huic substitutus et electus est in eodem officio, dominus Johannes de Teneramunda, vir calentis religionis, vultu mitis et alloquio suavis, pauperum in eleemosynis recreator, pro posse suo bonus hospitalarius; qui officii pastoralis anchoram tenens, regens et gubernans, xxij annis tribus mensibus adjunctis, religiose, fideliter, bona ecclesiae nostrae ampliando de curte in *Okeghem*, tandem senio fatigatus, quietem desiderans, oneri similiter cessit et honori, per dominum Praemonstratensem, priorem, abbatem nostrum et ordinem, curam suam libere resignando.

Cui successit dominus Cornelius de *Hamme*, *Ninive* oriundus, vir memoriae dignus, corde, verbo et opere benignus, misericors, mansuetus et ad omnia pietatis ac honoris studia consuetus, et hospitem recreator praecipuus. Hic etiam non modica litteratura et eloquentia edoctus, ingeniique acumine praeditus, ubique virtutum ac honoris semina sparsit. Qui cum ecclesiae nostrae ferme triginta duobus annis, novem mensibus et octo diebus, digne et laudabiliter praefuisset, interim cameram suam de novo et alia aedificia quamplura, cum acquisitione hospitii nostri Gandavi, dicti *Molleron*, fundaliter reformans, diem clausit extremum anno Domini MCCCXCI, die prima mensis Junii.

Anno MCCCXCI, reverendus pater dominus Johannes *Neukerstock*, ex nobili prosapia oriundus, qui construxit chorum S. Cornelii, cum magna parte ambitus, regiminis curam accepit, quam gessit xij annis, xj diebus. Admonitus per capitulum generale resignavit, et a die resignationis supervixit annis duobus.

Huic successit honorandus pater, dominus Bartholomaeus *Van Hoemen*, vir

tam ex genere quam ex virtute nobilis valde, baccalaureus sacrae theologiae, ex *Ayghem* vel confinibus illis oriundus, qui interfuit personaliter concilio Basiliensi, ubi propter probitatem suam adeptus fuit mitram aliaque pontificalia (vita sua comite), quibus tamen nunquam usus est. Qui bene et laudabiliter monasterio nostro praefuit xliij annis et decem mensibus.

Istum in pastorale dignitate secutus est dominus Johannes *Beverlinck*, Ninivita, etiam baccalaureus sacrae theologiae, quam executus est xxxvij annis et novem mensibus.

Post hunc dominus Wilhelmus, ex castro de *Liedekercken* natus, gubernandi onus accepit. Qui multas tribulationes et adversitates tempore suae administrationis ex bellis intestinis sustinuit. Vir probus, doctus et honestus, qui quatuordecim annis xj mensibus diebus xv praefuit; postea cessit et a tempore resignationis Alosti moram trahens supervixit vj annis, quinque mensibus, vel circiter.

Hujus coadjutor fuit reverendus pater dominus Gerardus *Vanden Pardeke*, vir diligentissimus et magnus recuperator reddituum venditorum, iij annis, de *Herdechim* oriundus, et in ejus locum constitutus est anno MCCCCXCIX, et vixit in eo x annis, septem mensibus, et paulo amplius, obiit anno Domini MDX, xj Decembris.

Cui successit reverendus pater dominus Johannes Clerici, Alostanus, cum septuagesimum consecutus annum peregrisset. Vir pro jurisdictione ecclesiae defendenda et gubernanda valde providus et inflectilis, humilis, simplex et integerrimus pater; vixit in administratione sua xv annis, tandem gravi senio confectus, cessit, et post cessionem supervixit duobus annis, obiit xxix Novembris MDXXVII.

Ipsius coadjutor fuit dominus Cornelius *Hey*, de *Breda* oriundus, vij annis cum dimidio vel circiter, postea in praelatura sublimatus, anno MDXXV, x die Decembris, primus abbas mitratus. Quam mitram aliaque pontificalia a sede apostolica pro se suisque successoribus in perpetuum obtinuit. Monasterium nostrum, regiminis sui tempore plus minus xix annis durante, etiam a resignatione omnibus pene reddituum censuumque gravaminibus exoneravit, diversis domibus seu fabricis, ut domo hospitem inferiore, spicaria, porta praepositurae et atrio templi nostri, decorans. Post quae cessit, Bruxellae in hospicio nostro aliquandiu agens, inde apud carthusianos Bruxellae vicinos, vita laudabiliter peracta, nono a cessione anno, persancte obdormivit in Do-

mino anno MDLIII. Ipsius coadjutor fuit D. Judocus Sigeri Ninoviensis, quo inopinata morte sublato, anno MDXLI, idus Maii.

Successit in abbatem R. pater D. Johannes ab Avena, Ninivita, anno MDXLIII, ipso annuntiationis Mariae, vir pius, humilis, parcus, devotus, necnon religiosus, curam gerens abbatialem xxiiij annis. Qui ecclesiam nostram diversis ditavit ornamentis, chorum sancti Cornelii novum fecit, et transtulit onus abbatiale in manibus patris abbatis Parcensis, resignando anno MDLXVII. Obiit xxij Novembris, ipso S. Ceciliae, quam semper seu singularem patronam coluerat, anno MDLXXI.

Successit in abbatem R. pater Michaël a *Male*, Bruxellensis. Nono anno conductorem agens, unanimi fratrum voto capitulariter in abbatem assumptus fuit, consecratus ipso die Bartholomaei, anno MDLXVII, Bruxellae in monasterio monialium regularium de Jericho. Qui diversis monasterii passim collabentis reparationibus occupatus, multa tulit, fecitque. Obiit Bruxellis peste, xvij Septembris MDLXXVIII.

Cui successit reverendus dominus Petrus *Aloys*, Bruxellensis. Hic vincula multasque calamitates alias ab haereticis perpessus, octavo regiminis sui anno, in Domino dormivit, anno MDLXXXVII, xij Decembris.

Post hunc eligitur reverendus dominus Adrianus *Wasteels*, Ninivita, vir religiosus. Hic petitus ab haereticis ut in vincula conjiceretur, dum humanis viribus se liberandum diffideret, ad patronorum nostrorum Cornelii et Cypriani patrocinium confugit, provolutusque in genua, antiphonam : *Sancti Dei subvenite*, etc., inchoavit, et subito (ut in agone confessus est) quasi nubecula eum obumbravit, et sic incolumis manus ipsorum evasit. Tandem anno sexto dignitatis suae abbatialis, feliciter patribus suis appositus est, anno MDXCIV, v Martii.

Omnium postea votis et acclamationibus sufficitur venerabilis in Christo D. dominus Antonius *de Langhe*, Mechliniensis, vir in sacra pagina quam eruditissimus et in rebus temporalibus solertissimus; qui ob excellentis ingenii et iudicii sui acumen a concilio Flandriae in commissarium curiae assumptus est. Hic dum propria sua industria et frugalitate dormitorium, refectorium, aliaque insignia aedificia restaurasset et xiiij religiosos hujus monasterii albo adjunxisset, oblatosque respuisset episcopatus duos, aetatis suae anno sexagesimo, secundo die Aprilis, praesulatus vero sui anno duodecimo, animam clementissimo Deo reddidit (MDCVI).

Huic in praefecturae honore ac onere successit R. D. Christianus *Vanden Abeele*, oriundus Tenerae Leeuwis, vir mansuetus admodum et modestus, benignus omnibus et vicissim charus. Monasterium haereticorum injuria dirutum, at studio praedecessoris coeptum restitui, aliquot auxit aedificiis, non minus bene meritus de structura spirituali. Demum cum praefuisset annis septem, Julii die tredecima, a nativitate dominica anno MDCXIII, a sua lxi^o, integro aspectu atque auditu, coram positis fratribus atque orantibus, dormivit cum patribus suis fine tali, qui moestae adstantium fratrum coronae summae erat aedificationi, devotioni atque compunctioni.

Post Christianum Abelium, abbatialem dignitatem adeptus est dominus Johannes David, Montibus Hannoniae natus, parentibus ob bella ex Gerardi-monte fugitivis, et benedictionem ab archiepiscopo domino Mathia Hovio, anno Domini MDCXIII, decimo quinto Septembris, accepit. Ecclesiam suam sacris sanctorum pignoribus, ornamentis tum disciplinae regularis tum sacrae suppellectilis, in vestibus sericis, pretiosis reliquiariis, aliisque vasis ecclesiasticis decoravit; coenobium novo sacello, sacristia, parte novi dormitorii, turri, organo pneumatico; ipsam turrim campanis non paucis, tum majoribus tum minoribus, ad concentum musicum edendum etiam aptis, necnon dedalio horologio mechanico, cum quadruplici versus quatuor mundi partes indice horario instruxit. Abbatiam multis insignibus aedificiis, equili pistrino, coquina et granario amplificavit; eidem titulo pignoris dominium Walbrechtghe-mense et S. Dentelini acquisivit. Ad disciplinam ordinis partim resarciendam, partim sartam tectam servandam, ad comitia ordinis generalia Praemonstratum a provinciae Brabanticae abbatibus deputatus, annis Domini MDCXVIII, MDCXXII, MDCXXVII, profectus est, nec non a comitiis ordinis generalibus procurator ordinis generalis creatus, ad sedem apostolicam suscepit, anno MDCXXVII, iter romanum, quamvis domui suae damnosam ob non refusas expensas, nec ob causam tam speciosam, quia contra communitatem Nortbertinam antiqui rigoris, nec eventu felici, quia ordo causa cecidit. His aliisve commissionibus honorificis perfunctus, vita defunctus est pia morte, quam testatam facit epitaphium illi in marmore sepulcrali positum :

Hic situs est

R^{dus} admodum in Christo pater dominus,
D. Johannes David,
Coenobii hujus antistes trigesimus nonus,

Qui mente , rebus pro patris et
 Ordinis sui bono gestis maximus,
 Aevi christiani anno MDCXXXVI , sui
 LIV , dignitatis XXIII , ad octavum
 Cal. sextiles , memorabili pia
 Mortis exemplo ante oculos , et
 Inter lacrymas suorum vitae mortali desiit.
 Fruatur aeterno.

Istum excepit eodem anno D. Michaël *Mordac*, Bruxellensis, sed parentibus Lovaniensibus, vir mitissimus et praestans, qui cum in coenobio cantorem et superiorem et ruri in Outra et Okegemio pastorem egisset, assumptus est in abbatem, denominatus in Octobri et confirmatus sexta Novembris : sed parum utilem futurum domui suae, ut initia prae se ferebant, mors e morbo regio in collo, mox a nuntio denominationis nato, proveniens, e vivis abstulit xxj Martii, anno MDCXXXVII.

Isti in officio pastoralis suffectus est admodum reverendus in Christo pater dominus D. Christianus *Roelofs*, Gerardi-monte honestis et piis parentibus prognatus. Qui post missionem in Saxonia non sine praesenti vitae periculo cum aliis ex obedientia peractum, domum reversus mox admotus instructioni novitiorum et officio circatoris, post superioris, et hinc factus est abbas, denominatus anno Domini MDCXXXVII, primo Decembris, xij ejusdem confirmatus, et sequenti anno, decimo Januarii, consecratus. Vir pius erga Deum, disciplinae regularis zelator ferventissimus, officiorum divinarum frequentator diligentissimus, in se austerus; consurgentibus undique litium jura coenobii nostri oppugnantium turbinibus et motibus bellorum, multa tulit fecitque, et ex omnibus ereptus est hactenus, non tamen concussionem domus suae. Anno Domini MDCXXXVIII, xxv Januarii, decimum coenobii nostri fundati jubilaum, eodem anno, xx Septembris, relicta ecclesia oppidi parochiali, quo ad tempus non modicum utebamur, in sacello ad hoc accommodato intra parietes coenobiticas officium divinum canonicum ac eucharisticum fieri constituit. Ad idem iiij Novembris, transtulit sacrum scrinium reliquiarum SS. patronorum nostrorum Cornelii et Cypriani, quamvis non sine difficultate a civibus mota, ex ecclesia parochiali in ecclesia sua; confraternitatem sanctissimi Rosarii beatae Virginis curavit institui ejusdem mensis die vij^o, anno MDCXXXIX, multas reliquias sanctorum ecclesiae suae acquisivit; anno MDCXL in festo sanctissimi P. Norberti, solemniter posuit fundamenta chori, crucis et initii

navis novi templi, quae complevit anno MDCXLII, mense Julio. Eodem procurante, confraternitas Dei instituta est in sua ecclesia, juncta ei confraternitate SS. Cornelii et Cypriani, anno MDCLIII, xxij^o Novembris. Spirituali aedificio bene composito, non negligit materiale reparare, ampliare et exornare domi et foris; demum tam multa patrat ut non parvo volumine esset opus, si cuncta per singula scribenda forent. Anno MDCLI, a clero flandrigo deputatus est, ut esset a triade procerum ecclesiasticorum quatuor membrorum ordinum Flandriae adjuncta. Sapientia aeterna eum sic dirigat, ut in via prudentiae ambulans ut suaviter disponat omnia et fortiter exequatur, donec post multorum annorum curricula, cum multitudine suorum filiorum quos in Christo genuerit, portum aeternae felicitatis pertingat, quo pertigisse speratur quarto Maii MDCLVII, dum exemplari morte desiit vivere, omnibus S. matris ecclesiae sacramentis praemunitus, anno aetatis liv^o, postquam hoc coenobium annis fere xx rexisset.

Huic in dignitate successit, ex officio prioris hujus domus, R. adm. D. Johannes *De Neve*, ex Oultra juxta Ninhoviam oriundus, S. T. L., vir pusillus corpore, sed maximus ingenio, unde et in statibus Flandriae (in quibus per sex annos primatum gessit) omnibus laudi et admirationi fuit; non minus tamen (quoad privatam vitam) humilis, modestus, pius, sobrius ac omnimodo morum honestate conspicuus; sed in regimine abbatae suae infelicissimus, quod provenit partim ex bellis externis, partim et maxime internis, quorum causa potissimum fuit crebra officialium domus mutatio, ineptorum inde promotio, inutilium aedificiorum constructio, hic et Alosti, post haec secularium receptorum damnosa ab olim assumptio, diuturna nimis per status Flandriae absentia, multarum litium non necessariarum concertatio, signanter autem illa vel illae lites quas perperam voluit sustinere Bruxellis, Gandavi, Mechliniae, Romae in causa sororum Grisearum Ninhovensium, quas, reluctantibus patribus Recollectis Flandriae, zelo quodam indiscreto invitisque patre suo abbate et conventu, volebat incorporare suo ordini et monasterio, iisdemque erigere novum conventum in urbe Gandavensi, sub titulo sancti Joseph in Galilea, ex bonis seu proventibus hujus nostrae abbatae; et ita verum est, quod magna ingenia rebus innovandis aptiora sint quam stabiliendis. Ante finem vitae tamen, eum omnium praefatorum male gestorum summe poenituit ac piensissime obiit, anno MDCLXXXV, die quarto Martii, aetatis suae lxxvij, regiminis xxvij, omnibus S. ecclesiae sacramentis devotissime susceptis, reconci-

liatis sibi ante mortem aliquibus confratribus intus et foris habitantibus, a quibus infamem litem in secretiori regis concilio, deinde coram patre abbate et vicario ordinis, R. D. abbate Tongherloensi, ad purgationem et sanctificationem animae (ut confidere oportet) tolerare compulsus fuerat, et eximia patientia toleravit.

Sit in pace spiritus ejus. Amen. Filialis honoris ergo sepulcralem lapidem eidem poni curavit atque epitaphium conscripsit filius successor, sicuti et sibimet ipsi, Ferdinandus, abbas Ninhoviensis.

Anno MDCLXXXV, mensis Aprilis die prima, in quam incidebat dominica Laetare, per marchionem de Grana, Belgii pro rege gubernatorem, nominatus fuit praelatus R. D. Ferdinandus *De Moor*, nativitate Ninhoviensis ac oppidi pastor, ex patre et matre Bruxellensibus, ex avo et abavis paternae stirpis caeterisque majoribus ascendentibus, de nobili familia Bruxellae Swertzianorum, prout ostentant et probant insignia familiae, in ecclesiis S. Gaugerici, S. Mariae de Sabulo, aliisque. Mortuus est anno MDCXCVIII, die xxvij Februarii.

Cui successit R. adm. ac amplissimus dominus Carolus *Charité*, Alostanus educatione, sed Ninoviae natus, qui fuit vir in theologia scholastica bene eruditus, proinde sanctae theologiae lectoris officio per viginti et amplius annos cum summa laude perfunctus, donec ad abbatialem dignitatem fuit promotus, qui parvo tempore supervixit; nam septimo post triennium mense regiminis sui, lethargia correptus obiit, anno MDCCI, xxiiiij mensis Decembris, mane hora tertia, in vigilia nativitatis Domini. Sit in pace locus ejus. Amen.

Huic successit R. admodum ac amplissimus dominus Dionysius *Freyssers*, ex patria Leodiensi, Hasseleti natus; qui per occasionem studii, quod habuit in civitate Angiensi, sub amplissimo domino Johanne Nevio admissus fuit, ac per xx circiter annos organistam egit. Interim variis tum in conventu cum in abbacia ut circatoris, magistri novitiorum, cellarii ac subprioris, functus officiis, sub amplissimo domino Ferdinando *De Moor* ad pastoratum Ninoviensem promotus fuit. Quod munus cum fere per septemdecim annos cum laude peregisset, post mortem amplissimi domini Caroli *Charité*, magno sui relicto desiderio apud Ninovienses, et munere, quod suo pastore orbarentur in omnibus confratrum suorum votis in abbatem electus est. Quo munere ut bene fungatur, Deus benedicat. Amen.

Revera benedixit Deus: etenim acerbissimis bellorum famisque temporibus,

monasterii rebus ea prudentia consultus, ut jacturas maximas sarciverit, atque interea religiosos intra claustralem disciplinam servaverit, vere bonus suorum pater, amori omnibus, magis quam timori fuit.

Horreo veteri, seu infortunio, seu malevolorum praesidiariorum nequitia exusto, novum extruxit. Beatissimae virginis Mariae studiosus cultor, sacellum beatae Mariae pacis, in sylva de *Ruysbroeck*, regiminis sui initio aedificare, atque in eo religiosum, aetatis temporibus, cultum fieri ordinavit, diabete exstinctus xij Maii MDCCXII.

FINIS.

APPENDICES.

AVERTISSEMENT.

Le chartrier de l'abbaye de Ninove, qui est d'un haut intérêt pour ceux qui étudient l'histoire nationale dans les sources, est conservé en grande partie dans les archives de la Flandre orientale, à Gand. Des chartes importantes ne se retrouvent pas cependant dans ce riche dépôt diplomatique.

Nous avons réussi à réunir ici d'une manière assez complète la collection des chartes de cette abbaye jusqu'à la fin du XIII^e siècle : M. l'archiviste, baron Jules de St-Genois, a bien voulu surveiller lui-même la transcription des pièces dont les originaux lui sont confiés, et M. le docteur De Ram a eu l'obligeance de nous communiquer un ancien cartulaire de Ninove ¹, écrit sur parchemin au commencement du XIV^e siècle, et appartenant aujourd'hui à l'archevêché de Malines. Nous y avons trouvé quelques diplômes dont les originaux n'existent pas à Gand.

On sait que les anciens moines, pour faciliter leurs recherches, rangeaient leurs chartes sous différents titres, d'après les localités

¹ Sur le feuillet de garde il est intitulé : *Liber Monumentorum ecclesiae SS. Cornelii et Cypriani juxta Niniven.*

auxquelles appartenait leurs possessions ; d'après cet usage , le chartrier de Ninove comprenait les divisions suivantes :

1. Ninove et Scora.
2. Liedekerke.
3. Catthem et Strithem.
4. Pamele et Ledeberg.
5. Wolpute et Meerbeke.
6. Loetsh et Voorde.
7. Rouslar.
8. Bouchout.
9. Calph et Menz.
10. Hartbeke.
11. Reinirsart.
12. Tonlieu et affaires diverses.

Obligé de nous astreindre à l'ordre chronologique , nous n'avons pu suivre ces divisions, mais nous avons cru faire une chose utile et agréable aux savants qui s'occupent de recherches topographiques, en indiquant, après le titre de chaque diplôme, sous quelle rubrique il était placé.



APPENDICES.

CODEX DIPLOMATICUS ABBATIAE NINOVIENSIS.

I.

Lettres de Gérard, évêque de Cambrai, qui libère de toute redevance l'église de Liedekerke. — LIEDEKERKE.

A Cambrai, 1092.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Gerardus secundus, Dei gratia, Cameracensis episcopus, cunctis matri ecclesiae famulantibus augeri virtutum profectibus. Quia nos omnium fidei domesticorum in exaltatione sanctae ecclesiae promptissimorum bonae voluntati congaudere debemus, decet nos etiam, si quid a nobis ad hoc petierint, non abnuere: ut semper magis ad vitam proficiant, nostro exemplo praeunte. Ego itaque petitionem Radulfi, cognomine Evrardi Tornacensis, et Helewidis ejusdem uxoris, non reprobendam existimavi, quaerentium quatinus altare de Ledechercis ab omni reditu et a persona liberum facerem; ea conditione, ut ibi canonici cum suo praelato ad Deo serviendum constituerentur. Cum utrique, Evrardus scilicet et uxor ejus, ex bonis suis et alodiorum suorum superogarent facultatibus suis, unde canonicis necessaria vitae pararentur, feci igitur quod petierunt. Nam praedictum altare beatae Trinitati et sanctae Mariae, in cujus honore eadem ecclesia aedificata est, sicut Evrardus et uxor ejus hoc proposuerunt, contuli ab omni debito, salva episcopali auctoritate, solutum. Sic tamen praefato ibidem ex electione canonicorum secundum canonicam auctoritatem constituendo, ut tam successor meus quam ego praelationem daremus et curam animarum. Ut autem istud ratum maneat et invulsum, fidelium nostrorum

testimonio est corroboratum. S. Gualcheri, ejusdem altaris archidiaconi; S. Mazelini, archidiaconi; S. Adelardi, archidiaconi; S. Frederici, archidiaconi; S. Ansfridi, archidiaconi; S. Bernardi, archidiaconi; S. Rothardi, archidiaconi; S. Gerardi, cancellarii; S. Alboldi et Goisfridi, capellanorum; S. Fulconis, casati; S. Manasse; S. Walteri Wenchelon; S. Hugonis; S. Ingebrandi; S. Amalrici. Actum est Cameraci, anno incarnationis Dominicae MXCII indictione nona, regnante Henrico imperatore, episcopante secundo Gerardo.

Cartulaire conservé à Malines.

II.

Échange d'une terre allodiale entre le comte Baudouin VII et l'abbé de S^t-Amand. — NINOVE.

A Arras, 1115.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, unius summi ac veri Dei. Propriis et maxime ecclesiarum Dei commodis, utiliter provisionis operam impendere, lex ipsa rationis jure videtur approbare; unde ego Balduinus, filius comitis Rotberti junioris, divina ordinante providentia, comes Flandriae, per hujus inscriptionis testamentum omnibus, tam praesentibus quam futuris, Christi fidelibus notum esse volo, quomodo ad petitionem venerabilis abbatis ecclesiae sancti Amandi Bavonis, consilio et assensu fratrum ipsius ecclesiae et baronum meorum, partem alodii mei quod adjacet in Testerepli parrochia pro villa quae Herlengova dicitur, commutaverim. Siquidem supradictum alodium cum supplemento ovium, quod vulgo *berquaria* vocatur, et redditus ad id pertinentes, scilicet xxij libras denariorum, sic per manum praedicti abbatis ecclesiae S. Amandi concessi, tradidi et legaliter confirmavi, ut amodo ipsum alodium et redditus praetaxatos in propria investitura jure haereditario habeat et teneat, pro suo arbitrio disponat et ordinet, et sicut ego teneram omnino liberam et quietam perpetuo possideat. Simili modo praedictus abbas praefatam villam Herlengovam, quam in liberam possessionem ecclesia S. Amandi antiquitus tenuerat, concessit et tradidit mihi perpetuo possidendam, cum redditibus et appendiciis ad ipsam pertinentibus, in culturis, in pascuis, in sylva et in aqua. Quod concambium, ut ex utraque parte firmum et inconvulsum permaneat, volo ecclesiae Dei et omnium fidelium diligentiam nosse, quod haec mutua concessio sive traditio facta fuerit in praesentia reverendi episcopi Praenestinae, civitatis sanctae, etiam romanae sedis legati, domni videlicet Cononis, cujus etiam sanctitatem imploravimus, quatinus hanc mutua commutationem voluntarie ab utrisque factam, sua auctoritate et privilegio suo corroboraret et omnes tam praesentes quam futuros, sive successores nostros, sive quoslibet personas, quicumque praedictum alodium, sicut diximus, a nobis ecclesiae S. Amandi concessum, per aliquam

violentiam vel fraudem invaserint, vel repetere, vel diminuere tentaverint, sententia anathematis, quoadusque respiscant vel satisfaciant, damnaret; super hoc, ut etiam a nostra sublimitate et haec commutatio et praesens commutationis inscriptio firmum obtineat vigorem et inconvulsam firmitatis stabilitatem et testimonium religiosarum sive legitimarum personarum et sigilli nostri impressionem supposuimus. S. domini Cononis, sedis apostolicae legati; S. Rotberti, Atrebatensis archidiaconi; S. Clarenbaldi, archidiaconi; S. Drogonis, decani; S. Ricuardi, abbatis de Monte Sancti Eligii; S. Lamberti, abbatis de S. Bertino; S. Aluini, abbatis Aquicincti; S. Amulrici de Ninive; S. Balduini, camerarii; S. Froaldi, castellani.

Actum Atrebatum, anno incarnati verbi MCXV, indictione viij^a, principante in Flandriis Balduino comite anno iij.

Signum Balduini, incliti marchionis.

Original aux archives de la Flandre orientale.

III.

*Charte de confirmation de l'abbaye de Ninove, par Nicolas, évêque de Cambrai*¹. — NINOVE.

1139.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Nicolaus, Dei gratia Cameracensis ecclesiae episcopus. Quia, propitiante Domino, pontificali cathedrae licet indigni praesidemus, et si omnibus in communi nostrae dioceseos fidelibus generalem curam debemus, illis tamen qui, felici naufragio abjecta seculari sarcina, de mundi hujus fluctuante pelago ad tranquillum et placidum contemplationis portum enataverunt, speciali dilectionis et sollicitudinis necessitudine obligamur, ut et ex nostris eis prodesse et aliorum erga eos libertatem² approbare et firmare studeamus, quatenus pia vicissitudine de orationibus eorum aliquod imperfectioni nostrae subsidium comparemus. Igitur tam praesentibus quam futuris notum facimus, quod ecclesiae de Ninive, quam cum altari et atrio atque omnibus appendiciis suis pia memoriae praedecessor noster, Burchardus, Amulrici constabularii Flandriensis caeterorumque participantium devotissima petitione, liberam et ab omnimoda exactione quietam effecerat, quidquid in futurum concessione principum, oblatione fidelium, seu aliis quibuscumque justis modis, canonice poterit adipisci, possidere gratanter annuimus. Porro

¹ Probat haec charta, ait illustr. Hugo, errasse San-Marthanos, ubi in *Galliae Christianae*, tom. I, scripserunt hunc Nicolaum, episcopum cathedrae Cameracensis insedisisse tantum anno MCXL. Clari viri haec nota mirabilis videbitur omnibus qui legent *Gall. Christ.*, tom. III, col. XXVIII, episcopatum Nicolai incepisse anno MCXXXVII.

² An non intendisset dicere *liberalitatem*?

quum jacula praevisa minus laedunt, praefatae fratres ecclesiae, secundum apostolicam institutionem atque tenorem Praemonstrati ordinis degentes, ne deinceps posterorum infestatione, sive quorumcumque sacrilega cavillatione inquietati, requietionis suae amoenitate priventur, non inconsulte decernimus quaedam beneficia privilegio commendari, quae nullatenus ab ecclesiastico jure convenit alienari. Siquidem Gerardus, liberalis vir, supra memorati Amulrici filius, in omnibus aquis quas ipse proprie et libere possidet, exceptis solummodo vivariis suis, gratuita largitate fratribus piscationem perpetualiter concessit, addidit etiam idem Gerardus piscatorias tendiculas quatuor, quas vulgo *vieria* nominamus; curtim quoque de Nederwic et circumjacentia ejus, quae post decessum cujusdam domino ipsi Gerardo et participantibus ejus, jure propinquitatis debebantur, ipse et participes sui devotissima voluntate praedictae ecclesiae contulerunt. Inter ea quae jam diximus, praenominatus Gerardus duas partes totius decimae apud villam, quae Herlenchof dicitur, quam haereditarie possidebat, sedem quoque molendini subter praefatam villam et pratum secus Teneram, territorium de Wintresdala et adjacentia ejus, pratum videlicet et nemus, et alodium de *Roslaer* eidem dedit ecclesiae, solo supernae remunerationis intuitu. Manifestum autem fieri volumus, quod quaedam venerabilis femina, nomine Ermentrudis, absque ullo transitoriae commutationis respectu, benivolo assensu liberorum suorum, dimidiam partem molendini, quod prope atrium ecclesiae Ninivensis constructum est, et quinque mansos contiguos atrio, alodium quoque de *Roslaer* totiens dictae ecclesiae cum nemusculo de Steinbecca donavit. Nos vero, de statu religionis et ordinis integritate quamplurimum gratulantes, ne claustralium pacem turbare potius quam nutrire videamur, domino Gileberto, abbati Ninivensi et successoribus ejus, quidquid obsequii nostrae dignitatis ad honorem attinet, omnino remittimus, excepto, quod semel in anno, si tamen praemonitus fuerit, ad synodum venire curabit. Item ecclesiae beatorum martyrum Christi, Corneli et Cypriani, hujusmodi libertatem concedimus, quatinus abbas electus ad consecrandum iturus, baculum pastorem super altari propria manu accipiat. Contigit aliquotiens, ut alicui infirmitate detento et volenti converti prohibitio presbyteri sui obviaret, quod quia contrarium beati Augustini regulae videtur, dicenti: « Suscipite infirmos; » omnibus infra nostri episcopatus terminos simile quaerentibus benigne concedimus, ut ad ecclesiam Ninivensem indubitanter se transferant. Si autem principis provinciae sive cujuscumque forefacto regio fuerit imbannita, remotis excommunicatis, divinum in ecclesia permittimus officium celebrari. Nos quidem ex injuncto nobis officio quidquid reverendissimi patres nostri Honorius atque Innocentius religiose decreverunt, unica voce praedicare debemus; interdicens itaque ex apostolica auctoritate, ne in ecclesia Ninivensi, in qua fratres vitam canonicam professi degunt, ulli omnino hominum liceat, secundum beati Augustini regulam ibidem constitutam commutare, nullus etiam episcoporum futuris temporibus audeat inde fratrem abducere, nec professus quispiam ex eadem ecclesia aut claustro praesumat sine communi congregationis permissione discedere, discedentem vero nullus episcoporum, nullus abbatum, nullus monachorum, sine communi litterarum cautione suscipere; statuimus etiam, ut nulli liceat eandem ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur regularium fratrum et pauperum usibus profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona alienare ab ecclesia quidquam quod legitime possidet, praesumpserit, si non satisfactione, secundo tertiove commonita, congrue emendaverit, in extremo examine districtae ultioni subjacet. Cunctis autem eidem ecclesiae justa servantibus sit pax Domini nostri Ihesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum judicem proemia aeternae pacis inveniant. Amen. Sancimus etiam ut pro Gerardo, ejusdem ecclesiae fundatore et constructore, in eadem ecclesia jugis memoria in oratio-

nibus perpetualiter habeatur. S. Theoderici, ejusdem abbatiæ archidiaconi; S. Johannis, Alardi, Theoderici, archidiaconorum; S. Guidonis, praepositi; S. Gerardi, decani et archidiaconi; Guidonis, Walteri, Guirenboldi, item Guirenboldi, Hugonis, item Hugonis, Bartholomaei, Eustachii, Herivuardi, Radulfi, canonicorum. Actum anno dominicae Incarnationis MCXXXIX, indictione prima, praesulatus domini Nicolai secundo. Ego Guirenboldus cancellarius recensui.

Original, sceau en cire brune.

Ejusdem fere tenoris, sed breviores litteras, dederat anno MCXXXVIII, Nicolaus episcopus, quas legere est apud Miraeum, *Donat. Belg.*, lib. II, cap. XLI, et in *Annal. ord. Praemonstr.*, tom. II, col. CCXXVII.

IV.

Le comte Thierrri d'Alsace donne à l'abbaye de Ninove la dîme de Herlinchove, et exempte de tout impôt les biens que lui a donnés Gérard.
— NINOVE.

1142.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Theodericus, Dei gratia Flandrensium comes. Divina aspiratione admonitus, fidelium quoque principum, qui ecclesias Dei fundaverunt et rebus suis ditaverunt, exempla secutus, ob remissionem peccatorum meorum et salutem animae meae et Suanahildis, conjugis meae comitissae, praedecessorumque meorum Flandrensium comitum, Ninivensi ecclesiae, in honorem sanctorum Cornelii et Cypriani constructae, dominoque Gerardo, ipsius loci abbati, suisque fratribus sub regula sancti Augustini ibidem Deo jugiter servantibus, decimam de Herlinchove et quidquid sui juris in eadem parrochia Gerardus, constabularius de Ninive, sive in terris, sive in sylvis, pratis vel pascuis, praefatae Ninivensi ecclesiae praebuerat, rogatu ejusdem Gerardi, cujus feodum exstitit, ab omni exactione mei juris liberum in perpetuum obtuli, et quia pium est sacris Dei locis de cautela pacis et quietis providere, locum ipsum Ninivensem et possessiones ejus auctoritate mea et sigilli mei impressione et testium subscriptione communivi. Signum Wetherici, S. Otgeri, S. Theoderici, S. Michaëlis, constabularii, S. Ottonis, S. Iwaini de Gant. Actum anno incarnati Verbi MCXLII, indictione V, epacta XXII, concurrente III.

V.

Le même comte Thierrri prend l'abbaye sous sa protection. — NINOVE.

1142.

Se trouve imprimé dans les *Donat. Belg.* de Miræus, lib. II, cap. XLIII, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXIX. L'original, muni du sceau de Thierrri en cire brune, pendant à double queue de parchemin, est conservé aux archives de la Flandre orientale.

VI.

Nicolas, évêque de Cambrai, confirme à l'abbaye la concession de l'église de Liedekerke et de ses dépendances. — LIEDEKERKE.

1146.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Nicolaus, divina miseratione Cameracensis episcopus, tam futuris quam praesentibus, in perpetuum. Cum secundum Scripturam, quae ait : « Vide cui des et erit gratia in donis tuis multa, » et alibi : « Honora Dominum de tua substantia, » ad bene agendum commoneamur, necessarium nobis est ut cor docile, discretionis oculos, aures audiendi habeamus; proinde animae nostrae consulens, ecclesiasticae commoditati providens, ecclesiam de Ledekercha cum appenditiis suis, videlicet Lumbea, Strithem, reverendo fratri nostro Gerardo, Ninivensis ecclesiae abbati, et suo capitulo concessimus. Placuit etiam quasdam ejusdem Ledekerchensis ecclesiae possessiones nominatim annotare, et ne quis eas injuste diripere praesumat, nostra auctoritate corroborare. Decimam igitur de Menz et quotidianum usum lignorum in sylvâ Ledekerchensi, in opus fratrum apud Ledekercham Domino servientium, cum reliquis agris, pratis, possessionibusque omnibus, quas eadem ecclesia a principibus et subprincipibus videlicet Waltero Tornacensi, Razione de Gavera, Balduino, Iwano de Alost canonice possederat, terram quoque Abbonis, quam praedictus Iwanus, assensu Walteri Tornacensis et uxoris ejus Petronillae, liberorumque suorum, et Razonis de Gavera, praefatae ecclesiae largitus est, nostra assignatione munivimus : praeterea in praedicta sylvâ duas carratas lignorum singulis septimanis a praefato Iwano, annuente uxore sua Laurretta, datâs in usum fratrum apud Niniven Deo vacantium, concedentibus praedicto Waltero cum uxore et liberis suis et Razione de Gavera, quorum allodium Ledekercha exstiterat, attitulare curavimus. Ut autem fratres quieta devotione inibi divino cultui vacare possint, locum illum perpe-

tua libertate donamus et ab omni exactione tam nostra quam ministrorum nostrorum eum perpetuo absolvimus. Ad arcendas itaque quorumlibet importunitates, data conservatoribus benedictione, in praevaricatores, quoad resipuerint, excommunicationis sententiam promulgamus, atque canonica subsignatione et sigilli nostri appositione hujus nostri decreti paginam confirmamus. S. Theoderici, ejusdem ecclesiae archidiaconi; S. Johannis, arch.; S. Alardi, arch.; S. Evrardi, arch.; S. Gerardi, arch.; S. Gauteri, cantoris; S. Wirinboldi, Galteri, Gerardi, sacerdotum; S. Bartholomei, Willelmi, Gauteri, Radulfi, levitarum; S. Roberti, Eustachii, Adam, Geroldi, Hugonis, Johannis, sublevitarum. Actum anno incarnati Verbi MCXLVI, indictione decima, praesulatus domini Nicolai decimo. Ego Wirinbaldus cancellarius scripsi et recensui.

Original aux archives de la Flandre orientale.

VII.

Le même prélat approuve une transaction faite entre les abbés de Jette et de Ninove. — LIEDEKERKE.

1146.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nicolaus, Dei gratia Cameracensis episcopus, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Debito charitatis affectu ecclesiae Ninivensi compatiens, quidquid in temporalibus beneficiis canonice possidet, auctoritate nostra confirmare ac defensare curavimus; proinde compositionem illam de Lidekercha inter abbatem Ninivensem Gerardum et abbatem Gettensem Waltherum, a domino Bernardo, abbate Clarevallensi, consilio religiosarum personarum ordinatam, ratam fore consensimus. Consensit enim abbas Gettensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de Lewe cum omnibus appertinentiis suis, videlicet in terris, decimis, censu, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, vel si qua sunt alia; et sicut fluvius Tenera dividit parochiam de Lewe et eam de Lidekerche, praeter decimam unam in parochia de Erembaldengem, pertinentem ad ecclesiam de Lewe, quam abbas Gettensis possidebit, cum caeteris rebus ejusdem ecclesiae, abbate Ninivense reliqua omnia ad ecclesiam de Lidekercha pertinentia obtinente. Ut autem hoc ratum nunc et deinceps permaneat, carta et sigillo et canonico testimonio confirmamus et in praevaricatores anathematis sententiam promulgamus. S. Theoderici, archidiaconi; S. Johannis, archidiaconi; S. Alardi, archidiaconi; S. Everardi, archidiaconi; S. Gerardi, archidiaconi; S. Wirinbaldi, cancellarii; S. Galteri, cantoris; S. Walteri, Gerardi, sacerdotum, S. Bartholomei, Willelmi, Galteri Radulfi, levitarum; S. Roberti, Eustachii, Adam, Geroldi, Hugonis, Johannis, sublevitarum. Actum anno incarnati verbi MCXLVI, indictione decima, praesulatus domini Nicolai decimo. Ego Wirinbaldus cancellarius scripsi et recensui.

Original, sceau perdu.

VIII.

Bulle du pape Eugène III, qui confirme l'abbaye dans ses droits et ses domaines. — NINOVE.

—
Châtillon, 1147.

Imprimée dans Miræus, *Donat. Bely.*, lib. II, cap. XLVII, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXIX.

L'original, avec le sceau en plomb, aux archives de la Flandre orientale.

==

IX.

Saint Bernard, abbé de Clairvaux, ratifie la convention faite entre les abbés de Ninove et de Jette. — LIEDEKERKE.

—
Vers l'an 1148.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Bernardus, Dei gratia Clarevallensis abbas vocatus, omnibus sanctae ecclesiae filiis perpetuam in domino Jhesu Christo salutem. Notum esse volumus tam futuris quam praesentibus, dissensionem inter abbatem Ninivensem et Jettensem pro ecclesia de Lidekerke, tali modo in praesentia nostra coram religiosis personis determinatam. Concessit abbas Jettensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de Lewes cum omnibus appertinentiis suis, videlicet in terris, in decimis, censu, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, vel si qua sunt alia; et sicut Tenera dividit parochiam de Lewe et eam de Liedekerke, praeter decimam unam in parochia de Erembaldengem pertinente ad ecclesiam de Lewes, quam abbas Jettensis possidebit cum caeteris rebus ejusdem ecclesiae, abbate Ninivense reliqua omnia ad ecclesiam de Lidekerke pertinentia obtinente. Et ut haec compositio, hortatu nostro et consilio facta, in perpetuum permaneat rata, cartam hanc fieri jussimus sigillique nostri impressione signavimus, subnotatis idoneis testibus, qui interfuerunt, consentientibus etiam fratribus et invicem exfestucantibus utriusque ec-

clesiae, scilicet Jettensis et Ninivensis. S. domini Petri, abbatis Affligemensis ecclesiae; S. Rotberti, abbatis de Dunis; S. Balduini, abbatis de Castellione; S. Gozuini, abbatis de Truncinis; S. Everardi m^o, Gerardi m^o, Geraldi m^o, Gualfridi m^o 1.

Original aux archives de la Flandre orientale.



X.

Hugues, abbé de Prémontré, confirme la charte précédente. — LIEDEKERKE.



Vers l'an 1150.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Hugo, Dei gratia, Praemonstratae ecclesiae dictus abbas, omnibus tam futuris quam praesentibus. Notum vobis facimus quondam ortam fuisse querelam inter ecclesias Gethensem et Ninivensem super possessione de Lidekerca; quae causa cum ad nos perlata fuisset, explorata rei veritate, intelleximus quod querimonia illa terminata fuerat a piae memoriae domino Bernardo, Claraevallis abbate, assensu utriusque abbatis, Walteri scilicet et Gerardi, et assensu utriusque capituli, et a Cameracensi episcopo et venerabili papa Eugenio laudata et scripto confirmata; cognovimus etiam ex relatione coabbatum nostrorum qui interfuerunt, quod tempore Henrici, successoris supradicti Walteri, eadem querela orta fuerat et terminata in praesentia domini Warini abbatis Laudunensis, assensu utriusque abbatis, scilicet Gethensis et Ninivensis, et assensu utriusque capituli. Cumque iterum pulsatus fuisset supradictus abbas Ninivensis super hoc in curia Cameracensi, et ventum esset ad iudicium, electae sunt personae, quae a domino archiepiscopo et a Remensi curia iudicium requirerent, et sicut ab ipsis personis audivimus, sententia domini archiepiscopi fuit, et Noviomensis atque Attrebatensis episcoporum qui cum eo erant, ut ex iudicio abbati Ninivensi possessio sua remaneret, et abbas Gethensis deinceps cessaret. Sed et in generali capitulo nostro audivimus a domino Cameracensi episcopo, quod ecclesia de Lidekerca ad ecclesiam Gethensem nunquam pertinuerat; his itaque omnibus in unum concurrentibus, nos quoque freti rei veritate et supradictorum virorum auctoritate, querelam istam utriusque abbatis assensu iudicio terminavimus: ita scilicet ut ecclesia Ninivensis supradictam possessionem amodo in pace possideat, et abbas Gethensis ab ejus injusta vexatione quiescat. Ut ergo rata haec et inconvulsa permaneant, sigillo nostro signavimus et coabbatum nostrorum, qui interfuerant, nomina subscripsimus. Signum Garini, abbatis S. Martini Laudunensis; S. Gerlandi, abbatis Floreffiae; S. Widonis, abbatis Cuffiaci; L. S. Adae, abbatis S. Judoci in nemore; S. Galteri, abbatis S.-Foillani; S. Geroldi, abbatis in Viconia; S. Willeci, abbatis de Furnis; S. Gilleberti, abbatis de Monte S. Martini; S. Theodrici, abbatis Grimbergensis; S. Philippi, abbatis Bellevalis; S. Caesarii, abbatis de Calvo Monte.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau en cire brune.



Monachi.

XI.

Hugues, abbé de Prémontré, prescrit à l'abbé de Jette de se soumettre aux dispositions des chartes précédentes. — LIEDEKERKE.

Vers l'an 1150.

Hugo, Dei gratia Praemonstratensis abbas, totusque ejusdem ordinis abbatum conventus, praesentibus et futuris. Causam, quae inter abbatem Ninivensem et abbatem Jethensem super ecclesia de Lidecherca diu ventilata est, finire cupientes, cum a religiosis personis et ab ipso etiam episcopo Cameracensi audivissemus quod praedicta ecclesia de Lidecherca ecclesiae de *Jet* subjecta non fuisset aliquando, sed libera fuisset, sicut et illa, abbati de *Jet*, Hildebrando, tanquam ei qui nihil juris in praedicta haberet ecclesia, silentium indiximus, et ne deinceps praedictum abbatem de Ninive vel ecclesiam ejus de hac querela fatigare praesumat, auctoritate ordinis prohibemus.

Original aux archives de la Flandre orientale, le sceau perdu.

XII.

Godefroi, duc de Lothier, donne à l'abbaye la ferme de Reinirsart et autres biens. — REINIRSART.

1155.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Godefridus, dux Lotharingiae et marchio, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Exemplo fidelium principum et praedecessorum meorum piorum, Lotharingiae ducum, qui ecclesias Christi fundaverunt, fundatas suis opibus ditaverunt, ditatas a persecutorum infestatione munierunt, admonitus, juxta potestatem mihi divinitus collatam, quamdiu licet ecclesiasticum honorem amplificare disposui. Curiam ergo Reinirsart et terram cum sylva, aquis et pratis, quae Franco, castellanus Brusellensis, in parochia Senneffiensi, necnon et terram cum sylva, aquis et pratis, quae Henricus de *Ruz* in eadem parochia, consentientibus Widone et fratre ejus Waltero de *Hosden*, terram quoque cum sylva, aquis et pratis, quae Hugo Pauper, Gillardus de *Corires*, et Balduinus de *Lopon*, et terram cum sylva, aquis et pratis, quae Willelmus de Birbeca, Marcilius de *Gochelies*, et Albericus de *Mari*, Ninivensi ecclesiae meo assensu praebue-

runt cum communi usu sylvarum et pascuarum circajacentium, praefatae Ninivensi ecclesiae tradidi, et ab omni tam mea, quam meorum exactione libere absolvi, et sub tutela meae protectionis suscepi. Quod ut ratum in posterum permaneat, sigilli mei impressione et legitimorum virorum testimonio subsignavi. Hoc autem nostrae devotionis decretum episcopali auctoritate confirmari deosco, ut absque dilatione praevaricator excommunicationis sententia feriat. Testimonium Jueri, clerici de *Erpece*; Willelmi de Birbeca; Walteri, Rabodonis de *Craynhem* liberorum; Gerardi de Hildeberga; Heinrici, pedagogi; Franconis de *Lief*. ¶ Actum anno incarnati Verbi MCLIII, indictione prima, epacta XXIII^a, concurrente III^a.

Original, aux archives de la Flandre orientale, sceau en cire brune pendant à double queue de parchemin.

==

XIII.

Nicolas, évêque de Cambrai, confirme la donation du duc Godefroi. —

REINIRSART.

—

1153.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nicolaus, Dei gratia Cameracensium episcopus, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Miram fidelissimi ducis sanctionem et omnino catholici principis admonitionem congratulabunda devotione amplectimur. Quid enim! O principem principibus hujus seculi omnino dissimilem! O virum ecclesiasticae pacis cupidissimum! Pacem siquidem ecclesiae quam perturbare contendunt principes seculi defensare disponit. Sollicitudo ducis nostra episcopali auctoritate sua decreta corroborari efflagitat, quatinus hinc spirituali, illinc materiali gladio munita ecclesiae libertas subsistat. Curiam igitur *Reinirsart* cum suis terris, sylvis, pratis et aquis et usibus aliis, juxta praescriptum ducis decretum, ecclesiae Ninivensi assignamus, et ne libertatem praescriptam, secularis ecclesiasticae persona violare praesumat, omnino prohibemus: in praevaricatores autem, quoad resipuerint, excommunicationis sententiam promulgamus, et decreti, tam ducis quam nostri, paginam canonica subsignatione et sigilli nostri appositione confirmamus. S. Theodorici, archidiaconi; S. Johannis Alardi, arch.; S. Eustachii, cancellarii; S. Walteri, Gerardi, sacerdotum; S. Galteri, cantoris; S. Bartholomei, Radulfi, levitarum; S. Hugonis, Johannis, sublevitarum. Actum anno incarnati Verbi MCLIII, indictione prima, epacta XXIII^a, concurrente III^a.

Original, sceau en cire brune pendant à double queue de parchemin.

==

XIV.

Samson, archevêque de Reims, confirme les chartes n° IX et suivantes. —

LIEDEKERKE.

1159.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Samson, divina miseratione Remorum archiepiscopus, apostolicae sedis legatus, universis sanctae matris ecclesiae filiis, tam futuris, quam praesentibus in perpetuum. Debito caritatis affectu ecclesiae Ninivensi compatientes, quidquid in temporalibus beneficiis canonice possidet, auctoritate nostra confirmare ac defensare curavimus, proinde compositionem illam de Lidekerca inter abbatem Ninivensem Gerardum et abbatem Getensem Walterum, a domino Bernardo, abbate Clarevallensi, consilio religiosarum personarum ordinatam, et venerabilis fratris nostri Nicolai, Cameracensis episcopi, privilegio confirmatam, ratam fore concedimus. Consensit enim abbas Getensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de *Lewe*, cum omnibus appertinentiis suis, videlicet in terris, decimis, censu, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, vel si qua sunt alia; et sicut fluvius Tenera dividit parochiam de *Lewe* et eam de *Liedekerche*, praeter decimam unam in parochia de Erembaldengem, pertinentem ad ecclesiam de *Lewe*, quam abbas Getensis possidebit cum caeteris rebus ejusdem ecclesiae, abbate Ninivense reliqua omnia ad ecclesiam de Lidekerka pertinentia obtinente. Ut autem hoc ratum nunc et deinceps permaneat, carta et sigillo nostro confirmamus. S. Bartholomei, S. Bosonis, archidiaconorum; S. Drogonis, praepositi; S. Leonis, decani; S. Gregorii, cantoris; S. Henrici, S. Thomae, presbyterorum; S. Herluini, S. Letoldi, diaconorum; S. Erlaudi, S. Stephani, S. Milonis, subdiaconorum. Actum Remis, anno incarnati Verbi MCLIX, indictione septima, regnante Ludovico, Francorum rege, anno XXII, archiepiscopatus autem nostri anno XIX. Robertus cancellarius recognovit, scripsit et subscripsit.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau en cire brune.

XV.

Nicolas, évêque de Cambrai, ratifie la décision de l'archevêque de Reims. —

LIEDEKERKE.

Cambrai, 1159.

In nomine Domini. Nicolaus, divina patientia Cameracensis episcopus, generationi huic et ei quae ventura est, in perpetuum. Cum oppido periculosum sit et persaepe damnosum in quibus-

cumque negotiis sapientium declinare consilia, et a semita prudentium pedem avertere periculosius; tamen salva singulorum reverentia, in bonae memoriae domini Bernardi, Clarevallensis abbatis, actus vel compositiones praesumptuose incurrere, secundum ingenii nostri facultatem esse decernimus. Proinde compositionem illam de Lydekerca inter abbatem Ninivensem Gerardum, et abbatem Jettensem Galterum, a domino Bernardo, abbate Clarevallense, consilio religiosarum personarum ordinatam, auctoritate venerabilis patris Samsonis, Remensis archiepiscopi, apostolicae sedis legati, ecclesiae quoque nostrae consilio ratam fore concedimus. Consensit enim abbas Jettensis suscipere in partem suam altare et ecclesiam de *Lewe* cum omnibus appertinentiis suis, videlicet in terris, decimis, censu, aedificiis, mancipiis utriusque sexus, vel si qua sunt alia, et sicut fluvius Tena dividit parochiam de *Lewe* et eam de Lydekerca, praeter decimam unam in parochia de Erenbaldengem pertinentem ad ecclesiam de *Lewe*, quam abbas Jettensis possidebit, cum caeteris rebus ejusdem ecclesiae, abbate Ninivense omnia reliqua ad ecclesiam de Lydekerca pertinentia obtinente. Ut autem hoc ratum nunc et deinceps permaneat, carta et sigillo nostro confirmamus, data conservatoribus benedictione et pace. Signum domini Theodorici, praepositi et archidiaconi eorundem altarium; S. Johannis, S. Radulfi, archidiaconorum; S. Hugonis, decani; S. Galteri, Arnoldi, sacerdotum; S. Anselmi, Adae, subdiaconorum; S. Parvini, abbatis S.-Sepulchri; S. Gisseberti, montis S. Martinis; S. Adae, de Castello abbatis. Datum Cameraci, anno incarnati Verbi MCLIX, episcopatus nostri XXIII. Ego Eustachius cancellarius scripsi, subscripsi et recognovi.

Original aux archives de la Flandre orientale.

XVI.

Ada, abbesse de Nivelles, donne à l'abbaye une partie de terre, située à Meerbeke, moyennant une redevance annuelle. — MEERBEKE.

—
1161.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ada, Nivelensis abbatissa, Everardus praepositus, Everardus decanus, totusque ejusdem ecclesiae conventus omnibus Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Quod piae devotionis affectu rationabiliter et communi fidelium nostrorum consilio bene a nobis actum est, ne oblivionis vel negligentiae vel discordiae causa deleatur, immutetur vel forte dissipetur, memoriae tam praesentium quam futurorum mandavimus. Herbrandus, Gerardi Longi filius, de Merbecca, terram quam in eadem villa jure haereditario in beneficium de nostra manu possidebat cum appertinentiis suis, videlicet pratis, sylvis, pascuis et paludibus, spontanea voluntate ex integro nobis resignavit, ordine judiciario exfestucatum et adjudicatum sibi. Nos autem pietatis intuitu considerantes cum caeteris misericordiae operibus eleemosynam sufficientem esse victimam ad promerendum peccatorum remissionem, praefatam terram cum omnibus appertinentiis suis, petitione ejusdem Herbrandi, cujus fuerat, sicut possederat publico assensu fratrum et sororum nostri conventus ecclesiae Ninivensi, ore et manu concessimus et tradidimus, habendam

jure perpetuo in eleemosynam et censualiter, ita scilicet ut Ninivensis ecclesia pro possessione praetaxata singulis annis, in festo beati Remigii, Nivellensi abbatissae ij solidos Bruxellensis monetae sine dilatione persolvat. Ut autem haec traditio et pactio determinata inconvulsa permaneat in perpetuum praesenti paginae sigillum nostrae ecclesiae impressimus. Actum est autem publice sub signatis testibus, anno incarnati Verbi MCLXI, indictione nona, epacta XXII, imperante domino Frederico, duce Godefrido, Cameracensi Nicolao episcopo, Leodiensium Henrico. S. Everardi, praepositi; S. Everardi, decani; S. Gerardi, S. Arnulfi, S. Danieli, S. Hugonis *Rampart*, S. Herbrandi, ejusdem villae advocati; S. Alhedis, S. Gertrudis, S. Idae.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XVII.

Nicolas, évêque de Cambrai, reconnaît la vente d'une terre faite par l'église d'Haspres à l'abbaye de Ninove. — CATHEM.

1162.

Nicolaus, Dei gratia Cameracensis episcopus, decanis suis de *Hal* et de *Bello*, salutem et pacem. Notum sit et praesentibus et futuris, quod Hasprensens ecclesia terram in confinio Ninivensis ecclesiae sitam, censualiter quinquaginta solidis quotannis persolvendis ecclesiae Ninivensi communi utriusque capituli assensu concesserit. Quod ne ulla temporum mutabilitate labefactetur, nostra confirmamus auctoritate, praecipientes tam vobis quam successoribus vestris, ut de omnibus qui supradictae ecclesiae de praefata terra vim inferre voluerint, plenariam justitiam faciatis. Actum anno Domini MCLXII, episcopatus nostri XXVI.

Original, sceau en cire brune.

XVIII.

Martin, évêque d'Arras, confirme la vente faite par l'église d'Haspres. — CATHEM.

1162.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen. Ego Martinus, Dei gratia ecclesiae B. Vedasti Atrebatensis servus, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus in perpetuo. Quod

piae devotionis affectu, rationabiliter et communi fratrum nostrorum consilio bene a nobis actum est, ne oblivionis vel negligentiae, vel discordiae causa deleatur, immutetur vel forte dissipetur, memoriae tam praesentium quam futurorum scripto commendantes mandavimus. Notum sit igitur omnibus quod illud alodium, quod ecclesia nostra de Haspra, in parochia de Lunbecca, in vico qui dicitur *Cathem*, ab antiquo tenuit in terris, sylvis, pratis, pascuis, cum censu et omni nostro inibi jure, venerabili abbati Gerardo et ecclesiae Ninivensi, jure perpetuo possidendum, ore, manuque concessimus, hoc pacto ut annuatim ecclesiae Hasprensi, in festo beati Lucae quinquaginta solidos Valencinensis monetae, Cameraci sive Hasperae Ninivensis ecclesia persolvat. Si quis autem praefatam ecclesiam Ninivensem de praedicto alodio infestare praesumpserit, nos velut hujus boni auctores et testatores, consilio, justitia et banno auxilium et defensionem nostram fideliter opponemus. Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat, scripto commendatum, nostro et abbatis ecclesiae Ninivensis sigillo confirmavimus, et partito inter utramque ecclesiam cyrographo, reservandum commisimus personis et testibus utriusque ecclesiae subnominatis. Nomina testium : dominus Arnulfus, abbas de *Eham*; Gillenus, prior B. Vedasti; Lambertus, prior secundus; Johannes, prior tertius; Johannes thesaurarius; Robertus de Galci; Robertus, armarius; Balduinus, hospitarius; Everardus, celerarius; Johannes, praepositus; Walterus, camerarius; Anskerus, eleemosynarius; Rainerus, aedituus; Robertus *Florber*, Balduinus *Hasner*, Rogerus, Rodulfus, Wimannus, Robertus, Gilbertus, Gerardus de *Spinoit*. Illi de Haspera : dominus Thomas, praepositus; Fulco, prior; Aldo, Ingelbertus, Haimo, Hugo, Segardus. Ninivenses : Arnulfus, prior; Sigerus, subprior; magister Sigerus; Johannes, celerarius; Balduinus, cantor; Julianus, Hugo de Curia. Actum anno dominicæ incarnationis MCLXII, mense Aprili, xvij kalendas Maii.

Original avec sceaux en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XVIX.

Les évêques de Cambrai et d'Arras ratifient l'accord dont parle la chartre précédente. — CATTHEM.

1162.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Nicolaus, Dei gratia Cameracensis, Godescalcus, Atrebatensis episcopi, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Quia divina moderante dispositione in sancta Syon speculatores plebis Dei constituti sumus, officii nostri exposcit diligentia cauta nos circumspectione praeterita, praesentia considerare et futura, ne quid forte nostra incuria detrimentum patiatur ecclesiae pax et concordia. Proinde conventionem illam ecclesiae S. Vedasti Atrebatensis et Hasprensis cum ecclesia Ninivensi rationabiliter factam et in conspectu nostro et personarum

nostrarum idonearum confirmatam attestazione congrua, scripto et auctoritate nostra stabilire in perpetuum curavimus. Quod ut evidentius testabiliusque perficiatur, cyrographum praeonominarum ecclesiarum subternotare decrevimus, ut in consensu plurimorum testium stet nostri decreti firmitermentum. *Cyrographum.* Ego Martinus, Dei gratia ecclesiae B. Vedasti Atrebatensis servus. Notum sit omnibus quod illud alodium, quod ecclesia nostra de Haspra, in parochia de Lumbecca, in vico qui dicitur *Catthem*, ab antiquo tenuit in terris, sylvis, pratis, pascuis, cum censu et omni nostro inibi jure, venerabili abbati Gerardo et ecclesiae Ninivensi jure perpetuo possidendum ore manuque concessimus; hoc pacto ut annuatim ecclesiae Hasprensi in festo sancti Lucae quinquaginta solidos Valencinensis monetae, Cameraci sive Hasperae, Ninivensis ecclesia persolvat. Si quis autem praefatam ecclesiam Ninivensem de praedicto alodio infestare praesumpserit, nos velut hujus boni auctores et testatores, consilio, justitia et banno auxilium et defensionem nostram fideliter opponemus. Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat scripto commendatum, nostro et abbatis ecclesiae Ninivensis sigillo confirmavimus, et partito inter utramque ecclesiam cyrographo reservandum commisimus personis et testibus utriusque ecclesiae subnominatis. Nomina testium: dominus Arnulfus, abbas de *Eham*; Gillenus, prior B. Vedasti; Lambertus, prior secundus; Johannes, prior tertius; Johannes, thesaurarius; Robertus de Galci; Robertus, armarius; Balduinus, hospitarius; Everardus, cellerarius; Johannes, praepositus; Walterus, camerarius; Anskerus, eleemosynarius; Rainerus, edituus; Robertus *Florber*, Balduinus *Hasner*, Rogerus, Rodulfus, Wimannus, Robertus, Gilbertus, Gerardus de *Spinoit*. Illi de Haspera: dominus Thomas praepositus, Fulcro, prior, Aldo, Ingelbertus, Haimo, Hugo, Segardus. Ninivenses: Arnulfus, prior, Sigerus, subprior, magister Sigerus, Johannes, cellerarius, Balduinus, cantor, Julianus, Hugo de Curia. Hactenus cyrographum. Nos autem hujus decreti paginam nostra auctoritate et sigillorum nostrorum appositione et fidelium testium subsignatione communivimus, ne tantam evidentiam veritatis violaret amplius livor vel praesumptio temeritatis. Haec autem recognita sunt a domino abbate Atrebatensi publice in synodo Cameracensi, coram personis ecclesiae. Signum Theoderici, praepositi et archidiaconi; S. Johannis, Alardi, Everardi, archidiaconorum; S. Hugonis, decani, Walteri, cantoris; S. Hugonis, S.-Amandi, Johannis, Lobiensis, Gilleberti, Montis S.-Martini abbatum. Actum anno Domini MCLXII feliciter.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XX.

Charte de l'évêque de Cambrai, relative au même objet. — CATTHEM.

1163.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Nicolaus, Dei gratia Cameracensis episcopus, praesentibus et futuris in perpetuum. Cum omni gregi dominico pastoralis officii debito jubemur inten-

dere, illis diligentiori cura insistimus qui religiosam vitam agentes suis nos Deo precibus poterunt commendare. Sciant igitur praesentes et futuri, quod totum allodium sancti Aicadri de *Haspre*, prout est in parochia de Lumbecca cum omnibus adjacentiis ipsius allodii, in quo sacerdos denominatae parochiae decimam accipiebat, omni jure et debito solito emancipavimus, et ecclesiae Ninivensi perpetua libertate possidendum, confirmavimus. Tali quidem conditione quod ecclesia Ninivensis sacerdoti de Lumbecca tantumdem alibi recompensabit, quantum ibi videbatur habere, priusquam ecclesia Ninivensis illud ab ecclesia S.-Vedasti Atrebatensis censualiter accepisset. Unde ne quid litis in posterum hoc infringat, auctoritatis nostrae sigillo et subsignatorum testium testimonio praesens scriptum, corroboramus. Signum Theoderici, praepositi et archidiaconi; S. Johannis, Alardi, archidiaconorum; S. Walteri de *Dike*, Warini, Johannis, sacerdotum; S. Willelmi, Walteri, Ulrici, Johannis, Hugonis, canonicorum. Actum anno dominicae incarnationis MCLXIII.

Original, sceau détruit, aux archives de la Flandre orientale.

XXI.

*Charte de Philippe d'Alsace, par laquelle il se porte comme avoué et protecteur de l'abbaye de Ninove*¹.

—
1165.

Imprimée dans *Miraei Donat. Belg.*, lib. II, cap. LIII.

XXII.

Nicolas, évêque de Cambrai, prononce l'excommunication contre ceux qui troubleraient l'abbaye dans la possession des biens dont il fait l'énumération. — NINOVE.

—
1165.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Nicolaus, Dei gratia Cameracensis ecclesiae episcopus, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Quia propitiante Domino pontificali cathedrae licet indigni praesidemus, et si omnibus in commune nostrae dioeceseos fidelibus generalem curam debemus, illis tamen qui felici naufragio abjecta seculari sarcina de mundi hujus fluctuante

¹ Elle ne se trouve ni aux archives de Gand, ni dans le cartulaire de Malines. Aubert Le Mire n'indique pas où il l'a trouvée.

pelago ad tranquillum et placidum contemplationis portum enataverunt speciali dilectionis et sollicitudinis necessitudine obligamur, ut et ex nostris eis prodesse, erga eos liberalitatem approbare et firmare studeamus, quatinus pia vicissitudine de orationibus eorum aliquod imperfectioni nostrae subsidium comparemus: igitur notum fecimus tam modernis quam posteris, quod ecclesiam de Ninive, quam cum omnibus suis appertinentiis pie memorie praedecessor noster Burchardus, Cameracensis episcopus, Amulrici constabularii Flandrensis devotissima petitione liberam effecerat canonicisque delegaverat, nos quoque assensu priorum canonicorumque et rogatu domini Gerardi, praefati Amulrici filii, ejusdem ecclesiae advocati, fratribus secundum apostolicam institutionem et tenorem Praemonstrati ordinis cum suo abbate, loco priorum canonicorum ibidem subrogatis, cum eisdem suis appertinentiis liberam et ab omni exactione quietam concessimus; statuentes quatinus pro anima praefati Gerardi, utpote fundatori abbatiae, in eadem ecclesia jugis memoria habeatur. Porro ne deinceps iidem fratres posterorum infestatione inquietati requietionis suae amoenitate priventur, placuit quasdam possessiones praefatae ecclesiae privilegio nominatim commendare et nostra auctoritate ut inconcussae permaneant corroborare. Sunt autem hae: de terra antiquitus ab eadem ecclesia possessa xxvj bunarii, tota decima de Ninive, omnes mansi circa atrium ejusdem ecclesiae, a manso Reineri ultra Caldenberga pertingentes et ad rivum usque tendentes; molendinum infra atrium de allodio Willelmi de Merbecca, aliud molendinum cum xiiij bunariis terrae et tribus bunariis sylvae. Duo bunarii juxta atrium de allodio Amulrici pueri. Curtis *Rubroc* cum circajacentibus terris et sylvis apud Gisengem. Curtis Gerardi de curia, cum decem et octo bunariis in terris et sylvis. Curtis *Welhencot* cum quindecim bunariis terrae. De terra Amulrici de Stenusia, juxta Quercetum. Quatuor bunarii terrae et tres bunarii sylvae et tertia garba decimae de *Okenghem*. Curtis Scora cum circajacentibus terris et sylvis. Terra quam dedit Herbrandus advocatus de Merbecca in *Rubroc* et super culturam de Ninive allodium de Trube. Allodium quod dedit Clarenbaldus ad Tillietum et quod cambivit apud Kipsteca et *Bozdale*, allodium quod dedit Balduinus de Poleca. Tota decima de *Herlinchoven*, ibidem terra *Dunst*, *Ilant*, *Kesplant*. Henrici *Rot* terra juxta *Anahov*, *Ganstrata*, *Hongerot*, *Viverbroc*, *Perreken*, *Rostwic*, sylva *Mentogh*, duae garbae decimae de *Florsenghem*, apud *Roslar* allodium, quod dedit dominus Gerardus, advocatus de Ninive, cum suis participibus. Haereditas Oisti et cohaeredum ejus, terra quam dedit Robertus de *Asplar*; sylva quam dedit Sigerus de Bosca; terrae et sylvae quas dedit Gillebertus de *Eham*; terra de *Berleisvelt* quam dedit Thomas de Escha; sylva quam dedit Hillinus. Curtis *Reinirsart* cum sylvis, terris, pratis circajacentibus, de quibus Hugo Pauper et filius ejus Franco, et Gislardus, frater ipsius, omne jus suum dederunt, exceptis tribus solidis Nivellensibus per annum et excepta decima terrae ante arabilis; de novalibus vero quinquaginta sartis suam partem decimae similiter dederunt, ad arcendas autem quorumlibet importunitates, data conservatoribus benedictione, in praevaricatores quoad resipuerint excommunicationis sententiam promulgamus, atque canonica subsignatione et sigilli nostri appositione hujus nostri decreti paginam confirmamus. Signum Theoderici, praepositi S. Petri; Alardi, Everardi, Ostonis, archidiaconorum; S. Hugonis, decani, Galteri, cantoris; S. Galteri de Dica, Jobannis, Garini, Arnulfi, Johannis de *Forest*, presbyterorum; S. Bartholomaei, Galteri, Oilrici, Galteri de Caldenberga, levitarum; S. Anselmi de *Cymai*, Johannis, Anselmi de *Beulmeis*, subdiaconorum; S. Parvini, Gilleberti de Monte S. Martini, Galandi, de S. Auberto abbatum. Actum anno Verbi incarnati MCLXV, praesulatus vero nostri vigesimo octavo. Ego Galcherus cancellarius subscripsi et recognovi.

Orig., sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XXIII.

Rase de Gavre et Mathilde, son épouse, donnent à l'abbaye une pièce de terre située à Hollebeke. — ROSLAR.

1166.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Razo de Gavera, divina dispensante clementia, Flandrensium comitis pincerna, una cum uxore sua Magtilde, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Quoniam salutifero veritatis admonemur alloquio facere amicos de iniquo mammona, qui nos in aeterna recipiant tabernacula, divina inspirante gratia placuit fratrum Ninivensium sub regula beati Augustini Deo servientium inopiam pia relevare munificentia. Ob nostram itaque et omnium praedecessorum et successorum nostrorum salutem, praedictis fratribus tradidimus terram quamdam apud Holebecam, quam homines nostri Lambertus et Sigerus de Holebeca in feodum de nobis tenebant et unde alios feodaverant, videlicet illam totam quam Aschericus de Bosca de Rothardo, et postea Giselinus de *Eiham*, gener Ascherici, et uxor Giselini, filia Ascherici *Heilewif* de Rothardo, et fratre ejus Roneido, Rothardus vero et Roneidus de praefatis hominibus nostris Lamberto et Sigeris in feodum tenebant, nominatim Godezonis culturam et *Midelbosc* cum suis adjacentiis terris; videlicet pratis, sylvis et paludibus circa decem et novem bunarios. Addidimus etiam bunarium sylvae, et paulo plus in sylva quae Porci Caput nominatur, partim de feodo Johannis de *Asplar*, partim de feodo Sigeri de Holebeca et Roneidi. Hanc utique sicut expressimus terram cum sylva per singulos haeredes legitime acquisitam et congruo testimonio per ordinem ab extremo possessore gradatim ad nostras usque manus revertentem, et nobis resignatam suscepimus, et praefatis fratribus de Ninive perpetuo habendam omnino ab omni exactione et jure nostro et nostrorum liberam et absolutam concessimus, et hoc donum nostrum hominum nostrorum et aliorum fidelium testimonio et sigilli nostri impressione confirmavimus. Placuit etiam caeterorum haeredum donum eodem alligare firmitate, quod legitimum fuisse contestamur, utpote quod nostro tempore et sub nostra experientia factum certissime cognovimus, et hujus doni et pacti nos et successores nostros testatores et tutores ac defensores in perpetuum fore debere statuimus et confitemur. S. Balduini de Wentica, S. Walteri de *Sottengem* et fratris ejus Gerardi, S. Sigeri de *Erwetengem* et filii ejus Soigeri et Alberti de *Badegem*, Sigeri de *Rodgershoven*, Roberti, clerici de Felseca. Actum anno Domini MCLXVI.

Original, muni du sceau de Rase de Gavre, en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XXIV.

Deux doyens reconnaissent que le chapitre de Meerbeke a vendu à l'abbaye une ferme, à charge d'une redevance annuelle. — MEERBEKE.

—
1166.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Robertus, Dei gratia Bellensis, et Henricus, Bunleretensis decani, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Quia dispensante Domino sollicitudo ecclesiarum Christi nobis incumbit, pacem et concordiam earum nunc et in futurum procurare debemus. Notum ergo esse volumus, quod canonici de Merbecca, Robertus et Ojotus, in capitulo nostro et nobis audientibus testificati sunt, se una cum fratribus suis, Arnulpho videlicet presbytero et Eustachio scholastico, toto scilicet suo capitulo, ecclesiae Ninivensi jure haereditario mansum unum censualiter in perpetuum, apud Caldenberga dedisse, ut videlicet ecclesia de Ninive canonicis de Merbecca duos solidos Valencinenses in natale Domini singulis annis persolveret. Quod ut ratum in perpetuum permaneret nostri capituli testimonio et nostro, et quum ipsi sigillum non habebant, nostris sigillis testimonium suum confirmari voluerunt. Recognoverunt etiam praefati canonici, Robertus videlicet et Ojotus, in nostro itidem capitulo se et confratres suos decimam, quam de feno fratrum Ninivensium accipere jure poterant, eisdem Ninivensibus fratribus censualiter pro quatuor solidis Valencinensibus annuatim, perpetuo jure tribuisse. Hujusce modi testimonium, ut deinceps firmum et verum reciperetur et teneretur, sigillorum nostrorum impressione et testium subscriptione confirmavimus. S. Walteri, sacerdotis de *Eichem*, S. Sigeri, sacerdotis de *Hasselt*, S. Balduini, sacerdotis de *Stenhusen*, S. Walteri, sacerdotis de *Wentica*, S. Alardi, sacerdotis. Actum anno Domini MCLXVI.

Original aux archives de la Flandre orientale, les sceaux perdus.

XXV.

Gérard, seigneur de Grimberge et de Ninove, confirme la donation faite à l'abbaye par son fondateur Gérard de Ninove. — NINOVE.

—
1167.

Imprimée dans *Miraei Donat. belg.*, lib. II, cap. LIV, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXIII.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau détruit.

XXVI.

Philippe d'Alsace déclare que l'avouerie de l'abbaye appartient aux comtes de Flandre, et confirme la charte de Gérard de Grimberge. — NINOVE.

—
1167.

Imprimée dans *Miraci Donat. belg.*, lib. II, cap. LV, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXIV.

Original, avec le sceau du comte Philippe en cire brune, pendant à double queue de parchemin, aux archives de la Flandre orientale.

XXVII.

Philippe d'Alsace se reconnaît avoué et défenseur de l'abbaye. — NINOVE.

—
Vers l'an 1167.

Ego Philippus, Dei gratia Flandrensium comes, notum esse volo tam futuris quam praesentibus, quod ego ecclesiae de Nineva advocatus et defensor sum, et eam protegere debeo ab omnibus ei injuriam inferre volentibus; si quis igitur adversus ecclesiam quidquid forisfacere praesumeret, vel adversus pertinentia ad ecclesiam illam, sciat profecto quod hoc contra me ipsum faceret, et si quis adversus eam, vel adversus ea, quae ad ipsam spectant, quidquid dicere vel aliquid juris sui ostendere voluerit, ad curiam meam veniat, et ego, tanquam advocatus ecclesiae, super hoc ei justitiam tenebo. Praefatam ecclesiam in mea suscepi advocatia et protectione, coram his testibus: Teoderico de *Alost*; Eustachio, camerario; Roberto, Ariensi praeposito; Balduino, Yprensi praeposito; Hugone, abbate S. Petri; Sigero de *Someringem*; Bernardo de *Someringem*; Waltero, fratre ejus.

Original, sceau en cire brune endommagé, aux archives de la Flandre orientale.

XXVIII.

Raoul, doyen de Noyon, donne à l'abbaye une dime qu'il possède à Menz. — MENZ.

—
1171.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Rodulfus, Dei gratia Noviomensis ecclesiae decanus, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit omnibus quod ob remedium animae meae et salutem animarum patris et matris meae, quidquid juris in decima de Menze ab antecessoribus meis habere debueram, ecclesiae Ninivensi libero dono in eleemosynam dedi, et coram hominibus meis et aliis idoneis testibus, recognovi me vel meos in eadem decima nihil deinceps juris vel querelae habere, exceptis straminibus et paleis et xij denariis Brusellensibus, et contra omnem de hoc jure et dono canonicam impetitionem et calumniam me debitam tuitionem et plenam, ut vulgo loquar, warandisiam me debere promisi. Ut autem donum ecclesiae firmum et stabile perseveret, idoneo testimonio scripto et sigilli mei appositione confirmavi. Testimonium Meinzonis, sacerdotis; Walteri Canis, subdiaconi; Balduini villici; Reineri et filii ejus; Henrici Walteri, militis; Gozuini, Wenezonis, Gisekini. Actum anno Domini MCLXXI.

Original, sceau perdu, aux archives de la Flandre orientale.

XXIX.

Francon, châtelain de Bruxelles, donne à l'abbaye un fief situé à Catthem. — CATTHEM.

—
1175.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Franco, castellanus Brusellensis, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Scripturae divinae admonitione instructus, quod fideles quosque de iniquitatis mammona amicos facere praecipit, qui eos in aeterna recipiant tabernacula, ecclesiae Ninivensi in honore beatae Mariae et sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani constructae, et domino Gerardo ejusdem ecclesiae abbati, ob remissionem peccatorum meorum et in perpetuum mei meorumque in praefata ecclesia memoriam, Henricum de Lewa hominem meum, beneficio quodam meo feodatum, cum sua posteritate, consilio aliorum hominum meorum, cum toto quod de me tenebat feodo, in eleemosynam habendum in perpetuum concessi; feodum autem illud et beneficium est advocatia de allodio sancti Aychadri, apud *Catthem*, et quidquid praefatus Henricus de me tenebat apud *Strithem*. Ut autem donum hoc ratum sit in perpetuum, sigilli mei appositione et legitimo

testimonio confirmavi. Testimonium Gerardi personae de Brachna; test. Ysaaci de Silva; test. Erleibaldi sacerdotis; test. Henrici de Halla; test. Ingelberti de Nisella; test. Iwaini de *Bigartdem*. Actum anno Domini MCLXXIII.

Original aux archives de la Flandre orientale.

XXX.

L'abbé de Grimberge confirme la donation d'une dîme, faite à l'abbaye par Amauri d'Ophem et ses frères. — MENZ.

1176.

Ego Egbertus, Grimbergensis ecclesiae dictus abbas, tam futuris quam praesentibus. Amelricus, Adam, Walterus, Paridam, filii Willelmi de *Ophem*, quidquid pater ipsorum vel ipsi calumnie habuerant in decima ecclesiae de Ninive quae jacet in *Ophem* et Menza, in eleemosynam ecclesiae Ninivensi dederunt, pro animabus patris et matris eorum et exfestucaverunt et fide interposita super sanctos abjuraverunt. Testes hujus rei, ego Engelbertus, abbas Grimbergensis, Gummarus pastor, Alexander decanus, Walterus, Sygerus, Gozuinus, Menzo, Arnoldus, et Arnoldus, sacerdotes. Arnoldus Hircus, *Hobosch*, David, Amekinus, Walterus *Ketel*, Johannes *Sumpch*, Arnoldus de *Molenwic*, Arnoldus *Coleman*, Walterus et Iwainus de *Wemblen*, Johannes *Calas*, Johannes *Kerman*, Sygerus *Nesecken*, Ecbertus de Asca, Sygerus *Bau*, Fulco et Franco de Wemblinis, milites, Amelricus, Henericus, filii Walteri *Ketel*, et alii plures. Acta sunt haec ad sepulturam praedicti Willelmi, quando translatus est in atrium, de loco ubi causa excommunicationis extra atrium humatus fuerat, anno Domini incarnationis MCLXXVI.

Cartulaire de Malines.

XXXI.

Philippe d'Alsace confirme la donation d'une propriété allodiale, faite par Guillaume de Lewe (Denderleeuw) à l'abbaye de Ninove. — STRITHEM.

1176.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Philippus, ordinatione divina Flandriae comes et Viromandiac, tam futuris quam praesentibus. Willelmus, filius Henrici de *Lewe*, beneficium suum

totum, quod de ecclesia Ninivensi in feodum tenuerat, videlicet advocatiam super allodium sancti Aychadri in parochia de Lumbecca, garbam quoque et censum apud *Strihem*, cum caeteris omnibus ad hoc beneficium pertinentibus, praedictae Ninivensi ecclesiae in eleemosynam dedit, seseque cuicumque hujus muneris calumniatori utpote auctorem muneris pro ecclesia satisfacere debere promisit, uxore et sororibus ipsius Willelmi, cum liberis omnibus earum assensum praebentibus. Hoc autem beneficium praedictus Willelmus in manus meas et in meam potestatem integraliter tradidit, ut illud pro debito et sollicitudine advocatae quam super Ninivensem habeo ecclesiam, ad utilitatem ipsius custodiendo, prout fas et jus esset, tuerer. Recognovit etiam idem Willelmus ante me, quod quidquid in terris, pratis et sylvis, dono vel eleemosyna sive quolibet commercio Henrici, patris sui, Ninivensis ecclesia possidet, deinceps quiete et absque omni patris obtineret querela, et nulla eam amplius super his ipse pulsaret calumnia. Hoc donum et pactum ut deinceps stabile et intermeratum permaneat, praesenti scripto sigilli mei appositione et congruo hominum meorum testimonio confirmavi. S. domini Petri, fratris comitis; S. Cononis, castellani de Brugis; S. Sigeri de *Gant*; S. Balduini de *Wenti*; S. Gerardi de *Sotengem*; S. Rogeri, tribuni de *Curtrai*; S. Balduini *Rucint*. Actum anno Domini MCLXXVI, mense Februario.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau en cire brune endommagé.

XXXII.

Gautier, avoué de Pollar, cède aux religieux les droits qu'il possédait sur les eaux entre Bullenghem et un moulin du couvent. — MENZ.

1176.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Walterus, advocatus de Pollar, et uxor ejus Gisla, tam futuris quam praesentibus. Notum esse volumus tam futuris quam praesentibus quod quidquid juris habuimus in aquis inter *Bullenghem* et molendinum fratrum Ninivensium, Ninivensi ecclesiae in eleemosynam dedimus, sic etiam ut nec nobis, nec successoribus nostris, nec alicui ex parte nostra, inter duo molendina, scilicet *Bullenghem* et molendinum fratrum de Ninive amplius molendinum construere liceat. Hoc autem ut ratum permaneat, sigilli nostri appositione et hominum nostrorum testimonio confirmamus. Signum Desiderii de *Itterbecca*; Paridani de *Sone*; Walteri et Henrici, fratrum de *Zamberghe*; et Balchoni. Anno Domini MCLXXVI.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XXXIII.

L'abbé Egbert de Grimberge confirme la donation faite par Amaury d'Ophem et ses frères. — MENZ.

—
1176.

Ego Egbertus, Grimbergensis ecclesiae dictus abbas, tam futuris quam praesentibus. Amelricus, Adam, Walterus, Paridan, filii Willelmi de *Ophem*, quidquid pater ipsorum vel ipsi calumnie habuerant in decima ecclesiae de Ninive quae jacet in *Ophem* et Menza in eleemosynam ecclesiae Niniensi dederint pro animabus patris et matris eorum, et exfestucaverint, et fide interposita, super sanctos abjuraverint. Testes hujus rei, ego Egbertus, abbas Grimbergensis; Gummarus prior; Alexander decanus; Walterus, Sigerus, Gozuinus, Menzo, Arnoldus et Arnoldus sacerdotes; Arnoldus, Hircus, *Hobosch*, David, Amekinus, Walterus *Ketel*, Johannes *Gumpen*, Arnoldus de *Molenwic*, Arnoldus *Coleman*, Walterus et Ywainus de *Wemblen*, Johannes *Calas*, Johannes *Kerman*, Sigerus *Neveken*, Ecbertus de Asca, Sigerus *Bau*, Franco et Franco de Wemblinis, milites; Amelricus, Henricus, filii Walteri *Ketel*, et alii plures. Acta sunt haec ad sepulturam praedicti Willelmi, quando translatus est in atrium, de loco ubi causa excommunicationis extra atrium humatus fuerat, anno dominicae incarnationis MCLXXVI.

Original, sceau détruit, aux archives de la Flandre orientale.

XXXIV.

Philippe d'Alsace donne à l'abbaye une rente annuelle de xl sous pour le pain et le vin des messes. — NINOVE.

—
1177.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis in perpetuum. Ego Philippus, Flandriae et Viromandiae comes, notum esse volo omnibus, quod pro salute animae meae dedi in eleemosynam ecclesiae de Ninive quadraginta solidos singulis annis accipiendos Brugis, in dominica Palmarum, ex officio Lambini notarii. De istis vero denariis statui ut solummodo procurentur vinum et panis ad conficiendum sacrificium altaris. Ne igitur haec eleemosyna apud aliquem possit infringi vel cassari, sigilli mei auctoritate eam confirmari praecepi, anno Domini MCLXXVII.

Original, sceau en cire brune endommagé, aux archives de la Flandre orientale.

XXXV.

Bulle du pape Alexandre III, qui confirme à l'abbaye la possession de tous ses biens. — NINOVE.

A St-Jean de Latran, 1178.

Imprimée dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXI.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau détruit.

XXXVI.

Godefroi, duc de Lothier, donne à l'abbaye une avouerie et un bénéfice à Strithem. — CATHEN.

1178.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Godefridus, divina ordinante providentia, dux Lotharingiae, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Ratum fore et more praedecessorum meorum, ducum orthodoxorum, stabile permanere statuo quicquid Christo et ejus sanctae ecclesiae ratione et spe salutis aeternae, praebeo et confirmo. Proinde advocatiam de allodio S. Aychadri in parochia de Lumbecca, et beneficium quoddam apud *Strithem*, videlicet garbam, censum et caetera omnia ad hoc beneficium pertinentia, quam advocatiam et quod beneficium Henricus de *Lewe* de castellanq̄ Bruxellense feodaliter tenuerat, castellanus vero de me habuerat, Ninivensi ecclesiae largitus sum et ea eam ab omni exactione meorum et mea perpetuo libera possidere decerno. Hanc autem advocatiam et illud beneficium castellanus Bruxellensis ob aeternam mei et meorum, sui suorumque vivorum vel defunctorum salutem praefatae ecclesiae Ninivensi in eleemosynam largitus est, quae ut ejusdem eleemosynae merear participium et in Ninivensi coenobio fraternitatis consortium animo benignissimo et ipsi concessi, hoc retento ut in his et in aliis me praedictae ecclesiae consilium, auxilium et tutelam debere profitear. Ut autem hoc donum salutare, stabile et inconvulsus permaneat, scripto et legitimo testimonio necnon et sigilli mei adminiculo illud corroboravi. Testes Philippus, abbas de Parco; et Thomas, ibidem prior; Arnoldus de *Rotstar*, dapifer; et filius ejus Arnoldus. Actum anno Domini MCLXXVIII.

Original, sceau en cire brune endommagé, aux archives de la Flandre orientale.

XXXVII.

Gérard, abbé de S'-Pierre à Gand, confirme la vente d'un domaine de son abbaye à celle de Ninove. — ROSLAR.

1179.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Gerardus, divina ordinante providentia, ecclesiae S. Petri Gandensis abbas, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit tam praesentibus quam posteritati fidelium ecclesiam nostram quoddam allodium in terris, pratis, sylvis, in parochia Ransbecca, in vico *Roslar* liberum tenuisse, et illud integraliter ecclesiae Ninivensi, eadem libertate qua illud tenerat, liberum dedisse et vendidisse, singulos bunarios videlicet pro tribus marcis puri argenti et Flandrensis ponderis, et de hoc allodio et dono legitimam auctoritatis tutelam et plenam warandisiam praefatae ecclesiae debere et promississe. Adeo ut siquis super hoc allodio eandem ecclesiam aliqua ecclesiastica querela pulsare tentaverit, nostra ecclesia se fideliter per omnia opponere tentanti debeat, et ecclesiae Ninivensi hoc donum tueri et conservare. Hoc autem rationabiliter et legitime factum, ut deinceps inconvulsum et quiete perseveret, nostri capituli testimonio et aliarum religiosarum personarum, necnon et sigilli nostri appositione confirmatum est. Testimonium Willelmi, abbatis S. Bavonis; testimonium Hugonis, abbatis S. Petri; testimonium Hildebrandi, abbatis Gethensis; testimonium Ingelberti, prioris; Ricuardi, subprioris; Lamberti, cellarii; Eustachii, custòdis; magistri Wilhelmi; Lamberti sacerdotis; Eustachii *Gulle*; Henrici *Werregarne*. Actum anno Domini MCLXXIX, et recognitum in capitulo nostro.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XXXVIII.

Rase de Gavre donne à l'abbaye une terre nommée Huppessrot. — ROSLAR.

A Gavre, 1179.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Razo de Gavera, divina ordinante providentia, comitis Flandriae pincerna, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum esse volumus omnibus nos ob remissionem peccatorum nostrorum et salutem parentum et liberorum nostrorum, beneficium quoddam apud Hollebeccam circiter vj bunariorum, *Huppessrot* nomine, ecclesiae Ninivensi in

eleemosynam liberum et ab omni exactione absolutum dedisse. Hoc beneficium Sogerus de Hollebecca a nobis in feodum tenuerat et a Sogero Willelmus de Walehova feodaliter tenebat. Willelmus vero hoc beneficium Sogero resignabat, Sogerus vero nobis. Nos autem praefatae ecclesiae libere donavimus et certa fidei jussione nos et posteros nostros obligavimus, pollicentes ut quicumque praefatam ecclesiam pro hoc beneficio querela pulsare tentaret, noster principatus et advocatia objiceretur et integre beneficium ecclesiae tueretur. Ut autem hoc ratum et inconvulsum permaneat, privilegio et sigilli nostri appositione et legitimo testimonio confirmavimus. Testimonium Gozuini de Scendelbecca, Soikini de *Stenhusen*, Ebbini de *Lilar*, Gislardi de *Scorebruc*, Leonii de Winti, militum; Robini de Dickelvenna, Henrici de Munta, sacerdotum; Leonii, diaconi de Eina. Actum anno Domini MCLXXIX, apud Gavera, in festo sancti Dionysii, in dedicatione ecclesiae ejusdem villae.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XXXIX.

Roger, évêque de Cambrai, donne à l'abbaye l'église de Pamele.

— PAMELE.

—
1170.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Rogerus, Dei gratia Cameracensis episcopus, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Officii nostri ratio postulat ut profectibus ecclesiarum quae nostrae administrationi subditae sunt propensioem indulgeamus diligentiam, et eis praesertim, quos sanctae conversationis suavis opinio et Christo commendat et mundo. Ad notitiam igitur posterorum transcribimus quod altare de Pamela, quod in nostras manus mortua persona devolutum erat, ecclesiae S. Mariae Ninivensi, cum appenditio suo Ledeburga nomine, eleemosynae pro animabus antecessorum nostrorum episcoporum atque amicorum nostrorum, libere donavimus, salvo jure nostro et officialium nostrorum. Hujus autem donationis nostrae solemnitas ut rata permaneat, sub anathematis interminatione prohibentes ne aliquis eam amodo violare vel perturbare praesumat, cartulam istam sigilli nostri auctoritate et subscriptorum testium appositione dignum duximus roborare. Signum Walteri archidiaconi; SS. Anselmi, Walcheri, Herberti, Ulrici, Egidii, clericorum nostrorum; signum Henrici, decani de Bruxella; Roberti, decani de Bello. Actum anno Domini MCLXXIX, indictione XII, epacta XXII, anno nostri praesulatus primo.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XL.

L'abbé de Jette reconnaît les droits de l'abbaye de Ninove sur l'église de Liedekerke. — LIEDEKERKE.

—
1180.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Hildebrandus, divina ordinante clementia, Gethensium abbas, totusque noster conventus tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Quum unius servi sumus Dei et unius fidei, spei et caritatis ejusdem ordinis et professionis, concedet ut unum in Domino cor habeamus et animam unam, et quidquid hanc Christianorum pacem, in qua Dominus habitat exturbare valet, de medio tollatur, et pax ipsa firmissime stabiliatur; quapropter querelam illam veterem inter nostram ecclesiam et Ninivensem diu ventilatam libere et bona voluntate omnino deponimus, verissime cognoscentes et profitentes Liedekercensem ecclesiam cum suis appenditiis nullius ecclesiae fuisse appenditium, unde nec nostrae, sed penitus per se liberam et ab episcopo Cameracensi, ad cujus dispensationem ordinatio hujus et aliarum ecclesiarum pertinuit transferri potuisse, et eam a Ninivensi ecclesia jure et absque calumnia possideri. Hujus autem veritatis assertionem perpetuo tenendam cum omni capitulo nostro consensimus et sigilli nostri appositione et congruo testimonio confirmavimus, hoc expostulantes ut ad hujus veritatem tuendam plura abbatum sigilla huic nostro scripto pro testimonio supponantur, nominatim autem ordinis abbatis Praemonstratensis, Laudunensis. Testimonium Eggeberti, abbatis Grimbergensis; testimonium Walteri, abbatis Trunciniensis; testimonium Theoderici, prioris nostri; Gozuni, subprioris, Fromoldi, Alsteni, sacerdotum. Actum anno Domini MCLXXX.

Original, sceaux en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XLI.

Michel, connétable de Flandre, donne à l'abbaye une rente annuelle. — LOETSH.

—
A Boulaere, 1181.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Michaël, constabularius Flandriae, omnibus inspecturis has litteras salutem. Norint praesentes et posterius, quod ego et uxor mea Ada et filius meus

Philippus, et uxor ejus *Aliz*, ob nostrarum et omnium propinquorum nostrorum animarum salutem bona voluntate et pari consensu dedimus ecclesiae de Ninive in perpetuum eleemosynam triginta solidos Duacensis monetae, ut ex hac eleemosyna in ipsa Ninivensi ecclesia coram Domini corpore luminare jugiter et in aeternum procuretur. De terra Walteri clerici sumentur quinque solidi, et apud Onkersellam de terra Rikemanni quinque solidi, de terra Stephani Stortere octo solidi, de terra Udelini duodecim solidi. Haec autem eleemosyna in festo sancti Martini quotannis recipietur. Si vero in ipsa die ab his qui terram possident ecclesiae soluta non fuerit, ipsam terram ecclesia de Ninive ut suum allodium saisabit. Ut autem hoc ratum deinceps perseveret, scripto hoc sigillo nostro signato et testium qui dono interfuerunt attestatione munimus et auctorisamus. S. Gerardi, presbyteri et capellani, S. Sigeri de *Nimmendonc*, S. Rogeri de *Bonlaret*, Walteri, clerici, Danielis de Ducia. Actum apud *Boular* MCLXXXI, sexto kal. Januarii.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XLII.

Le même déclare qu'il prend l'abbaye sous sa protection, par ordre du comte Philippe d'Alsace. — NINOVE.

—
1181.

Imprimée dans *Miraei Donat. Belg.*, lib. II, cap. LVIII, et dans les preuves, du tom. II des *Anal. ord. Praem.*, col. CCXXXII.

XLIII.

Philippe d'Alsace confirme les droits de l'abbaye sur l'église de Pamele. — PAMELE.

—
A Liedekerke, 1182.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Philippus, divina ordinante providentia, Flandriae comes et Viromandiae, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Scriptum est : Beati pacifici

quia filii Domini vocabuntur; spe autem hujus filiationis promerendae pacem inter Ninivensem ecclesiam et Walterum de Ledeberga, cognomento *Hawel*, composui hoc ordine. Praedictus Walterus *Hawel*, coram me et aliis idoneis testibus, confessus est se altare de Pamele et fructus ejus injuste tenuisse, et eosdem fructus cum omni jure altaris praefatae Ninivensi ecclesiae recognovit et exfestucans libere deinceps possidere concessit, obligans se fide data et congruo testimonio, quod omnia jura ecclesiae de Pamela et appenditii ipsius Ledeberga ad utilitatem et commodum canonicorum Ninivensium fideliter tueretur et integre conservaret, omniumque propinquorum suorum in hoc negotio querelas deponeret, eosdemque in hac causa consentaneos faceret, addens etiam quod ecclesia de Ninive in omni parochia de Pamela et Ledeberga communem usum in aquis, pascuis et caeteris communibus hominum usualibus in perpetuum libere haberet. Huic conditioni uxor ipsius Walteri *Hawel*, *Lugart* et filii ejus Wilhelmus et Walterus, per omnia assensum praebuerunt. Hujusmodi autem concordiae et pacis conservandae, petitione ejusdem Walteri *Hawel*, adjutor et conservator constitutus sum, et dominus ejus, dominus Gerardus de Grimbergis, quidquid juris inibi habere dicebatur ecclesiae Ninivensi libere concessit. Hujus etiam rei testes et conservatores sunt Gerardus de Grimbergis, Razo de Gavera, Theodericus de Beverna, Gerardus de Hasselt, Sigerus de *Gant*, Gerardus de *Sotengem*, Walterus de *Canphyn*, Oliverus de *Maglin*, Sigerus de *Cortrai*, Sigerus, castellanus de *Alost*. Hi omnes data fide hoc pactum se Ninivensi ecclesiae conservaturos polliciti sunt. Fuerunt et alii testes, abbas de Parco, Philippus, et abbas de *Get*, Hildebrandus, Wilhelmus, sacerdos de Pamela, Giselbertus de *Poperoth* et filii ejus, Henricus et Ingelbertus *Amekin*, et alii quamplures. Hoc autem ut stabile et inconvulsum in perpetuum permaneat, auctoritate mea et sigilli mei appositione corroborare et confirmare curavi. Actum apud Lidekerca, anno Domini MCLXXXII, pridie nonas Augusti, epacta decima quarta.

Original, sceau en cire brune endommagé, aux archives de la Flandre orientale.

====

XLIV.

Les abbés de Grimberge et de Jette déclarent avoir vu l'acte d'une donation faite à l'abbaye. — MENZ.

—

1182.

Engelbertus de Grimbergis, Hildebrandus de *Get*, Dei gratia abbates, omnibus Christi fidelibus. Notum sit omnibus tam futuris quam praesentibus, quod Willelmus de *Craienhem* cum uxore sua, consentientibus fratribus suis, Daniele et Reinero, atque sorore ipsorum Hildegarde, vendidit et dedit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi quidquid juris habuit in decima apud *Menz* et *Ophem* et *Lendbosc* et *Rotden*, praeter decimam de cultura ipsius apud *Menz*; quae cultura trium vel quatuor

bunariorum esse dicitur vel paulo minus vel amplius, et de eadem cultura decima ipsius ad Ninivensem ecclesiam post mortem ipsius deveniret, si sine haerede obiret. Hoc pactum et donum vidimus et audivimus, et sigillorum nostrorum impressione et nostro testimonio et aliorum fidelium confirmavimus. Testes Henricus, sacerdos de Woluwe, Reinerus *Ruscbose*, Franco Lupus, Anselmus de *Gisenkem*, Adam de Grimbergis, Walterus *Bosc* et alii plures. Actum anno dominicae incarnationis MCLXXXII, mense Januario.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

XLV.

Le comte Baudouin de Hainaut confirme la donation d'un moulin à l'abbaye.

— REINIRSART.

A Binch, 1182.

In nomine Domini. Ego Balduinus, Dei gratia, a Balduino comite qui Hasnonium reaedificavit, ubi et sepultus quiescit, qui et Franciam procuravit, et Flandriae simul ac Hannoniae monarchiam suis temporibus obtinuit, ego, inquam, ab illo Hannonensium comes quintus, praesenti et venturae generationi notum fieri volo quod homo et miles meus, Gerardus de Rohinus, a sorore sua Yda xxj marcas argenti Coloniensi pondo impetravit, atque in praesentia mea et uxoris meae Margaretae, bajulique mei Roberti de Gamapia et quorundam baronum meorum portionem suam molendini quod de Raineri sarto dicitur cum vivario et terra eidem loco appendicia, praefatae suae Ydae sorori in vadimonium pro praenominata pecunia dedit, ea conditione ut praememorata soror sua Yda numeratim sortem suam, praedictas videlicet xxj marcas argenti Coloniensi, ut dictum est, pondo ex fructibus molendini, vivarii et terrae sicut vadia se habent ex integro recipiat. Quod si fratre suo Gerardo adhuc vivente, sortem suam, ut diximus, ex integro receperit, Gerardus molendinum suum et caetera, vivarium suum atque terram suam libere possidebit. Si vero ante novissimum receptae sortis denarium saepedictum militem Gerardum obire contigerit, praescripta soror sua Yda praetaxatum vadium, quoadusque praedictas xxj marcas a capite in caput denuo ex integro receperit, libere obtinebit, donec justior haeres adveniat, qui redditus xxj marcis praescriptum vadium ab ea redimat. Si autem praefatam pecuniam vel in eleemosynam tradere vel in alios usus traducere jam saepedicta Yda voluerit absque omni offendiculo ex ea velle suum facere poterit, hujus vero conventionis me et uxorem meam Margaretam saepedictus miles Gerardus obsides fecit, sed et bajulum terrae meae Robertum eodem obsidatum similiter obligavit, unde ne qua super his emergat dissentio, ut pactio- nis hic tenor fideliter ac sincere et immutabiliter queat conservari, rem prout gesta est scripto commendavimus ac nostrorum impressionibus sigillorum cartae praesentis testimonium consignavimus, cum subscriptionibus apposis eorum qui testes interfuere nominibus. Subscriptio domini

Gerardi de S. Oberto ; S. domini Nicholai de *Barbenzon* ; S. domini Walteri de Warini ; S. Gilleni, castellani junioris de Bello Monte ; S. Symonis de *Marez* ; S. Gillardi de *Bruile*. Actum anno incarnationis dominicae MCLXXXII, principatus vero mei anno decimo secundo. Datum Bincii, per manum Gilleberti secundi notarii mei, mense Maii, viij kalendas Junii.

Original, sceaux en cire brune fortement endommagés, pendants à doubles queues de parchemin, aux archives de la Flandre orientale.

 XLVI.

Gérard, abbé de Ninove, reconnaît les termes d'un accord fait entre lui et la dame d'Asche. — LIEDEKERKE.

Sans date¹.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Gerardus, Dei gratia Ninivensis ecclesiae abbas. Notum esse volumus tam praesentibus quam futuris, controversiam inter nos et Chonegundem de Ascha et filium ejus Gervasium de terra Abbonis habitam, hoc modo esse determinatam. Consilio fratrum nostrorum et aliorum idoneorum virorum praenominatae mulieri et filio ejus duas marcas et mansum unum quem habuimus juxta Alfnam, cum terra nostra eidem manso contigua, hoc pacto dedimus, ut singulis annis nostrae ecclesiae Valentianensem denarium in festo beati Remigii praebere, et post mortem ejusdem Chonegundis et filii ejus Gervasii necnon et filiae Lutgardis, mansum eundem cum terra libere et absque reclamatione successorum vel cognatorum eorum ecclesia nostra reciperet, ipsa autem Chonegundis et filius ejus Gervasius et filia Lutgarde quidquid juris in terra praedicti Abbonis habuerunt in parochia Lidekerkensi, praeter pratum quod dominus Wilhelmus tenebat, nostrae ecclesiae facta abfestucatione praebuerunt. Hujus rei testes fuerunt A jotus, decanus de Ninive ; magister Sigerus de Haltra ; Robertus, sacerdos de Ascha ; Arnoldus de Ascha et fratres ejus Julianus et Balduinus ; Anselmus de *Hohte* et filii ejus Theodericus, Lambertus, Ingelbertus de *Strithem*.

Original, sceau perdu.

¹ L'abbé Gérard eut l'administration du couvent depuis 1142 jusqu'à 1186.

XLVII.

Berthe, abbesse de Nivelles, garantit à l'abbaye la possession des biens qu'elle a acquis ou qu'elle pourra acquérir à Meerbeke. — MEERBEKE.

—
1183.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Berta, divina ordinante providentia, Nivellensis abbatissa, tam futuris quam praesentibus. Cum omnibus in commune benefacere debeamus pauperibus, tamen Christi et domesticis fidei prae caeteris familiare beneficium debere tenemur, ut eorum precibus et meritis in aeterna recipiamur tabernacula: ecclesiae igitur Ninivensi, cui fraterna caritate obligamur, hoc beneficii pactum confirmamus ut quidquid per praecedentes abbatissas vel per quoslibet alios fideles acquisitum in praesentiarum tenet in terris et pratis, in sylvis et aquis, in parochia de Merbecca vel in aliis parochiis specialiter ad mensam nostram pertinentibus, vel deinceps acquisitura est, salvis nostri juris redditibus, stabile et incon vulsum detineat. Hoc autem jus et beneficium tam absolute et libere praefatae ecclesiae in eleemosynam concedimus, ut quidquid ipsa in praefatis parochiis sine querela adipisci poterit nostro assensu, id fieri fateamur et eam ab injustis exactionibus et placitorum occasionibus omnimodis absolvimus. Hujus vero charitatis nostrae largitio ut rata deinceps perseveret, sigilli nostri appositione et fidelium testimonio confirmamus. S. Ivaini, sacerdotis de Nivellis; S. Salomonis, cellerarii; S. Walteri, sacerdotis de Merbecca; S. Milisendis; S. Walteri, clerici abbatis. Actum anno MCLXXXIII.

Original, sceau détruit, aux archives de la Flandre orientale.

XLVIII.

Gérard de Grimberge déclare que Goswin de Soven a reconnu les droits de l'abbaye sur l'alleu de S^t-Aychadre, et donne un vidimus de l'acte souscrit par Goswin à ce sujet. — CATTHEM.

—
1184.

Gerardus de Grimbergis, omnibus fidelibus tam futuris quam praesentibus. Notum sit omnibus quod Goswinus de Soven, filius Gerardi, recognovit et confessus est coram me et hominibus meis, quod de omni controversia quae fuerat inter ipsum et Ninivensem ecclesiam omnis querela sopita et ad plenariam pacem redacta sit, et de nullo jure suo in allodio S. Aychadri amplius eandem ec-

clesiam pulsare vel inquietare debeat, nec amplius quid habeat, nisi quantum continetur in cyrographo quod inter ipsum Goswinum et praefatam ecclesiam compositum est, et ne cyrographum ipsum aliqua negligentia corrumpatur vel amittatur, placuit ipsum mea auctoritate et meo confirmare sigillo. Est autem hoc cyrographum. « Notum sit tam futuris quam praesentibus quod Goswinus habebit terram illam quam abbas emerat ab Henrico domito Neptuno, nominatim terram illam, pro qua lis orta est, et de tota illa howa ad quam praedicta terra illa pertinet quinque solidos et dimidium bruxellenses in feodum, cum avena quae inde provenit. Si domum vel horreum super ipsum allodium aedificare voluerit, consilio abbatis vel magistri curiae, in sylva S. Aychadri habebit ligna, et si ipse in domo propria super ipsum allodium manserit, singulis septimanis unam solam carratam in sylva S. Aychadri in eo loco et de similibus lignis ubi nos ligna ad ignem sumimus in feodum habebit, in Natali, in Pascha, in Pentecosten duas. Si cultorem terrae suae ibidem posuerit, cum quo ante conjugium vel post conjugium certissimam et parochialem mansionem habuerit, hoc idem jus et eandem conditionem lignorum ad ignem habebit. Si autem se sic ab allodio praedicto abstinaverit ut alibi certiore mansionem habuerit, nec ipse nec cultor ejus de praedicto jure lignorum aliquid habebit. Hoc idem jus haeres ipsius Goswini, si super ipsum allodium manserit, habebit. Hoc est jus ipsius, et praeter hoc nihil penitus in sylva S. Aychadri habebit. De omnibus his lignis sive ad domum sive ad ignem pertinentibus de allodio evehere vel vendere ei non licebit. Huic conditioni mater Goswini et sorores ipsius et matertera ejus consensum praebuerunt, et quidquid juris in sylva S. Aychadri habere videbantur exfestucando abdicaverunt. Hujus pacti conservandi dominus Gerardus de Grimbergis fidejussor est. Si ecclesia pactum infringit, ipse dominus Gerardus per se et per suos Goswino auxilio erit, si Goswinus infringit, idem dominus ecclesiae auxilio erit, et quaecumque bona ipsius Goswini sunt infra potestatem ipsius domini Gerardi erunt. Hujus conditionis testes sunt dominus Gerardus de Grimbergis et filius ejus Arnoldus, Giselbertus de *Alost*, Galterus de *Malbroc*, Galterus Runga, Goswinus Bolla, Galterus, sacerdos de *Eichem*, Thomas de *Goike*, Razo de Capella, Arnoldus Hancraja, Baldwinus de *Strithem*, *Brentin* de *Suven*. » Hucusque cyrographum. Hanc recognitionem et plenariae pacis de omni causa vel qualibet re praeteriti temporis inter ecclesiam Ninivensem et Gozuinum conditionem tuendam ut advocatus fidejussor et testis suscepi et sigillo meo et congruo testimonio confirmavi. Testes Escelinus *Covellart*, Galterus *Faitir*, Johannes de *Hardbecca*, Franco de *Oltra*, Henricus de *Stenhusen*, Gozuinus de *Walsbruc*, *Erembolt*, Gozuinus et *Faitir* de *Bist*, Godescalcus de *Scalchem*, Galterus de *Trubo*, Henricus *Cot*, Folcardus, Lambinus de *Domo*. Actum Ninive, anno Domini MCLXXXIV.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

Dans le pli du sceau on lit ce qui suit : Eadem per omnia recognoverant prius apud Strithem in placito, mense Julio, testes Walterus de Eichem, Walter Wallin, Willelmus et Reinerus de Pamela, Philippus, Amelricus de Haflingem, presbyteri, Hawel, Walterus Rong, Franco Lupus, Amekin Rolinus et filius ejus, et Boidin de Strithem, Goswin de Capella, Walter de Isergem et frater ejus Boidin, Onulfus de Strithem, Willelmus de Vico, Gerhodo de Wanbec, Sigerus, clericus de Worda, milites, Thideric de Merbecca et frater ejus Gerardus Gozelin et Goswin de Lidekerka, Willelmus Ferus, Salomon et Gerardus fratres, Johannes Prust, Giselbertus Noitin, Borchart, Symon, Oliverus.

XLIX.

Le même seigneur déclare que Goswin de Suven a renoncé au droit qu'il avait de prendre du bois dans l'alleu de St-Aychadre, jusqu'au remboursement de sept marcs de Cologne que lui a prêtés l'abbaye. — CATTHEM.

A Ninove, 1184.

Gerardus de Grimbergis, omnibus fidelibus tam futuris quam praesentibus. Notum sit omnibus quod Goswinus de *Suven*, filius Gerardi, coram me et hominibus meis jus lignorum, quod habet in allodio S. Aychadri in feodum de ecclesia Ninivensi, eidem ecclesiae in vadium pro septem marcis Coloniensibus posuit, et nihil inibi juris habere poterit, nisi eadem pecunia restituta; hoc autem pactum servandum ut advocatus et fidejussor et testis suscepi. Testes Escelinus *Covellart*, Galterus *Faitir*, Johannes de Hartbecca, Franco de Oltra, Henricus de *Stenhusen*, Gozuinus de *Walsbruc*, *Erenbolt*, Goswinus et *Faitir* de *Bist*, Godescalcus de *Scalchem*, Galterus de Trubo, Henricus *Cot*, Folcardus, Lambinus de Domo. Actum Ninive, anno Domini MCLXXXIV.

Original, sseau en cire brune.

L.

Les abbés de St-Guislain et de Cambron attestent qu'ils ont connaissance d'un accord fait entre les abbayes de Hautmont et de Ninive. — HARTBEKE.

A Binche, 1185.

Lambertus, Dei gratia, S. Gisleni, et Daniel, eadem gratia, de *Cameron* abbates, tam futuris quam praesentibus. Quod vidimus et audivimus contestamur, consilio nostro et aliarum religiosarum personarum querela diu ventilata inter ecclesiam Altimontensem et ecclesiam Ninivensem in pacem et concordiam redacta est, hoc pacto ut ecclesia Ninivensis ecclesiae Altimontensi quinque solidos Nivellenses annuatim circa festum beati Lucae evangelistae persolveret, et dominium et jus omne quod in parochia de *Santes* et circa *Hardbeccam* Altimontensis ecclesia habuerat, ipsa Ninivensis ecclesia in perpetuum sine querela teneret. Hujus pactionis veritas testimonio Gervasii abbatis S. Dionysii in *Brocroit* et Walteri, decani *Cirviae*, qui in confederatione praedictarum ecclesiarum vicem domini papae tenuerunt, et aliarum religiosarum personarum quae compositioni interfue-

runt, roborata est. Signum Johannis, abbatis de Alna; S. Godescalci, abbatis de Bona Spe; S. Theodorici, abbatis de Grimbergis; S. Nicholai, abbatis S. Foillani; S. Hildebrandi, abbatis de Geth; S. Hermanni, decani de Nivella; S. Arnoldi, personae, magistri Eggerici, magistri Willelmi de Malines, Arnoldi, presbyteri de Santes. Actum anno Domini MCLXXXV, quinto kal. Martii, apud Bintium.

Original, sceaux en cire brune.



LI.

Nicolas, archidiaconus de Nivelles et de Cambrai, reconnoît la donation de plusieurs propriétés faite par Francon le Bossu à l'abbaye de Ninove. —
REINIRSART.

A Nivelles, 1185.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Nicholaus, Dei gratia Cameracensis archidiaconus et Nivellensis praepositus, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus. Quod audivimus et vidimus contestamur, et testimonium nostrum verum est et acceptione dignum. Franco *Gibbon* filius Hugonis Pauperis, volens patris sui et suam novis munimentis antiquam confirmare eleemosynam coram idoneis testibus recognovit se et patrem suum terram, pratum et sylvam decimam de Sarto, quae inter Sennam et *Scalmont* in parochia de *Archem* Ninivensis ecclesia possidet, cum omni jure suo quod inibi habere debuerant, excepta decima terrae ante adventum fratrum Ninivensium arabilis, praefatae ecclesiae Ninivensi censualiter pro tribus solidis Nivellensibus annuatim in eleemosynam perpetuo tribuisse. Recognovit etiam se et patrem suum communem usum in pascuis, aquis et in caeteris omnibus communibus usualibus, in praedicta parochia de *Archem* ecclesiae Ninivensi praebuisse, et in his omnibus warandisiam indefectivam promisisse. Recognovit etiam se et patrem suum communem similiter usum in sylvis, aquis, pascuis, in parochia de Senefia curiae de *Reinirsart* dedisse, sic denique ut in sylva de Senefia praeter fagos et quercus ad ignem et clausuram necessaria praefata curia libere acciperet. Ad aedificia vero curiae et ad carros quinquaginta ad carrucas fagos et quercus, fratres de curia per misericordiam habere deberent. In praesentiarum autem adjecit praedictae Ninivensi ecclesiae in eleemosynam duos quartarios in Sarto censualiter annuatim pro duobus denariis Nivellensibus. Haec autem omnia deinceps se conservaturum et waranditurum, data fide et obsidibus positus Hugone de Iterna et filio ejus Mauricio, obligatus est. Ne autem hujus pactionis veritas improbitate aliqua vel oblivione corrumpatur in posterum, rem gestam nostro sigillo et fidelium testimonio confirmamus et auctorisamus. Testes Godefridus, decanus Nivellensis, Hermannus decanus, Iwainus et Walterus, canonici Nivellenses, Johannes, clericus et canonicus de *Anderlecht*, Iwainus, capellanus meus, Everardus Rigaldus de Rohavia, Hugo et

Mauricius, filius ejus, testes et obsides; Henricus *Burin*, Erebaldus, Gerardus, scabini Nivelenses, Wilhelmus de Baisi et Everardus, famuli ducis, Bovo miles. Actum anno Domini MCLXXXV, infra turrim Niviellae, kalendas Septembris.

Original, sceau perdu.



LII.

Oston de Trasegnies déclare que Hugues de Fellu a contesté injustement aux moines de Ninove les droits qu'ils possédaient à Senef. — REINIRSART.

A Nivelles, 1185.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Osto de Trasenis, omnibus Christi fidelibus. Notum esse volo tam futuris quam praesentibus quod fratres de *Reinirsart* multo tempore et assidua consuetudine in terris et in sylvis de Senefia in pascuis, aquis, communi usu lignorum quae vulgo mortua ligna vocantur, ad ignem et ad clausuram et caeteros necessarios usus, et communes tanquam sua propria possessione usi sunt. Hugone vero de Fellu reclamante et pro portione sua quam habet in terra et sylva de Senefia, nullum inibi jus vel possessionem fratrum fore debere dicente, dies a me pro veritate inquirenda statuta est, et hominibus meis admonitis et adjuratis sub ea fidelitate, quam mihi lege et jure hominii deberent, ut juste super his judicarent, possessio usuarii praefati fratribus recognita et adjudicata est. Hugone iterum in possessionem fratribus recognitam calumnia faciente, tanquam legitimo caruerint titulo et justo principio et competenti ingressu, homines itidem mei sub eadem qua supra fidelitate admoniti testificati sunt se dono huic interfuisse et in testimonium vocatos, ubi Arnoldus de *Fellu*, pater supradicti Hugonis, supranominatum usum in pascuis, lignis et aquis, et etiam ad aedificandum de lignis ad aedificia necessariis beneficium per gratiam ecclesiae Ninivensi, ad opus fratrum de *Reinirsart*, consensu domini Egidii patris mei de Trasenis, a quo hoc beneficium jure feodali descenderat in eleemosynam donaverit, et hoc donum praefatus dominus Egidius de manu praedicti Arnoldi ad opus Ninivensi ecclesiae susceperit et se ipse dominus Egidius obsidem et patronum statuerit ad hoc donum ecclesiae Ninivensi custodiendum. Testes qui audierunt, viderunt, et in testimonium vocati sunt Willelmus *Delarn*, *Amant* de *Naat*, Walterus de *Adengem*, Franco de *Arkem*, Gislart de *Famelouruz*. Hugo etiam de *Hal* testificatus est se ex ore praedicti Arnoldi audisse hanc eleemosynam tali modo datam fuisse. Testificatio haec coram hominibus meis et coram multis fidelibus facta est, videlicet coram domino Sigero de *Belki*, fratre meo Hermanno, decano de Nivella, Helia presbytero, Francone Lupo, Francone *Gibbon*, Gislardo de *Saintes*, Reiniro de Herna, Gerardo de *Adengem*, Symone *Stajon*, ducis famulo, et multis aliis fidelibus. Ad custodiendum itaque tam evidens donum et eleemosynam tuendam praedictae ecclesiae ob salutem animae meae paterna successione obsidem me teneri debere et

patronum profiteor, et uxorem meam, liberos et parentes, homines et amicos meos qui salutem animae meae et honorem meum diligunt, obligo ut mecum et absque me nunc et deinceps hanc eleemosynam ecclesiae Ninivensi jure successorio custodire teneantur. Hoc autem donum et hoc doni testimonium ut in posterum ratum habeatur, meo sigillo et hominum meorum testimonio confirmavi. Testimonium Goswini de *Adengem*, testimonium Ingelberti, fratris ejus, Walteri et Gerardi fratrum et aliorum qui superius adscripti sunt. Actum Nivellis MCLXXXV, kal. Maii.

Original, sceau détruit.

LIII.

Bulle du pape Urbain pour confirmer les exemptions et les règles de l'ordre de Prémontré. — DIVERS.

A Vérone, 1186.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Praemonstratensi et caeteris abbatibus et canonicis Praemonstratensis ordinis, tam praesentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. In eminenti apostolica sedis specula licet immeriti, disponente Domino, constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti, quae ad incrementum religionis pertinent et ad virtutum spectant ornatum, quatinus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura et a jugo mundanae oppressionis servetur illaesa, cum apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio et ordo vester multa refulgens gloria meritorum et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extenderit, ipsum ordinem et universas domos ejusdem ordinis apostolicae protectionis praesidio duximus confovendas, et praesenti privilegio muniendas. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benignius annuentes, ad exemplar felicitatis recordationis Alexandri et Lucii paparum, praedecessorum nostrorum, universas institutiones et dispositiones, quas consensu vel majoris et sanioris partis fecistis, sicut inferius denotantur, auctoritate apostolica roboramus et praesentis scripti patrocinio communitus, videlicet ut ordo canonicus, quemadmodum in Praemonstratensi ecclesia secundum beati Augustini regulam et dispositionem recolendae memoriae Norberti quondam Praemonstratensis ordinis institutoris et successorum suorum in candido habitu, institutus esse denoscitur, per omnes ejusdem ordinis ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur; et eidem penitus observantiae eidem quoque libri, qui ad diurnum officium pertinent, ab omnibus ejusdem ordinis ecclesiis uniformiter teneantur, nec aliqua ecclesia vel persona ordinis vestri adversus communia ipsius ordinis instituta privilegium aliquid postulare, vel obtentum audeat quomodo libet retinere. Nulla etiam ecclesiarum ei quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat, sed tantum pater abbas curam de profectu, tam filii abbatis quam fratrum, domus illius habeat et

potestatem habeat, secundum ordinem corrigendi quae in ea noverit corrigenda, et illi ei tanquam patri reverentiam filialem humiliter exhibeant. Abbas autem Praemonstratensis ecclesiae, quae mater esse denoscitur aliarum, non solum in illis ecclesiis quas instituit, sed etiam in omnibus aliis ejusdem ordinis, et dignitatem, et officium patris obtineat, et ei ab omnibus tam abbatibus quam fratribus debita obedientia impendatur. Praeterea omnes abbates ordinis vestri singulis annis ad generale capitulum Praemonstratis postposita occupatione convenient, illis solis exceptis quos a labore viae corporis retardaverit infirmitas, qui tamen idoneum delegare debebunt nuntium per quem necessitas et causa remotionis suae capitulo valeat nuntiari. Hi autem qui in remotioribus partibus habitantes sine gravi difficultate singulis annis se nequiverint capitulo praesentare, in eo termino convenient, qui in ipso eis capitulo fuerit constitutus. In quo nimirum capitulo praesidente abbate Praemonstratensi caeterisque consistentibus, et in Spiritu Dei cooperantibus, de iis qui ad aedificationem animarum, ad instructionem morum et ad informationem virtutum atque incrementum regularis disciplinae spectabunt, sermo diligens habeatur. Porro de omnibus quaestionibus et querelis tam spiritualibus quam temporalibus quae in ipso capitulo propositae fuerint, illud teneatur irrefragabiliter et observetur quod abbas Praemonstrati cum iis qui sanioris consilii et magis idonei apparuerint juste ac provide judicabit. Sane si abbas aliquis vestri ordinis infamis vel inutilis aut ordinis sui praevaricator inventus fuerit, et prius per patrem abbatem suum, aut per nuntios ejus admonitus suum corrigere et emendare delictum neglexerit, aut cedere si admonendus fuerit, sponte noluerit, auctoritate generalis capituli deponatur, et depositus sine dilatione ad aliquam domum ordinis, in qua auxilio generalis capituli et prece propria gratiam introitus invenire potuerit, revertatur in obedientia abbatis sicut caeteri fratres ipsius domus firmiter permansurus. Id ipsum etiam alio tempore si necesse fuerit et capitulum sine scandalo vel periculo expectari nequiverit per abbatem Praemonstratensem et patrem abbatem et alios abbates quos vocaverit fieri licebit. Quod si depositus in se datae sententiae contumaciter contraire tentaverit, tam ipse quam principales ejus qui de ordine vestro fuerint, in sua contumacia fautores ab abbate Praemonstratensi et caeteris abbatibus censura ecclesiastica donec satisfaciant, arceantur. Verum cum aliquae ecclesiarum vestrarum abbate proprio fuerit destituta, sub patris abbatis potestate ac dispositione consistat et cum ejusdem consilio qui eligendus fuerit, a fratribus eligatur. Electo autem fratres ecclesiae statim promittant, qui non quasi absolutus a potestate patris abbatis vel ordinis sui archiepiscopo vel episcopo, in cujus dioecesi fuerit, praesentetur plenitudinem ab eo officii percepturus, ita tamen quod propter factam archiepiscopo vel episcopo suo professionem occasione illa non transgrediatur constitutiones ordinis sui, nec in aliquo ejus praevaricator existat. Si quis etiam ex vobis canonicus electus in abbatem, dioecetano episcopo per abbates nostri ordinis semel et iterum praesentatus, benedictionem ab eo non potuerit obtinere, ne ecclesia, ad quam vocatus est, destituta consilio periclitetur, officio et loco abbatis plenarie secundum ordinem fungatur in ea, tam in exterioribus providendis quam in interioribus corrigendis, donec aut interventu generalis capituli vestri, aut praecepto romani pontificis seu metropolitani benedictionem obtineat. Caeterum si aliqua ecclesiarum nostrarum pastoris solatio destituta, inter fratres de substituendo abbate discordia fuerit vel scissura suborta, et ipsi facile ad concordiam vel unitatem revocari nequiverint, pater abbas consilio coabbatum suorum eis personam idoneam provideat, et illi eam sine contradictione recipiant in abbatem. Quam si recipere contempserint, sententiae subjaceant quam pater abbas cum consilio coabbatum suorum in eos duxerit auctoritate ordinis promulgandam. Si quae autem ecclesiae canonicorum alterius ordinis ad ordinem vestrum venerint, ad ecclesiam vestri ordinis habeant sine refragatione respectum, in quam vestrum noscuntur ordinem assumpsisse. Nulla sane ecclesiastica persona pro bene-

dicendo abbate et deducendo in sedem suam, palefridum aut aliquid aliud exigere, nullus abbatum, etiam si exigatur, dare praesumat, quia et exigenti et danti nota simoniacae pravitatis et periculum imminet. Ad hoc quum Praemonstratensis ecclesia prima mater est omnium ecclesiarum totius ordinis, et patrem super se alium non sinit, ad cautelam et custodiam ordinis statutum est per tres primos abbates, scilicet de Lauduno, de Floreffia et de Cussiaco, annua ibidem visitatio fiat, et si quid in ipsa domo corrigendum fuerit, absque majori audientia per eos corrigatur. Quod si abbas in corrigendo tepidus et fratres saepius moniti incorrigibiles permanserint, ad generale capitulum referatur et sicut melius visum fuerit consilio generalis capituli emendatur et sententia in hac parte capituli sine retractatione aliqua observetur. Quoties vero ecclesia Praemonstratensis sine abbate fuerit, ad praefatos tres abbates ejus cura respiciat, et a canonicis ipsius ecclesiae cum eorum consilio persona in abbatem idonea eligatur ad consilium suum, quatuor aliis abbatibus ad eandem ecclesiam pertinentibus pariter advocatis, quos ipsi canonici providerint advocandos. Liceat quoque unicuique matri ecclesiae ordinis vestri cum consilio abbatis Praemonstratensis de abbatibus ecclesiarum quae ab ea processisse noscuntur, sibi quemcumque voluerit, si tamen idoneus exstiterit, in abbatem assumere; personam autem de alio ordine nulla ecclesiarum vestrarum sibi eligat in abbatem, nec nostri ordinis aliquis in abbatem monasterii alterius ordinis, nisi de auctoritate romanae ecclesiae ordinetur. Nulli etiam canonicos vel conversos vestros sine licentia abbatum recipere aut receptos liceat retinere. Si qua vero inter aliquas ecclesias vestri ordinis de temporalibus quaestio emerit, non extra ordinem ecclesiastica vel secularis audientia requiratur, sed mediante Praemonstratensi abbate et caeteris quos vocaverit, aut caritative inter eas componatur aut auditis utrumque rationibus eadem controversia vestro iudicio terminetur. Similiter si aliqua in ordine vestro inter praefatos et subjectos suos dissensio vel controversia pro qualibet occasione orta fuerit, nequaquam ecclesiastica aliqua vel secularis audientia requiratur, sed in ipso ordine, consilio et iudicio ordinis terminetur. Quia vero singula quae ad religionis profectum et animarum salutem ordinastis, praesenti abbreviationi nequiverint adnecti, nos cum iis qui praescripta sunt consuetudines vestras quas inter nos religionis intuita regulariter statuistis, et deinceps auctore Domino statuetis auctoritate nostra roboramus, et vobis vestrisque successoribus et omnibus qui ordinem vestrum professi fuerint perpetuis temporibus inviolabiliter observandas decernimus, ad majorem quoque ordinis vestri reverentiam et regularis disciplinae observantiam nobis filii abbates subjectos vestros legandi et solvendi plenam concedimus facultatem. De caetero, quum a strepitu et tumultu secularium remoti pacem et quidem diligitis, grangias vestras sicut et atria ecclesiarum a pravorum incursu et violentia libera fore sanximus, prohibentes, ut ibi nullus hominem capere, spoliare, verberare seu interficere, aut furtum, aut rapinam committere audeat. Ob evitandas vero secularium frequentias, liberum sit vobis salvo jure, dioecesanorum episcoporum oratoria in grangiis vestris construere et in ipsis, vobis et familiae vestrae divina officia cum necesse fuerit celebrare. Prohibemus insuper ne aliqua persona fratres ordinis vestri audeat ad secularia iudicia provocare, sed si quis adversus eos aliquid sibi crediderit de jure competere, sub ecclesiastici examinis iudicii experiendi habeat facultatem. Praeterea praesentis scripti auctoritate firmamus ut de novalibus vestris seu de nutrimentis animalium vestrorum nulla ecclesiastica secularisve persona decimam a vobis exigere praesumat. Hoc etiam ex ordinatione Lateranensis consilii duximus prohibendum, ne canonici sive conversi ordinis vestri, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem praefati sui et capituli disciplinam appellare praesumant, sed humiliter ac devote suscipiant, quod pro salute sua regulariter fuerit eis injunctum. Quod si contra inhibitionem hanc quisquam venire tentaverit nihilominus praefatus cum maturiore consilio quod ad officium suum pertinet, exequatur. Decernimus quod

ut nulli hominum liceat praefatum monasterium vel caeteras ejus abbatias et obedientias temere perturbare aut eorum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolica auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nihil reatum suum digna satisfactione correxerit potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Datum Veronae.

Dans le cartulaire de Malines.

==

LIV.

Le même pape confirme la fondation de l'abbaye. — NINOVE.

—

A Vérone 1186.

Confirmatio Urbani papae de Ninive.

Urbanus, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Arnaldo, abbati monasterii S. Cornelii Ninivensis ecclesiae filiisque fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere et vigor aequitatis et ordo exigit rationis, praesertim cum petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et praefatum monasterium S. Cornelii, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar praedecessorum nostrorum felicitis recordationis, Innocentii, Eugenii et Alexandri, Romanorum pontificum, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuantes ut ordo canonicus qui secundum Deum et Beati Augustini regulam atque institutionem Praemonstratensium fratrum in eodem loco institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; praeterea quascumque possessiones quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum oblatione fidelium, seu alii justis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus propriis duximus exprimenda vocabulis totam decimam ejusdem ecclesiae cum appenditiis suis, Herlinchovem cum tota decima, Lidekerkesem ecclesiam cum tota decima et appenditiis suis, scilicet Lumbea et Strithem, ab omni jure speciali et exactione liberam, duas partes decimae totius parochiae de Menz; piscationem in aquis de Lidekerka

ubique praeterquam in vivario advocati et usum nemoris ad quaelibet expedientia; curtim Nederwic cum prato, piscationem in Tenera cum avvocato. Molendinum cum mansis juxta ecclesiam Ninivensem. Terram cum molendino et sylvam quam dedit vobis Willelmus de Merbecca. Terram quam dedit Gerardus de Curia super Gidenghem et Gaucstratam. Curtim Rubroc cum circumjacentibus terris, pratis, sylvis. Terram Hugonis Cautis et fratris ejus Giselberti. Sylvam Mentogh a Gerardo avvocato emptam. Haereditatem Henrici conversi de Herlinchoven. Alodium quod dedit vobis Herbrandus de Merbecca et terram cum sylva, quam vendidit Walterus de Cúria et quam dedit Theodoricus de Inferno. Duas partes decimae de Florsenghem et attractum. Terram quam dedit vobis Gerardus advocatus et Henricus Walrans apud Scoram, de qua decimam sumat Ninivensis ecclesia. Terram quam dedit Clarebaldus, juxta Scoram. Terram quam dederunt Balduinus et Walterus de Poleka apud Okenghem. Partem Querceti, et terram quam dedit Amelricus de Stenhuzen. Terram quam dedit idem Amelricus et Hugo Rampart. In parrochia de Idrengem, molendinum. Pratum cum pascuis et omnibus aientis suis, quae Henricus et Willelmus liberi Walrani dederunt in ecclesiam, ut liberum alodium, censum et quintum manipulum agri qui jacet in parrochia de Herlinchoven, prout vobis dederunt Geraldus et Arnulfus, frater ejus, pro anima matris suae Mathildis. Hospitale de Polensele cum omnibus possessionibus suis. Terram et sylvam quam dedit Henricus de le Roes et uxor ejus, apud Lidkerkam. Terram et nemus quae Symon de Ledeberga dedit. Altare de Pamella, cum decima et censu debitisque pertinentiis. Tertiam partem decimae totius de Okenghem et attractum. Curtim Roslar, cum circumjacentibus terris, nemoribus, sylvis quas dederunt Gosuinus et Hegericus et Aliz de Scindelbecca, et quam dederunt Sygerus de Bosca et Gisel. Terram etiam et sylvam, quam Lambertus et Sygerus, fratres de Horenbecca, dederunt et Razo de Gavera. Terram Abonis, apud Lidekerkam. Terram quam castellanus Bruxellensis dedit, assensu dominorum suorum Widonis et Walteri de Hosden, apud Senefiam. Ibidem terram quam dedit Macharius assensu Arnoldi de Fellu et eam quam idem Arnoldus de Fellu dedit. Terram quam dedit Hugo Pauper assensu fratris sui Gillardi, apud *Archen*, et terram, quam dedit Albericus cum sylva in eadem parrochia, assensu dominorum suorum. Sylvam et terram quam Henricus de *Rut* dedit. Omnimodum usum nemoris de *Carbonirs* et pascua, prout se extendit parrochia de Senefia. In parrochia de Merbecca, terram, nemus et pratum, prout tenetis ad censum a Nivellensi ecclesia, et molendinum et exclusam. Juxta curtim de *Cathem* et in gyro totam terram et nemus cum suo procinctu, quam tenetis ad annuam pensionem ab ecclesia de Haspera, et aliam quam ibidem obtinuistis in eleemosynam a Rolino. Integram medietatem totius villae de *Strithem*, quam dedit vobis Willelmus per manus dominorum suorum in censum et quinto manipulo omnium fructuum qui excoluntur in agro et mansuris. In parrochia de Sanctis, curtim de *Hartbecca*, cum terris, pratis, sylvis, suisque pertinentiis, prout Johannes dedit in eleemosynam cum filio suo Waltero quem ad conversionem reddidit. Sane novalium vestrorum quae propriis manibus vel sumptibus colitis, seu de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere praesumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in eo loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere; sepulturam praeterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotionis et extremae voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis januis,

exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Pro crismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, ordinationibus clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive abbate benedicendo seu reducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis ecclesiasticis sacramentis, nullus a vobis vel sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare. Novas quoque et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis seu aliis ecclesiasticis, secularibusve personis in ecclesiis vestris omnino fieri prohibemus. Insuper autem apostolica auctoritate duximus inhibendum, ne ipsius loci advocatiam ullus usurpet, vel quae ad eum pertinent gravare, seu quibuslibet indebitis exactionibus fatigare praesumat, sed his qui antiquitus eidem monasterio concessa sunt, et ad justitiam suam pertinent, contentus existat. Si quis autem laicus decimas quas detinet, sine praejudicio alterius ecclesiae de consensu episcopi vobis duxerit pietatis intuitu indulgentas recipiendi et retinendi, liberam vobis tribuimus facultatem. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia, seu violentia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendum. Decernimus quod ut nulli omnino hominum liceat praefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolicae auctoritate, et diocessani episcopi canonica reverentia; si qua quidem in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertio commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum Judicem proemia aeternae pacis inveniant. Amen. Datum Veronae, per manum Alberti, sanctae romanae ecclesiae presbyteri cardinalis et cancellarii, octavo idus Septembris, indictione quarta, Incarnationis dominicae anno MCLXXXVI, pontificatus vero domini Urbani papae III anno primo.

Cartulaire de Malines.

LV.

Rase de Gavre confirme la donation d'un bois faite par un de ses vassaux à l'abbaye de Ninove. — ROSLAR.

A Gavre, 1186.

Imprimée dans *Miraei Donat. Belg.*, lib. II, cap. LXI, et dans les preuves du tom. II des *Annal. ord. Praem.*, col. CCXXXVI.

Original aux archives de la Flandre orientale, sceau en cire brune.

LVI.

Robert, doyen de Bruxelles, déclare que le chapitre a adjugé à l'abbaye la dime de Menz, etc., que lui contestait Guillaume de Crayenhem.—MENZ.

A Bruxelles, 1186.

Robertus, Bruxellensis decanus, omnibus Christi fidelibus. Notum sit omnibus, tam futuris quam praesentibus, quod Willelmus de *Craienhem* cum uxore sua vendidit et dedit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi quidquid juris habuit in decima apud *Menz* et *Ophem*, et *Lendbosc* et *Roden*, praeter decimam de cultura ipsius apud *Menz*, quae cultura trium vel quatuor bunariorum esse dicitur, cui eleemosynae cum postea idem Willelmus contradiceret, iudicio Bruxellensis capituli convictus eandem decimam praefatae Ninivensi ecclesiae liberam dereliquit et effestucavit. Hujus doni evidentem veritatem vidi et audiui, et ne in posterum infringeretur, sigilli mei impressione et sigillorum abbatis Grimbergensis et Gettensis, qui et ipsi viderunt et audierunt, et caeterorum fidelium Bruxellensis capituli testimonio confirmavi. S. Symonis, abbatis Grinbergensis; S. Theoderici, abbatis de *Get*; S. Theoderici qui fuit abbas Grinbergensis; S. magistri Michaëlis de *Bruxella*; S. Hugonis de S. Jacobo; S. Henrici de *Woluwa*; S. Alexandri de *Barsrod*; S. Menzonis de *Menz*; S. Wene-mari de *Get*, S. Johannis de *Merenthen*; S. Desiderii de S.-Nicholao, sacerdotum; S. Arnoldi de *Menz*; Franconis Lupi; Walteri *Bosc*, militum. Actum Bruxellae MCLXXXVI, tertio nonas Junii.

Original, muni de trois sceaux dont le premier est presque détruit.

LVII.

Gérard de Grimberge confirme la donation d'une propriété à Idergem, faite à l'abbaye par les frères Walrans.—NINOVE.

1187.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Gerardus de Grinbergis, omnibus fidelibus tam posteris quam praesentibus in perpetuum. Res manifesta est et congruo testimonio confirmata; ego autem eandem firmiorem et omnino stabilem perficere proposui. Henricus *Walrans* et Willelmus frater ejus, filii Henrici *Walrans* de *Idrengem*, allodium quoddam in terris, pratis, aquis, molendino, habuerunt, et illud inter se consilio parentum suorum concorditer dividerunt. Henricus autem dum

adhuc sine liberis esset, consensu uxoris suae Agnetis et fratris sui Willelmi, partem suam totam allodii illius ecclesiae Ninivensi legitime vendidit et in eleemosynam coram idoneis testibus dedit. Willelmus quoque partem suam totam allodii illius, consensu Henrici fratris sui et uxoris illius, praefatae ecclesiae in eleemosynam dedit et se ibidem conversum reddidit. Hujus rei testes manifesti sunt. Pactum hoc per aliquod tempus satis rationabiliter conservatum est; deinde praefatus Henricus seductus vani cordis inconstantia, seu rei familiaris inopia, tanquam in praefata eleemosyna aliquid residuum sui juris invenerit, praefatam ecclesiam querela pulsavit et exactionibus molestavit. Tandem antiquo testimonio convictus et conscientiae propriae morsu admonitus, coram me et hominibus meis et hominibus comitis Flandrensis, praesente uxore ipsius et assentiente, ore proprio confessus est se penitus nihil juris in praefata eleemosyna vel in aliqua praefatae ecclesiae possessione habere et se ecclesiam injuste vexasse, et perpetuam deinceps pacem se et suos ipsi eidem ecclesiae servare debere. Hujus pacti testis, et obses, et tutor statutus sum, et rem hanc gestam ut apud posteros firmiter teneatur competenti testimonio hominum meorum et hominum comitis Flandriae et sigilli mei appositione auctorisavi. S. Hostonis de Erpa; Bernardi de *Rosbas*; Walteri de *Hain*; S. Iwaini de Lewa; Gerardi de Curia; Gerardi de *Oudenborch*; Nicholai Febris; S. Giselberti de *Poprod*; Walteri Vederlugenes; Henrici de *Mei*; Henrici abbatis; *Wolteri Coppins*; Sigeri de *Erenboldengem*; S. Franconis *Rattirs*; Henrici de *Lettelhouthem*; Willelmi *Bluels*; Henrici, villici de *Erenboldengem*; Willelmi Rufi, villici de *Alost*; Arnoldi de Letha; Gerardi *Carard*; Rolini *Bluels*; Franconis de Oltra. Actum venditionis et donationis MCLXXIV, recognitionis injustae vexationis et confessionis MCLXXXVII.

Original, sceau en cire brune, aux archives de la Flandre orientale.

LVIII.

Everard de Tournai donne à l'abbaye douze bonniers de bois à Velsicque.—

BOUCHOUT.

1187.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego Everardus *Radols*, Tornacensis, tam praesentibus quam futuris, in perpetuum. Notum sit omnibus Christi fidelibus quod ego, ob mei aeternam et liberorum ac parentum meorum salutem et memoriam nostri salutiferam, donavi ecclesiae B. Mariae sanctorumque martyrum Cornelii et Cypriani in Ninive, et fratribus inibi Deo famulantibus xx bunarios sylvae in parrochia de Felseca de nemore *Bredenbroc* ad sariendum vel ad sylvam suis tamen usibus inutendam et custodiendam prout ecclesiae placuerit, ab omni jure et exactione mea meorumque liberos et quitos, tali conditione interposita, ut me sublato de medio pro me,

pro caeteris defunctis fidelibus, quotidie, dum licet, missa requiem aeternam ab ejusdem ecclesiae fratribus persolvatur statui, et ut ex praescripti beneficii mei proventibus perpetuo lumen coram Domini corpore et in anniversario meo quotannis jamdictae ecclesiae fratribus refectio solito accuratius procuraretur, et pia ac liberali devotione uberius impendatur; decimam quoque fructuum totius terrae quam fratres praedictae Ninivensis ecclesiae suis manibus sumptibus sartaverunt, et Balduinus *Screihase* de me tenet in feodum, ecclesiae Ninivensis ex jure semper fore recognosco, pronulgo atque confirmo; terrae itidem xxij bunarios paulo minus vel amplius, quos a domino Rassone de Gavera in parrochia de Felseca Ninivensis ecclesia sub annua pensione suscepit, immortaliter possidendos, meo assensu id esse protestor et ratum deinceps permanere constituo; sedecim autem bunarios et dimidium in terris, pratis, quos in territorio et dominio de Felseca ab hominibus nostris, seu ab incolis haereditariis ecclesia et fratres de Ninive acquisierunt et possident in instanti, ipsis, scilicet Ninivensi ecclesiae respectu Dei devote offero et salvo, nominatim meo justo annuo censu denariorum videlicet et avenae a coactivis exactionibus, a taliis et placitorum frequentationibus et occasionibus coromethio et caeteris exactionibus omnibus absolve, et cum perenni libertate eis contrado. Si vero (quod absit) fratres in curia degentes forisfactum aliquod commiserint, solum damnum ab eis pacifice remota violentia recipiatur, servientes quoque ipsorum si inter se invicem vel forinsecus certamen, vel sanguinis pugnam commoverint, indemnitate fratrum et honore curiae observato, forisfactum digne componatur; insuper autem communem utilitatem in pascuis, aquis, sylvis, viis, exitibus, introitibus et reliquis aysentiis, omnibus et communibus hominum commoditatibus, prout se extendit parrochia et potestas de Felseca toties dictae Ninivensi ecclesiae et fratribus ejus cum praelibatis omnibus adjicio, similiaque ibidem a domino Rassone concessa confirmo, et hoc nullo extorsionis emolumento, sed solo intuitu retributionis aeternae; quum vero in pace factus est locus dictae curiae de *Bochout* et rebus omnibus ad se pertinentibus, pacem et quietem firmissimam indixi, condidi atque sanctivi, quamdiu ecclesia de Ninive pro his omnibus lege, poli, juri stare non renuit, me quoque et posteros meos omnes jure successorio obligo, ut omnia haec ecclesiae Ninivensis fratribus tueri et illaesa conservare perpetuo tueantur. Haec omnia ut rata et illaesa permaneant, praesente scripto sigillo meo signato, nec non hominum meorum et aliorum fidelium congruo testimonio confirmo. Subscriptio Rassonis de Gavera; S. Walteri de *Sotengien*; S. Rothardi de *Westrebocla*. Ad haec ego Balduinus, Hainonensis comes, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod dominus Everardus *Radols*, cognatus meus, ecclesiae Ninivensi, ut praesente testatur pagina, concessit et sigillo suo confirmavit pro eo quod illud de me in feodum tenebat, ipsius rogatu sicut ipse confirmavit, et ego sigilli mei appensione confirmo, et hominum meorum testimonio autorizo. Subscriptio Eustachii de *Ruez*; S. Raineri de *Trit*; S. Almanni de *Provi*. Actum anno ab incarnatione Domini MCLXXXVII.

Original, le sceau d'Éverard de Tournay est seul conservé.

LIX.

Le même donne encore à l'abbaye vingt bonniers de bois à Velsicque. —
BOUCHOUT.

1187¹.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Everardus, cognomento *Radolf*, Tornacensis, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit omnibus Christi fidelibus, quod ego ob mei aeternam et liberorum, ac parentum meorum salutem, et memoriam nostri salutiferam contuli ac donavi ecclesiae beatae semperque Virginis Mariae sanctorumque martyrum Cornelii et Cypriani in Ninive, et fratribus inibi domino famulantibus, viginti bunarios sylvae in parrochia de Felseca, de nemore Bredenbroc ad sariendum vel ad sylvam suis tantum usibus inutendam et custodiendam, prout ecclesiae placuerit, ab omni jure et exactione mea meorumque liberos et quitos, conditione tali interposita ut me sublato de medio, pro me et pro caeteris defunctis fidelibus quotidie, dum licet, missa requiem aeternam ab ejusdem ecclesiae fratribus persolvatur; statui etiam ut ex praescripti beneficii mei proventibus perpetuo lumen coram Domini corpore, et in anniversario meo quotannis jam dictae ecclesiae fratribus refectio solito accuratius procuretur, et pia ac liberali devotione uberius impendatur, decimam quoque fructuum totius terrae quam fratres praedictae Ninivensis ecclesiae suis manibus sumptibusque sartaverunt, et Balduinus *Screihase* de me tenet in feodum ecclesiae Ninivensis ex jure semper fore recognosco, promulgo atque confirmo; terrae itidem viginti tres bunarios paulo minus vel amplius quos a domino Razione de Gavera, in parrochia de Felseca Ninivensis ecclesia sub annua pensione suscepit immortaliter possidendos meo assensu id esse protestor, et ratum deinceps permanere constituo; sedecim autem bunarios et dimidium in terris, pratis quos in territorio et dominio de Felseca ab hominibus nostris seu ab incolis haereditariis ecclesia et fratres de Ninive acquisierunt et possident in instanti, ipsi scilicet Ninivensi ecclesiae respectu Domini nostri Jhesu-Christi devote offero et salvo, nominatim meo justo annuo censu denariorum videlicet et avenae a coactivis exactionibus, a talliis scilicet et placitorum frequentationibus et occasionibus, coremethio et caeteris exactionibus omnibus, absolve et cum perenni libertate eis contrado. Si vero (quod absit) fratres in curia de gentes forefactum aliquid commiserint solum damnum ab eis pacifice remota violentia recipiatur, servientes quoque ipsorum si inter se invicem vel forinsecus certamen vel sanguinis pugnam commoverint, indemnitate fratrum et honore curiae observato forefactum digne componatur. Insuper autem communem utilitatem in pascuis, aquis, sylvis, viis, exitibus, introitibus et reliquis aysentiis omnibus et communibus hominum commoditatibus, prout se extendit parrochia et potestas de Felseca, toties dictae Ninivensi ecclesiae et fratribus ejus, cum praelibatis omnibus adjicio, similiaque ibidem a domino Razione concessa confirmo, et hoc nullo extorsionis emolumento sed solo aeternae retributionis intuitu; quum vero in pace factus est locus dictae curiae *Bochout* et rebus omnibus ad se pertinentibus pacem et quietem firmissimam indixi, condidi atque sanctivi, quamdiu ecclesia de Ninive, pro his omnibus

¹ Ce millésime se trouve au dos de l'acte et dans le cartulaire de Malines.

lege poli jure stare non renuit me quoque et posteros meos omnes jure successorio obligo ut omnia haec ecclesiae Ninivensis fratribus tueri et illaesa conservare perpetuo teneantur; haec autem omnia ut rata et illaesa sine fine perseverent praesente scripto sigillo meo signato, necnon hominum meorum et aliorum fidelium congruo testimonio confirmo. S. Razonis de Gavera; S. Walteri de *Sottengem*; S. Rothardi de Westerbocla.

Ego Balduinus, Hainoensis comes, futuris et praesentibus. Quod Everardus *Radulf*, cognatus meus, ecclesiae Ninivensi, ut praesens testificatur scriptum, concessit et sigillo suo confirmavit pro eo quod illud de me in feodum tenebat ipsius rogatu, sic ipse confirmavit et ego sigillo meo confirmo et hominum meorum aliorumque attestazione auctorizo.

Original, sceau en cire brune.

==

LX.

Gérard de Grimberge garantit à l'abbaye la possession des biens qui lui ont été concédés ou donnés à Pamele. — PAMELE.

—

A Ninove, 1188.

Ego Gerardus de Grimberga, posteris et praesentibus. Rationaliter acta sic debent firmari, ne antiquitate pereant, ne hominum malitia infringantur, seu corrumpantur. Ea propter sit omnibus notum quod Willelmus de Ledeberga, filius Walteri Haweli, dedit ecclesiae Ninivensi, meo assensu, in eleemosynam tres bunarios terrae apud Pamelam, pro anima patris sui et omnium parentum suorum. Constat etiam hoc omnibus in jam dictae eleemosynae dono et adjectione me et praefatum Willelmum scienter et spontanee sic obligatos ut omnes possessiones, quas ecclesia de Ninive in praedicta parochia de Pamela vel de dominio castelli de Ledeberga, vivente Waltero Hawel possederat, ipsi Ninivensi ecclesiae deinceps teneamur tueri, et ut in pace et quiete detineat conservare. Haec autem ut jugiter et illaesa perseverent, scripto hoc sigillo meo signato, et omnium meorum aliorumque fidelium attestazione munio et auctorizo. S. Symonis de Grimbergis, S. Theoderici de *Geth* abbatum, S. Sigeri, Hobosc, Davidis, fratrum, S. Walteri Rong et fratrum suorum, S. Gerardi de *Oldenborch*, Goswini de *Adenghem*, Rolini de *Strithem* et Arnoldi filii sui, Willelmi de Vico, Walteri de *Iserghem*, Willelmi de Pamela, Willelmi de *Okenghem*, Walteri Willin, Giselberti de *Lumbec* presbyterorum, magistri Sigeri, magistri Philippi. Actum Ninive in templo, anno Domini MCLXXXVIII, dum Hawel tumularetur.

Original, sceau détruit.

==

LXI.

Wautier, doyen de Halle, constate la donation d'un demi-bonnier de pré faite à l'abbaye. — WOLPUTTE.

—
1189.

Ego Walterus dictus, decanus de *Halle*, notum facio, tam praesentibus quam futuris, quod Sygerus, sacerdos et canonicus de Merbecca, dimidium bonarii prati liberae haereditatis suae jacentis in *Inghelant* ecclesiae Ninivensis, libere et absolute in perpetuum contulit eleemosynam. Facta donatione, quidquid juris in eo habuit effestucavit. Brantinus etiam, frater ejus, huic dono manum apposuit, et idem similiter guerpivit. Ut autem hoc donum et factum ratum in aeternum permaneat et inconcussum, scripto praesenti sigillato eorum qui interfuerunt testimonio studui confirmare. S. magistri Gerardi et Johannis sacerdotum et canonicorum de Merbecca, S. Egidii sacerdotis et praepositi, Lamberti, Balduini, Sygeri, conversorum Ninivensis ecclesiae; S. Walteri Flamine, Sygeri de *Scalkem*, Theodorus de Elsbeca, Godescalci de Nepa et Walteri *Storem de Naat*, scabinorum de Merbecca. Actum coram me apud Merbeccam, in atrio ex parte occidentali, anno Domino M^o CC^o XX^o idus Martii. Hoc idem prius actum fuit et collatum in manus domini Radulphi, abbatis Ninivensis ecclesiae apud Merbeccam in capella S. Petri, intrante Martio coram dictis magistro S. et Johanné et Henrico sacerdotibus et canonicis de Merbecca et Nicholao etiam de Windeca diacono. Testes etiam ibidem dicti Walterus Flamine, Sygerus de *Scalkem*, Theodoricus de Elsebeca, Godescalkus de Nepa, Walterus *Storem de Naat*, Adam de *Naat* et Arnulphus de *Naat*, scabini de Merbecca.

Du cartulaire de Malines.

LXII.

Roger, évêque de Cambrai, confirme les droits de l'abbaye en général, et en particulier ceux qu'elle possède dans les églises de Ninove et de Liedekerke.
—NINOVE.

—
1189.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Rogerus, Dei gratia Cameracensis episcopus, modernis et posteris in perpetuum. Eorum precibus clementiorem praebeamus auditum, qui abjecta mundi sarcina ferventius amabili jugo Christi subigunt collum; inde est quod, dilecte fili Arnulfe, abba Ninivensis ecclesiae, tibi tuisque posteris e speciali auctoritate perpetuo confirmamus, quidquid tibi a summis pontificibus et insuper a meis praedecessoribus confirmatum est; addimus praeterea ex caritatis affluentia ut in parochia Ninivensi et in parochia de Liedekerke curam habeas, et

auctoritatem ponendi sacerdotes. Insuper si aliqua istarum ecclesiarum humano (quod absit) sanguine vel alio contaminationis genere violata fuerit, cum aqua episcopi tibi tuisque fratribus eam reconciliandi potestatem tribuimus. Si vero aliquis aliquid tuarum rerum abstulerit, quod nec reddere nec recedere voluerit, in quacumque parochia nostri episcopatus res ita detentae fuerint, si dominus vel advocatus fuerit, divina cessare jubemus, si privata persona, excommunicetur; malefactores etiam nostros, ut sunt incendiarii, rerumque raptores vel interfectores animalium et fratres spoliantes, vel afficientes injuriis, vobis excommunicare concedimus, et salvo jure nostro absolvere, si resipuerint. Abbatiam quoque Ninivensem cum omnibus in coemeterio contentis, et cum his etiam qui illuc aliquod periculum evitando confugerint sub Christi pace in securitate et quiete manere jubemus. Eleemosynam quoque Gerardi de Ninive et fratris ejus Arnulfi suarumque sororum novem videlicet bunariorum terrae manipulum et *quidquid juris in ipsis bunariis habebant*. Quod pro anima matris suae Mathildis ipsi Ninivensi ecclesiae liberrimum contulerunt episcopali auctoritate perpetuo ratum fore statuimus; sed et eleemosynam quam habet ipsa ecclesia Ninivensis a Willelmo qui ibidem conversus effectus est, et ab Henrico Walrano, fratre ejus: molendinum videlicet et pratum cum pascuis et omnibus aysentiis simili munimento stabilimus, cum nemore et plano et prato, quod in eleemosynam dedit Henricus de Lewa et uxor ejus *Heluwif*, annuentibus liberis suis. In loco contiguo atque contermino dedit Symon de Ledeburga, concedentibus liberis suis Gotino et Gertrude, totum nemus pertingens usque ad boscum S. Ayadri saepedictae ecclesiae in eleemosynam, quam cum omnibus quae similiter ipse Symon dedit simili auctoritate luemur; eleemosynam quoque fratris Herbrandi totum videlicet quod ecclesia Ninivensis tenet a Nivellensi ecclesia ad annuum canonem in nemore et plano atque nemusculo quod dicitur *Elsebroc*, cum omnibus aysentiis aquae atque pascurorum in parochia de *Merbec*, molendinumque de *Wolput*, cum sua exclusa et vivario, omnibus atque pertinentiis suis quae pro alio allodio cambiando acquisivit ipsa ecclesia ab Herbrando advocato, quae omnia qui dominus fuit castri illius quod dicitur *Eighin*, contra omnes inquietantes acquietare et warandire tenetur speciali tuitione defendimus. Integram quoque medietatem totius villae de *Strithem*, quam dedit Wilhelmus per manus dominorum suorum in censum et quintum manipulum omnium fructuum qui excoluntur in agro et mansuris, et advocatia de *Cathem* quam ipsa tenet ecclesia de manu castellani Brucellensis et ducis, simili modo nostra confirmat auctoritas. Sed et loco qui dicitur Reineri-sartus, domum quam habet Ninivensis ecclesia ab omni inquietanti quietam permanere decernimus, decimamque omnem prout agri coluntur inter minorem et majorem Sennam sive frugum fuerit sive feni, jam dictae ecclesiae confirmamus, excepto tertio manipulo de Malavilla et agellulo versus *Hubaumont*. Insuper molendinum cum vivario nostro et exclusa et cursu aquae qui exclusae oportunus est, et quidquid terrae de Roseniaco via dividit, a Colini bunario versus molendinum et Amati pratum caeteraque omnia de Gerardi suaeque filiae eleemosyna provenientia, quae annuentibus dominis de Arkenna saepe dictae ecclesiae contulerunt, pontificali ei vigore confirmamus. In tota etiam parochia sive potestate de Senefia habet ipsa Ninivensis ecclesia in plano et nemore pasquam animalium suorum et in ipso nemore usum lignorum sive ad ignem, sive ad aedificia vel prorsus ad quemlibet curiae expedientia. Quae ut omni calumnia eliminata, rata et inconvulsa in aevum permaneant, auctoritate nostriscripti et a titulatione testium omnia supradicta roboramus. Signum Walteri, Sygeri, Nicholai, archidiaconorum; S. Egidii de *Gondelcort*; S. Walteri, capellani; Egidii de Montibus. Actum anno Verbi incarnati MCLXXXIX, praesulatus vero nostri decimo secundo. Ego Walterus cancellarius subscripsi et recensui.

Cartulaire de Malines.

LXIII.

Érasme de Gavre confirme à l'abbaye la possession des biens qui lui compétent à Liedekerke. — LIEDEKERKE.

A Gavre, 1190.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Razo de Gavera et uxor ejus Claricia, et frater ejus Razo, et filius ejus itidem Razo, cum caeteris liberis, tam futuris quam praesentibus, auctoritate pontificum romanorum et episcoporum Cameracensium, necnon et attestacione catholicorum principum et aliorum fidelium certissime cognovimus, quod de allodio Liedekercensi ipsa Liedekerka ecclesia, lege poli et fori, totam decimam, videlicet duas garbas et tertiam sive de agro arabili vel de sartis antiquis, vel novis, vel de agro cum pascuo et communi, aut de paludibus vel pratis annuam portantibus, seu de qualibet inibi agricultura vel sarto sariendo legitime et sine contradictione usque ad tempora nostra possederit. Quod autem ad nos rationabiliter processit, ad posteros successores nostros traducimus, et ratum fore et absque reclamacione teneri volumus. Terram etiam illam quam per manum nostram coram hominibus nostris de Godescalco de Ghisenghem Ninivensis ecclesia in eleemosynam suscepit, ipsi Ninivensi ecclesiae confirmare et tenere debemus. Haec autem et omnia quae praefata ecclesia usque ad nos possedit, nostro scripto et sigillo et hominum nostrorum et aliorum fidelium testimonio, ut inconvulse teneantur confirmare et auctorizare curavimus. S. Anekini et Ebbini, et Willelmi fratrum de *Lilar*; S. Balduini de *Belsel* et Willelmi de *Vendorhod*. Haec autem acta sunt apud Gaveram anno dominicae Incarnationis MCXC.

Original, sceau en cire brune.

LXIV.

Guillaume de Béthune, sire de Termonde, et Mathilde sa femme, exemptent de toute espèce de droits les voitures de l'abbaye de Ninove.

A Termonde, 1190.

Imprimée dans Miræus, *Donat. Bely.*, lib. II, cap. XLVIII, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXVI.

L'original est aux archives de la Flandre orientale, avec le sceau en cire brune, endommagé.

LXV.

Henri, duc de Brabant, reconnaît et confirme les droits que possède l'abbaye à Reinirsart, Rowroy, etc. — REINIRSART.

—
1190.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Henricus, Dei providentia dux Lotharingiae et marchio, omnibus hoc scriptum lecturis perpetuum in Christo salutari salutem. Modernis et posteris innotescat quod in perpetuam Ninivensi ecclesiae eleemosynam confirmo quidquid hoc anno, prout subscriptus invenitur terminus, possedit in Reinerisarto, in plano et nemore, et in duabus partibus decimae quae fuit quorundam de Arkenna, Rogeri scilicet, Franconis et Balduini, de terra arabili et de sarto ipsius curtis Reinerisarti, et de terra quae dicitur Malavilla, prout clauditur inter Sennam et Samillam cum molendino, vivario, exclusa et pratis et cultura *Rowroit*, cum omnibus usua-giis pascuarum quorumlibet animalium in Senefia, et Arkenna et *Ruz*, et in omni meae ditionis ambitu per circuitum, usum quoque nemoris de *Carbonires* in pascuis et quibuslibet lignis domui quae Reinerisartus dicitur ad omnem necessitatem expedientibus. Paci quoque fratrum praedictae curiae providens, homines meos ipsi curiae vicinos conveni, seiscitans ab eis si quid juris vel querelae in supranominata haberent curia, quibus nihil juris vel querelae inibi se habere respondentibus, praecepi ut hanc deinceps ab omni inquietatione quietam esse permitterent. Haec itaque ne cujuscumque malignantis infestatione vacillent, sigilli mei impressione et hominum meorum annotatione praemunire curavi. S. Gerardi de Grimberga; S. Arnoldi fratris sui; S. Gerardi de Jacia; S. Hermanni, decani; S. Rigaldi de Rohavia; S. Willelmi de Lidekerka. Actum anno Domini MCXC. S. Gislardi, militis; S. Johannis Villici.

Original, sceau détruit.

LXVI.

Sentence de Sohier d'Arras, official et vice-gérant de l'évêque de Cambrai, qui termine le différend entre les abbayes de Grammont et de Ninove par rapport à une ferme près d'Okegem. — NINOVE.

—
1194.

Magister Sigerus de Atrebatu, officialis et vicem gerens Cameracensis episcopi, hac forma decidi multiplicem controversiam quae vertebatur inter coenobium de Geraldimonte et ecclesiam Niniven-

sem. Primo omnium sic res diffinita est ut neutra ecclesia praescribat contrarium longi temporis usu, sed sicut veritas certius poterit invenire, sic mittat utramlibet ecclesiam in possessionem et proprietatem. Noverint itaque universi quod Ninivensis ecclesia curtem habet vocabulo Scoram, quam abbas Geraldimontensis sitam esse dicebat in sua parochia de *Okengem*, et sibi nisi jus parochiale deberi. Super hoc statui quod Ninivensis ecclesia solvet annuatim in natali Domini quatuor solidos illius monetae, qua solvitur et recipitur census in burgo de Ninive, ecclesiae de Monte Gerald, et sic tota familia de Scora subscriptam semper libertatem tenebit, quantum ad parochialem exactiorem, ut in quacumque parochia praedicta familia nuptias vel exequias celebraverit, fratres Ninivenses inde semper habeant oblationem. Si autem curia de Scora extra terminos parochiae de *Okengem* in posterum fuerit translata, libera erit a pensione annui census ecclesia Ninivensis. Si quis autem parochianus de aliqua parochia Geraldimontis sepulturam elegerit apud Ninivensem ecclesiam, sepelietur ibi, et reflexim si quis de Ninivensium parochia sepeliri voluerit apud Geraldimontem, licebit ei, salvo jure parochiali ecclesiae a qua corpus assumitur mortui, hoc est omnibus oblationibus unius missae pro defunctis solemniter celebratae. Ut autem ista conditio firma et stabilis perseveret scripto nostro cyrographiato confirmamus, subscriptis nominibus eorum qui interfuerunt. S. Godefridi, abbatis de Geraldimonte; S. Matthaei, abbatis de Ninive; S. magistri Philippi de Haltera; S. Walteri Wellini; S. Henrici, fratris mei; S. magistri Salomonis de Geraldimonte; Rubini, monachi S. Arnoldi de Grimbergis. Actum anno Domini MCXCIV.

Original, sceau en cire verte de Sohier, endommagé.

LXVII.

Godefroï, châtelain de Bruxelles, donne à l'abbaye l'avouerie de S'-Aychadre à Catthem, et plusieurs immunités à Reinirsart. — CATTHEM.

A Forêt, 1195.

Ego Godefridus, castellanus de Bruzella, et uxor mea Helewidis, et liberi nostri, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Sciant moderni et posterum quod ecclesiae de Ninive recognoscimus et warrandire tenemur eleemosynam patris mei Franconis castellani, advocatiam scilicet de allodio S. Aychadri apud *Catthem*, quam Henricus de Lewa tenebat de patre meo in feodo, et quidquid similiter idem Henricus ab ipso patre meo feodaliter tenebat apud *Strithem*. Exactiones quoque mensurandi vel remensurandi terras in procinctu vel vicinia curtis de Reinirsarto, secundum commemorationem quartariorum, ipsi ecclesiae perpetuo remittimus; communes vero aysentias vel usus, quos a quadraginta et novem annis tenuerunt eidem ecclesiae confirmamus in pascuis, aquis, viis aliisque opportunitatibus, per totam parochiam et potestatem de Seneffia, excepto quod capreae eorum in sylvam non ibunt, nisi aliorum capreae illuc ierint; et quamvis aliquorum capreae dato pretio in

partem succisae silvae eant, eorum tamen capreae nisi me permittente non ibunt; de porcis similiter fiet quoties ad Arkenam ibunt; si nemus meum sub aliqua continuitate excidi fecero, animalia fratrum non pascentur ibi, donec ibi sylva recreverit quod morsu pecorum non laedatur. Usui lignorum quem idem fratres habuerunt a praedecessoribus meis in sylva mea ad quaelibet expedientia si renuntiaverunt vel verpitierunt mihique resignaverunt, nos vero sexaginta bonaria nemoris quod dicitur *Forest* et jacet in parochia de Senefia praefatae ecclesiae exhibuimus de consensu Everardi, domini feodi istius, et dono ducis supremi domini ejusdem feodi custodiamque vel forestriam horum sexaginta bonariorum ecclesiae dimisimus. De hoc nemore ipsa ecclesia solvet mihi et haeredi meo in festo sancti Johannis Baptistae annuatim censum duorum solidorum Bruxellensis monetae, pro quo warrantum tenemur et acquietare ipsi ecclesiae praefatum nemus, ut nemo illud inquietet per alicujus juris vel consuetudinis exactionem, sed usibus tantum et voluntati fratrum praefatae ecclesiae liberrimum permaneat, illudque ipsi tantum excidere, et vendere, et sartare possunt, et quodlibet aliud de eo facere possunt pro suae voluntatis arbitrio. Eleemosynae quoque istae beneficium tale apposuimus quod quidquid ipsa Ninivensis ecclesia a me vel a praedecessoribus meis tenet, et hoc anno dominicae Incarnationis MCXCV possidet, nec ego nec aliquis meorum, post me ulla penitus occasione vel calumnia turbare praesumat. Donum vero hujus nemoris Lovaniae super atrium S. Petri in praesentia ducis celebratum est, pridie quam filius ejus Godefridus baptisaretur, sub testimonio hominum suorum et hominum Everardi, hominumque meorum sequentibus signis. Signum Gerardi de Grimbergis; S. Arnoldi de Wesemala et Arnoldi de Bigardis; S. Willelmi de *Walhem*; S. Reineri de Limala et Reineri de Herna; S. Balduini de Lewa et *Faiter* de Bruxella; S. Anselmi, abbatis Grimbergensis et Hescelini, praepositi ejusdem ecclesiae. Praeterea si fratribus praenominatae ecclesiae aliquem nisi fratres vel servientes suos supra praefatum nemus eligere placuerit, in forestorem eligere me debet. Haec autem omnia apud *Forest* recognovimus et appensione sigilli nostri roboravimus. S. Franconis Lupi; signum Walteri *Rong*; S. Godefridi de *Hal*, et filii sui Godefridi; S. Timeri; S. presbyteri de *Ukel*.

Original, sceau détruit.

LXVIII.

Érasme de Gavre donne à l'abbaye la dîme de ses biens à Liedekerke. —
LIEDEKERKE.

A Ninove, 1195.

Razo de Gavera, pincerna Flandriae, omnibus hoc scriptum lecturis salutem in salutari. Noverint omnes moderni et posteri, quod pro molestiis et gravibus damnis quae Ninivensi ecclesiae intuli, talem confero satisfactionis recompensationem: totam decimam de Liedekerke in terra arabili, sartata

sive sartanda, pratis vel paludibus annonam portantibus, ipsi ecclesiae recognosco et ab omni exactione liberrimam reddo et contra omnes inquietantes adquietabo; de mansuris vero quae vulgo *Hofstede* dicuntur, hanc eis recognosco libertatem, quod nec ego nec aliquis meorum praeter ecclesiam in ipsis Hofstadis mansionarios collocandi vel amovendi habeat potestatem; de conventionem vero sororum ponendarum in *Bochot* vel in *Felseca* ex toto et integro absolvo ecclesiam, ut nec ibi nec in *Lidekerca* nec alicubi in mea ditione eos manere compellam, dummodo sacerdotem unum in curti de *Bochot* pro mea meorumque salute divina celebrantem habeam. Cum autem sicut pro tali conventionem viginti jugera nemoris dederim ipsi ecclesiae in *Bredenbroc*, et palefridum dimiserim, quem in decessu abbatis mei juris esse dicebam, et praeterea censum quidecim solidorum et octo denariorum quem mihi solvere debebant, dimiserim, super omnibus his tamen ecclesiam dimitto quietam, ut de sororibus transmittendis nulla exactione fatigetur, sed et de tribus solidis censualibus quos mihi debebat ecclesia ipsam liberam et quietam dimitto. Eleemosynis etiam istis adjicio quod quidquid ecclesia praefata de mea vel patris mei manu nactum possidet, patrocinio caritativo tuebor; utpote quem universitas ecclesiae in suis domesticis orationibus et beneficiis semper mansura fraternitate suscipit. Actum apud Ninivem, annuentibus uxore mea *Claricia* et liberis meis et *Razone* fratre meo, anno Domini MCXCV. S. Arnoldi de *Grimbergis*; S. Egidii de *Hasselt*; S. Annekini de *Lilur*; S. Ostonis *Balgers*; S. Soeri de *Holebecca*, *Iwaini* de *Lewa*; S. Arnoldi de *Eppenghem*; S. Rolini *Blowel*; S. Soikini de *Forest*.

Original, sceau en cire brune.

LXIX.

Baudouin IX, comte de Flandre, confirme les donations faites à l'abbaye par Philippe d'Alsace, et y ajoute une propriété située à Woubrechtgem. — ROUSLAR.

Entre le château d'Alost et Erpe, 1195.

Ego Balduinus, Flandrensium comes, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Noverint universi hoc scriptum lecturi, quod nostro scripto sigillato Ninivensi ecclesiae in perpetuam et liberrimam eleemosynam confirmamus quidquid beneficii ab illustri comite Philippo avunculo meo vel aliis praedecessoribus meis tenent in eleemosynam. Sciatur et quod Rothardus, cognomento Hircus, in manus nostras reddidit quidquid allodii vel feodi vel decimarum, servorum vel ancillarum, aut feodatorum hominum, vel quidquid denique aliquo genere possidendi tenebat in villa quae dicitur *Wolbrechtenghem*. Haec omnia, sicut praedictum est, cum reddidisset in manus nostras, praesentibus hominibus nostris, nos continuo dedimus Ninivensi ecclesiae in liberrimam et perpetuam eleemosynam ad usum ibidem Deo servientium et pro nostra nostrorumque salute humiliter Deo supplicantium. Actum inter castrum de *Alost* et *Erpe*, anno Dominicae Incarnationis MCXCV, in vigilia Epiphaniae, principatus nostri anno primo, sub praesentia et testimonio subscriptorum testium,

S. Franconis *Rattir*; S. Boidini de Leda et Boidini de Wella; S. Impini de Popperodo et Ghisilini *Lir*; S. Alardi praepositi et Stepponis, canonicorum et sacerdotum praefatae ecclesiae.

Original, sceau détruit.

LXX.

Henri, duc de Brabant, donne à l'abbaye dix bonniers de bois à charge d'une redevance annuelle au châtelain de Bruxelles. — REINIRSART.

A Louvain, 1195.

Henricus, Dei gratia dux Lotharingiae, omnibus hoc scriptum lecturis salutem testimonio praesentium litterarum et auctoritatis meae innotescat omnibus quod homo meus Everardus de *Ruz*, ad petitionem Godfridi, castellani de Bruxella, in manus meas reddidit sexaginta bonaria de nemore quod dicitur *Forest*, et jacet in parochia de Senesia, et ego, iudicio et testimonio hominum meorum et prece castellani, dedi praedicta sexaginta bonaria in manus Mathaei, abbatis Ninivensis ecclesiae. libera et absoluta ab omni forestario vel alia exactione, excepto quod in festo Johannis Baptistae solvet ipsa ecclesia annuatim castellano duos solidos Bruxellensis monetae. Huic eleemosynae in crastino Ascensionis, et anno dominicae Incarnationis MCXCV, super atrium Lovaniae celebratae, homines nostros et homines Everardi in testimonium subscribi praecepimus. Signum Gerardi de Grimbergis; S. Arnoldi de Wesemala; S. Willelmi de *Walhem*; S. Arnoldi de *Bigarden*; S. Reineri de Herna et Reineri de Limala; S. Balduini de Lewa, *Faiter* de Bruxella, S. Anselmi, abbatis de Grimbergis, et Hescelini, praepositi ejusdem ecclesiae; S. Walteri et Stepponis, canonicorum Ninivensis ecclesiae.

Original, sceau en cire verte endommagé.

LXXI.

Gérard de Grimberge déclare qu'il a donné à l'abbaye plusieurs bonniers de bois, au nom de Guillaume de Ledeberge. — PAMELE.

A Pamele, 1195.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Gerardus de Grimbergis, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit omnibus Dominum colentibus, quod Willelmi de Ledeburga

ob aeternam sui suorumque salutem, annuente uxore sua Beatrice, de voluntate et consensu meo et uxoris meae Aliciae, sex bonaria nemoris, quod dicitur *Esphot* et alia quatuor bonaria de nemore quod dicitur *Eochoth*, et duo bonaria terrae arabilis ante villam de Pamela, ecclesiae Ninivensi per manus nostras in liberrimam contulit eleemosynam. Insuper omnes mansuras suas juxta atrium de Pamela et jus omne quod habuit, prout strata quae a Tenera vergens versus meridiem et hinc versus fontem descendens includit, et prout ejusdem fontis rivulus in Teneram decurrens dividit, praedictae super addidit eleemosynae ut sororibus de Ninive inibi fiat habitatio cum aedificia et caetera usibus earum poterunt parari necessaria: praeterea Gotinus de Ledeberga mansuram unam juxta templum per manus nostras saepedictae donavit ecclesiae. Haec autem ut perpetuo quieta maneant et illibata, scripto nostro sigillato et hominum nostrorum testimonio roboramus. Signum Arnoldi fratris mei; S. Michaëlis de *Birbec*; S. Machteldis de allodio, quae huic dono manum apposuit; S. Gozuni de *Adenghem*; S. Sigeri *Noi*. Actum apud Pamelam, anno dominicae Incarnationis MCXCV.

Original, sceau en cire brune endommagé.

LXXII.

Henri, abbé de St-Vaast d'Arras, reconnaît qu'il a cédé à l'abbaye, moyennant une redevance annuelle, un alleu situé à Catthem. — CATHEM.

1195.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Amen. Ego Henricus, Dei gratia ecclesiae beati Vedasti Atrebatensis minister humilis, omnibus Christi fidelibus tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Quod piae devotionis affectu rationabiliter et communi fratrum nostrorum consilio bene a nobis actum est, ne oblivionis vel negligentiae vel discordiae causa deleatur, immutetur, vel forte dissipetur, memoriae tam praesentium quam futurorum scripto commendantes mandavimus. Notum sit igitur omnibus quod illud allodium quod ecclesia nostra de Haspera in parochia de Lumbecca, in vico qui dicitur *Catthem*, ab antiquo tenuit in terris, sylvis, pratis, pascuis, cum censu et omni nostro inibi jure, venerabili abbati Algoto et ecclesiae Ninivensi jure perpetuo possidendum ore manum concessimus: hoc pacto ut annuatim ecclesiae Hasprensi in festo beati Lucae quinquaginta solidos Valencensis monetae cujuscumque valoris fuerit, de qua in castro Valencensi publice vendatur vel ematur, Cameraci sive Hasperae Ninivensis ecclesia persolvat. Si quis autem praefatam Ninivensem ecclesiam de praedicto allodio infestare praesumpserit, nos velut hujus boni actores et testatores consilio, justitia et banno auxilium et defensionem nostram fideliter opponemus. Ut autem hoc ratum et inconcussum permaneat, scripto commendatum nostro et abbatis ecclesiae Ninivensis sigillo confirmavimus, et partito inter utramque ecclesiam cyrographo reservandum commisimus, personis et testibus utriusque ecclesiae subnominatis. Ysaac, prior B. Vedasti; Martinus, prior secundus; Gerardus, prior tertius; Taeso, praepositus de Haspra; Christianus, hospitarius; Pe-

trus de Inci; Willelmus, praepositus de *Berclau*; Wenemarus, praepositus de *Gorea*; Damianus, prior ecclesiae *Ninivensis*; Hescelinus, subprior; Sigerus, sacrista; Alardus, praepositus; Walterus, cellarius; Amulricus, Arnoldus, Henricus, Walterus. Actum anno Verbi incarnati MCXCV.

Original, le sceau d'Henri, en cire verte, est seul conservé.

LXXIII.

Le comte Baudouin IX donne à l'abbaye vingt bonniers de moere situés à Mendonck. — CALPH.

A Gand, 1196.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Balduinus, comes Flandriae et Hainoiae, et Maria comitissa, uxor mea, notum fieri tam futuris quam praesentibus volumus, quod pro salute animarum nostrarum et praedecessorum nostrorum, ac deinceps successorum et anniversarii nostri in *Ninivensi* ecclesia habendi et quotannis celebrandi, dedimus ipsi ecclesiae in perpetuam eleemosynam xx bonaria mori apud *Mendunc*, juxta morum ecclesiae S. Petri *Gandensis*, in latere versus *Wasiam*. Quod ut ratum perpetuo maneat et inconvulsum, praesentem paginam jam dictae *Ninivensi* ecclesiae contulimus, sigillorum nostrorum appensionibus munitam et testium subscriptionibus roboratam. S. castellani Sygeri de *Gand*; S. Gerardi de *Sottenghem*; S. Ideri, preconis de *Maldenghem*; S. Sigeri de *Sotenghem*; S. Willelmi *Sos*; S. Rodulfi, notarii; S. Roberti *Calderonis*. Actum apud *Gant* in capella, anno MCXCVI, quarto nonas Martii.

Cartulaire de Malines.

LXXIV.

La dame de Trasegnies et son fils donnent à l'abbaye une propriété allodiale située à Eversenghem. — NINOVE.

A Pamele, 1196.

In nomine sanctae ac individuae Trinitatis. Ego Machteldis et Aegidius filius meus, dominus de *Trasenis*, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit omnibus Christi fidelibus quod

nos ob aeternam nostri nostrorumque salutem allodium nostrum apud *Eversenghem* fratribus ac sororibus Ninivensis ecclesiae in perpetuam eleemosynam contulimus, ut eorum adjuti orationibus post hujus vitae terminum in aeterna tabernacula recipi mereamur; hoc autem donum ego Aegidius in terris, mansuris, pratis, sylvis, piscatione et paludibus, et alio quolibet jure quod inibi habebamus, ecclesiae Ninivensi acquietare teneor ac warandire. Nam nihil omnino juris in praefato allodio retinui, excepto hoc quod in eo advocatus ero et defensor contra omnes qui de hoc allodio ecclesiam inquietare praesumpserint. Ut hoc autem donum firmum et stabile perseveret, idoneo testimonio scripto et sigillorum nostrorum appositione confirmare curavimus. S. Wilhelmi de Ledeburga; S. Reineri de Herna; S. Impini de Otinga; S. Walteri *Rung*; S. Aegidii de Gasbeca; S. Alardi et Stepponis, canonicorum ac sacerdotum. Actum apud Pamelam anno MCXCVI, mense Octobri.

Original, le sceau de Gilles, en cire brune, est seul conservé.

LXXV.

Baudouin IX, comte de Flandre et de Hainaut, confirme la donation précédente. — NINOVE.

A Ronquières, 1197.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Balduinus, comes Flandriae et Hainoiae, notum fieri volo tam futuris quam praesentibus, quod nobilis mulier Magtheldis de allodio dedit ecclesiae Ninivensi in eleemosynam per manum meam et assensum meum, et assensu etiam liberorum suorum, allodium suum, quod dicitur *Eversenghem* et jacet in parochia de *Okenghem*, viginti scilicet bonaria vel eo circiter in terris, pratis et mansuris, cum piscatione ad idem allodium pertinente. Ut autem hujus donationis eleemosyna firma et inconcussa perpetuo permaneat, praesentem paginam sigilli mei appositione feci confirmari, et hominum meorum attestazione roborari. Signum Gerardi de Grimbergis et Arnoldi fratris sui; S. Theoderici de Beverna; S. Walteri de *Sothenghem*; S. Aegidii de *Trasnis*; S. Ingelberti de *Adenghem*; S. Ghiselini de *Lilar*. Actum anno dominicae incarnationis MCXCVII, quinto idus Februarii, apud *Runkiris*.

Original, sceau en cire verte.

LXXVI.

Gérard de Grimberge donne à l'abbaye une terre située à Pamele.

— PAMELE.

A Ninove, 1197.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Gerardus de Grimbergis universis Christi fidelibus in perpetuum. Notum sit ei quae est et generationi quae futura est, quod Sigerus Vulpes et filia ipsius, Helena scilicet, cum filio suo Waltero, et Ermengardis cum omnibus liberis suis, terram suam in parochia de Pamela, quam a Willelmo de Ledeburga in feodum tenebant, ei resignantes quidquid in ea juris habebant, penitus werpiverunt; ipso vero Willelmo eam mihi resignante, ecclesiae Ninivensi praedictam terram ab omni jure vel actione liberam in eleemosynam contradidi. Praeterea Waltero, filio Symonis, terram suam praefatae terrae fere ubique contiguam et aequipollentem, quam hereditarie et censum terrae feodaliter possedit, in manus Willelmi resignante, Willelmus quoque ipsam mihi resignavit; et ego nihilominus supradictae ecclesiae in eleemosynam contuli et donavi. Horum itaque donorum me patronum et tutorem repromittens, omnia apud Pamelam acquisita, nominatim scilicet terram de *Buvenghem*, quam Henricus de Strumbeca, per manum Willelmi, a quo feodaliter descendit, toties dictae ecclesiae contradidit, sub mea advocacione et defensione suscipio. Ut autem haec rata et inconcussa permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subnotatione corroboro. Signum Oliveri de Scendelbeca; S. Willelmi de Ledeburga; S. Gozui de *Eppengem*; Walteri de *Malbrug*; Walteri *Ramar* et Scalkini de *Scalkem*. Actum Ninive in atrio, anno Domini MCXCVII, tertia dominica post Pentecosten.

Original, sceau détruit.

LXXVII.

Érasme de Gavre donne à l'abbaye six journaux de terre. — NINOVE.

A Vinderhoute, 1197.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Razo de Gavera, pincerna Flandriae, et Claricia uxor mea, notum fieri volumus tam futuris quam praesentibus quod ob aeternam nostri nostrorumque memoriam dedimus ecclesiae Ninivensi in perpetuam eleemosynam sex dietarios allodii nostri vel eo circiter, cum duobus manipulis decimae ejusdem allodii; quod allodium jacet super culturam de *Bacrehem*, et est contiguum sylvae quae dicitur *Johansbosc*, et secus eandem sylvam tendens declinat usque in rivum qui Lebecca nominatur. Quod ut ratum perpetuo maneat et inconvulsam praesentem super hoc jam dictae ecclesiae paginam contulimus, scripto nostro sigillato confirmatam

et hominum nostrorum testimonio aliorumque fidelium roboratam. Signum Razonis filii nostri; S. Godefridi de Wenti; S. Ghiselini de *Lilar*; S. Hostonis Rufi; S. Cononis de *Ravenscot*; S. Boidini *Dec*, et Fulconis, et Gozwini de *Okengem*. Actum anno MCXCVII, sexto idus Maii, apud *Venderhot*.

Original, sceau en cire brune endommagé.

LXXVIII.

Henri, duc de Brabant, confirme la donation du domaine d'Eversenghem, faite par dame Mathilde de Trasegnies. — NINOVE.

—
A Bruxelles, 1197.

Henricus, Dei providentia, dux Lotharingiae et marchio Antwerpiae, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Modernis et posteris innotescat, quod domina Magtheldis de Allodio, de assensu et voluntate nostra et filii sui domini Aegidii de *Trasnis*, ecclesiae Ninivensi totum integraliter allodium quod habebat apud *Eversenghem*, quod est in parochia de *Okengem*, in liberam atque perpetuam contulit eleemosynam, praedicto filio suo domino Aegidio super hoc allodium advocato permanente, et ut hoc ratum et stabile perseveret, scripto nostro sigillato et hominum nostrorum testimonio confirmamus. Signum domini Gerardi de Grimbergis; S. Aegidii de *Trasnis*; S. Henrici de *Asca* et Walteri fratris sui; S. Godefridi, castellani; S. Arnoldi de *Wesemael*; S. Reineri de *Herna* et Willelmi de *Ledeberga*. Actum apud *Brusellam* anno MCXCVII, sexto kalendas Februarii.

Original, sceau en cire brune.

LXXIX.

Gilles de Boulaere reconnaît que le comte de Flandre a donné à l'abbaye la dîme de Voorde. — LOETSH.

—
Près de Grammont, 1197.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Aegidius, constabularius de *Boular* et dominus de *Silli*, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Notum sit omnibus quod Berta de *Steenhus* duos manipulos decimae de *Vorda* et jus omne quod in decima totius villae feodaliter a me tenebat, mihi una cum filiis suis Amelrico, Gerardo, Sockino, Balduino, resignavit et consensu advocati sui, Willelmi scilicet de *Luceau*, cum praedictis filiis suis werpivit. Hanc autem in manus comitis

reportavi, et indicio facto quod nec ego nec praedicta mulier, nec aliquis nostrorum, nihil juris haberemus, ipse comes eandem decimam in manus abbatis et fratrum Ninivensis ecclesiae libere et absolute contradidit. Ut haec autem perpetuo maneant inconvulsa, scripto meo sigillato et hominum meorum testimonio feci roborari. S. Aegidii de *Hasselt* et Willelmi de *Luceau*; S. Walteri de *Okenghem*; S. Ympini de *Steenhus* et Henrici. Actum juxta Geraldimontem in via de Aldenarda, anno MCXCVII, tertio kalendis Augusti.

Cartulaire de Malines.

LXXX.

Gautier, doyen de Hal, reconnaît qu'il a échangé pour une autre propriété une terre qu'il possédait près de l'église de Meerbeke. — WOLPUTE.

1198.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Galterus, Dei gratia decanus de *Hal*, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Notum sit praesentibus et futuris quod ecclesiae Ninivensis fundum, quem habuit juxta atrium Merbeccensis ecclesiae, pro alio fundo qui jacet supra rivum, in concambium donavit, et facta exfestucatione utraque ecclesia warandisiam alteri promisit. Ut autem hoc ratum et stabile permaneat, placuit hoc scriptum cyrographizatum mutuis ecclesiarum sigillis et personis subnotatis roborari. S. Walteri, Ecberti de *Pollar*, S. magistri Sygeri, canonicorum Merbeccensis ecclesiae; et Gerardi sacerdotis. Actum anno Domini MCXCVIII.

Cartulaire de Malines.

LXXXI.

Henri, duc de Brabant, confirme la donation de soixante bonniers de bois, faite à l'abbaye par Godefroi, châtelain de Bruxelles. — REINIRSART.

Sans date¹.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Henricus, dux Lovaniae, tam futuris quam praesentibus. Notum sit omnibus quod Godefridus, castellanus de Bruxella, acceptis ab ecclesia Ninivensi

¹ Un écrivain assez moderne a ajouté dans le cartulaire de Malines l'an 1198.

sexaginta libris Bruxellensis monetae, dedit ipsi ecclesiae per manum et assensum meum in perpetuam eleemosynam sexaginta bonaria memoris, quod dicitur *Forest*, et jacet in parochia de Senefia. De hoc nemore solvet ipsa ecclesia castellano et haeredi ejus in festo sancti Johannis Baptistae annuatim censum duorum solidorum, et ipse castellanus et haeres ipsius tenentur warandire et acquietare ipsi ecclesiae praefatum nemus, ut nemo illud inquietet per alicujus juris vel consuetudinis exactionem, sed usibus tantum et voluntati fratrum praefatae ecclesiae liberrimum permanebit, illudque ipsi tantum excidere et vendere et sartare possunt, et quodlibet aliud de eo facere possunt pro suae voluntatis arbitrio. Ut autem haec omnia perpetuo rata et stabilia maneant, praesenti scripto et sigilli nostri appensione et hominum meorum subscriptione roboramus et auctorisamus. Signum domini Arnoldi, capellani, S. Gerardi de Grimbergis, S. Arnoldi fratris ejusdem, S. Arnoldi de *Walhem*, S. Arnoldi de *Wesemal*, S. Arnoldi de *Bigarden*, S. Boidinoi.

Original, sceau en cire verte endommagé.

LXXXII.

Le comte Baudouin confirme la cession de la dîme de Voorde, faite à l'abbaye par Berte de Steenhuyze. — LOETSH.

Près de Grammont, 1198.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Balduinus, Flandriae et Hainoiae comes, notum fieri volo futuris et praesentibus quod Berta de *Stenhus* decimam de *Vorda* et quidquid in ea juris habebat una cum filiis suis Gerardo, Amelrico, Sockino, Balduino, in manus Aegidii de *Trasnis*, a quo ipsam decimam feodaliter tenebat, reportavit, et assensu advocati sui, Willelmi scilicet de *Luceau*, cum praedictis filiis suis semel, secundo et tertio werpivit. Aegidius in manus meas ipsam decimam retulit et tum semel, secundo et tertio professus est se in ea nihil juris deinceps habere homines etiam suos judicare fecit, quod nihil omnino juris ipse Aegidius vel praedicta Berta amplius haberent, tunc homines mei similiter judicaverunt, quod nec Aegidius, nec praefata mulier, nec aliquis suorum nihil amplius in ea juris haberent; hancque decimam libere et absolute in manus abbatis et fratrum Ninivensis ecclesiae contuli in eleemosynam. Ut hoc autem donum firmum et stabile maneat perpetuo, scripto meo sigillato et hominum meorum testimonio feci roborari. Actum anno MCXCVIII juxta Geraldimontem in via de Aldenarde. S. Aegidii de *Trasnis*; S. Arnoldi de Aldenarde; S. Theodorici de Beverna et Gerardi de Rodio; S. Aegidii de Hallut; S. Gerardi de Parvi et Bussardi de Borghella; S. Monii de Guwinis et Bernardi de *Loscans*.

Cartulaire de Malines.

LXXXIII.

Henri, duc de Brabant, confirme la donation faite à l'abbaye par Godefroid, châtelain de Bruxelles, de quelques bonniers de terre et de bois. — REINIRSART.

Entre Nivelles et Ronquières, 1198.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Henricus, dux Lotharingiae et marchio romani imperii. Notum esse volumus praesentibus et futuris quod fidelis noster Godefridus, castellanus de Brussella, decem et octo bonaria fundi plani et nemoris vel eo circiter, quae a nemore de *Goi* extenduntur versus Reinirsartum, et census et jus omne suum quod habebat in quindecim bunariis plani et nemoris, quae mansuarii ab ipso tenebant et jacet secus nemus quod dicitur *Forest*, domino suo Everardo de *Ruz*, a quo praefatus castellanus haec praedicta tenebat in feodum, resignavit; Everardus vero mihi reportavit et utrumque effestucavit, nullum jus in praedictis possessionibus sibi retinentes, exceptis tribus denariis Bruxellensis monetae, qui de septem bonariis in praedicto nemore jacentibus annuatim in festo sancti Johannis Baptistae castellano solventur. Tunc homines nostri judicantes quod libere ista conferre possemus, cui vellemus, ad usum fratrum in Ninivensi ecclesia domino servientium praedictas possessiones in manus abbatis de Parco tradidimus in eleemosynam, ut eleemosynarum et orationum ipsius ecclesiae mereamur habere participium; mansuarii autem praedictis concessit castellanus communem usum lignorum in nemore suo de *Carbonires*, si supra praefatam haereditatem quindecim bonariorum manserint, sed si praedicti fratres jus haereditarium acquisierint in nemore de *Carbonire* communem usum tamen non habebunt lignorum. Ut haec autem firma et stabilia perpetuo maneant, scripto nostro sigillato confirmamus et hominum nostrorum testimonio roboramus. Actum anno Domini MCXCVIII, mense Novembri inter Nivellam et villam quae dicitur *Runkirs*. Signum Willelmi fratris mei; S. Gerardi de Grimbergis; S. Arnoldi de *Wesemat*; S. Willelmi de *Walhem*.

Original, sceau en cire brune.

LXXXIV.

Bulle du pape Innocent III, qui confirme l'abbaye dans la possession de ses biens. — AFFAIRES DIVERSES.

1198.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et fratribus ecclesiae Ninivensis salutem et apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem praebere

consensum et vota quae a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratam conniventiam impendentes, ecclesiam vestram cum omnibus quae in praesentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum justis modis praesentante Domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, specialiter autem possessiones inferius annotatas vobis et per vos ecclesiae vestrae sicut eos juste ac pacifice possidetis, auctoritate apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus, videlicet curtem de Hartbecca et curtem de *Bochout*, cum pertinentiis suis, terris, pratis, sylvis et pascuis, ecclesiam et grangiam de Pamela, cum omnibus aientis suis, decimam de *Houthem*, allodium de *Everseghem*. Nulli ergo omnino hominum licitum sit hanc nostrae paginam protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romae apud S. Petrum, xvij kalendas Junii, pontificatus nostri anno primo.

Original, sceau perdu.

LXXXV.

Sohier, archidiaconus de Cambrai, ratifie la cession de la dîme de Voorde, faite à l'abbaye par Berte de Steenhuyse. — LOETSH.

Vers l'an 1199.

Ego Sygerus, Dei gratia archidiaconus Cameracensis ecclesiae in Brabantia, praesentibus et futuris notum facio quod de meo consensu, cum sedes Cameracensis vacaret, Berta, nobilis mulier de Stenusia et liberi ipsius dederunt libere in eleemosynam ecclesiae Ninivensi duas garbas decimae de Vorde, per manum Domini sui Aegidii de *Boular*, Balduino quoque comite Flandriae consentiente, a quo feodaliter descendebat, quod ut ratum habeatur, scripto hoc sigillato corroboro et auctoriso.

Cartulaire de Malines.

LXXXVI.

Gérard de Grimberge se reconnaît caution d'une cession de dîme faite à l'abbaye par Adam d'Ophem et ses frères. — MENTZ.

1199.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Gerardus de Grimbergis, omnibus hoc scriptum lecturis. Notum facio quod Adam de *Ophem*, et filius ejus Aegidius et frater ejus Amelrec *Noi*, Gal-

terus et *Paridan*, quidquid juris ipsi vel filii eorum in decima de *Ophem* vel *Menz*, quam fratres de Ninive hactenus possederunt, se habere dicebant, penitus exfestucantes eis in eleemosynam tradiderunt, et super Sanctos jurantes se praedictos fratres super hac decima nunquam deinceps infesturos, me hujus conditionis patronum et fidejussorem statuerunt. Ut autem haec rata permaneant, scriptum haec sigilli mei appensione et testium subnotatione placuit roborare. Signum Adae, castellani de Grimbergis; S. Willelmi de Ledeburga; S. Davidis de *Hobosc*; S. Giselini de *Scalkem* et Rodulfi, capellani; S. Alicis de *Tenremund* et filii sui Bertaldi. Actum anno Domini MCXCIX, inter Pascha et Pentecoste.

Original, sceau en cire brune.

LXXXVII.

Le comte Baudouin exempté de tout droit de tonlieu ou autre les bêtes de somme et les voitures de l'abbaye.

Au château de Dacknam, 1190.

Imprimée dans *Miræi Donat. belg.*, lib. II, cap. LXXV, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXVII.

L'original aux archives de la Flandre orientale, sceau détruit.

LXXXVIII.

Gérard, sire de Grimberge et de Ninove, reconnaît avoir donné à l'abbaye, en échange d'autres terres, plusieurs propriétés situées en divers lieux.—
NINOVE.

1200.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Gerardus de *Grimberghen* et de Ninive dominus, omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Ea quae rationabiliter acta sunt, ne processu temporis labantur a memoria, notum facio praesentibus et futuris, quod cum domino Radulfo, abbate de

Ninive, et suo conventu, de communi consensu, hujusmodi feci concambium. Abbas siquidem mihi allodialiter circiter novem bonaria terrae paulo plus vel minus in cultura super Coudenberga, infra *Haffputte* et communem viam ad dextram partem versus orientem, excepto quod dietarium atque xxxij virgae hujus summae jacent in vinea mea juxta pontem S. Amandi. Ego vero nihilominus dedi abbati et ecclesiae Beatae Mariae et SS. Cornelii et Cypriani in concambium atque perpetuam elemosynam allodialiter circiter novem bonaria terrae paulo plus vel minus, ab omni jure vel onere liberrima. Et quia in diversis jacet locis, eam nominatim libuit exprimere ante curiam, scilicet in *Rubroc* quinque dietaria et xxxij virgas *scoeflans*, subtracta competenti subputatione pro debito quartae garbae; supra *Gisenghe* bonarium praeter xxxiiij virgas in angulo; supra *Dunst* dimidium bonarium, et liij virgas; juxta *Labros* tria bonaria et vij virgas; in eadem cultura in pendulo juxta *Broc* versus *Herlinchove*, sex dietaria et xxvij virgas; in duabus particulis retro Coudenberghes, ubi vinea stat, circiter bonarium paulo plus vel minus. Ante portam claustrum super culturam unum bonarium et xj virgas. Ut autem haec commutatio stabilis atque inconcussa permaneat, dicto abbati et ecclesiae warandisiam repromisi, et ipse similiter mihi in scriptum hoc cyrographyratum libuit mutuis sigillis confirmare et testium subnotatione auctorisare. Signum Simonis prioris; Symonis, subprioris; Aegidii, praepositi; Soikini, cellarii; Balduini de *Ydrenghem*; Andreae; Henrici de *Gant*; Henrici de *Hasplar*; Willelmi, Theodorici, Johannis, Hyberti, canonicorum Ninivensium; signum Willelmi de Grimbergis, fratris mei; signum Leonii, castellani de Bruxellis, et Godefridi, fratris sui; Gosuini de *Erpe*; Arnoldi juvenis de Berigardis; Gosuini de *Ridene*; Walteri *Ramar*, Michaelis, vinitoris; Henrici de Curia. Actum anno Domini MCC, octavo decimo mense Januarii.

LXXXIX.

Érasme de Gavre donne à l'abbaye une dîme à Woubrechtgem. —

ROUSLAR.

1200.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Razo, Dei gratia, de Gavera, pincerna comitis Flandriae, praesentibus et futuris notum facio, quod *Soir*, miles de Halebeka, dedit in concambium ecclesiae Ninivensi per manum meam decimam suam in parochia de *Walbrechtgem*, pro quatuor bonariis terrae vel eo circiter juxta Halebeka: ipso itaque hanc decimam quam a me feodaliter tenebat in manus meas resignante, ego nihilominus eam praefatae ecclesiae libere et allodialiter donavi et warandisiam promisi. Ut autem hoc ratum permaneat scriptum, sigilli mei appensione et testium subscriptione confirmo. Signum Iwaini de *Lewe*, S. Oliveri de *Hag*, Gozuini de *Hockengem*, Arnoldi, notarii mei. Actum anno Domini MCC.

Original, sceau en cire brune.

XC.

Le comte Baudouin IX approuve l'échange fait en son nom avec l'abbaye de quelques bonniers de moeres pour des terres labourables. — CALPH.

A Rupelmonde, 1200.

Ego Balduinus, Flandriae et Hainoiae comes, notum facio tam futuris quam praesentibus, quod cum avunculus meus, bonae memoriae, comes Philippus, Rodulfo notario de Gandavo decem bonaria morri et locum molendini cum sclusa donaverit, praefatus Rodulfus praedicta decem bonaria morri et memoratum locum molendini cum sclusa ab abbate Ninivensi, cum consensu capituli sui, pro decem bonariis terrae quae jacet in parrochia de *Woubrechthengem*, ex voluntate et assensu meo permutavit. Ut igitur hujusmodi permutatio firma et inconcussa in posterum permaneat, ipsam praesenti scripto commendatam sigilli mei appensione confirmavi. Actum anno Domini MCC, et sequenti anno apud Ruppelmonde in templo renovatum, coram testibus subnotatis. S. Sigeri Templarii, quondam castellani de *Gant* et filii ejus Sigeri castellani; S. Arnoldi de Audenardo; S. Balduini de *Prat*; S. Balduini de *Lehde*; S. Bernardi de *Rosbais* et filii ejus Bernardi; S. Wlvini, notarii.

Original, sceaux en cire brune.

XCI.

Le comte Baudouin IX reconnaît que l'avouerie héréditaire de l'abbaye lui appartient, et arrête qu'elle restera désormais toujours aux comtes de Flandre; il énumère les propriétés du couvent. — NINOVE.

1201.

Imprimée dans *Miræi Donat. belg.*, lib. II, cap. LXXIX, et dans les preuves du tom. II des *Annal. ord. Praem.*, col. CCXXXVII.

Original, sceau détruit.

XCII.

Le comte Baudouin IX donne une partie de moere à l'abbaye. — CALPH.

A Rupelmonde, 1201.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Balduinus, Dei gratia Flandriae et Hannoniae comes, praesentibus et futuris. Notum facio, quod pro salute animae meae et uxoris meae Mariae et praedecessorum meorum, ecclesiae B. Mariae et SS. Cornelii et Cypriani, apud curiam, in loco qui dicitur *Calf*, ex nostro dono et eleemosyna fundatam, hujusmodi donum contulimus. Ex parte generali orientali sicut limites morri a nobis dati se extendentes dividunt usque ad alnetum ultra *Cypdunc*; et prout ipsum alnetum se extendens includit usque ad monticulum duarum quercuum, in omnibus commoditatibus libere et absolute praefatae ecclesiae in eleemosynam donavi. Ut autem haec rata et inconcussa permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subscriptione corroboro et auctoriso. Signum Sigeri Templarii, quondam castellani de *Gant* et filii ejus Sygeri castellani; S. Arnulfi de Aldenarde; S. Balduini de *Prat*; S. Bernardi de *Rosbais* et Bernardi filii ejus; S. Wlvini, notarii. Actum apud Ruppelmonde, in templo, anno Domini MCCI.

Cartulaire de Malines.

XCIII.

Érasme de Gavre reconnaît qu'il a donné à l'abbaye la terre nommée Strec, en échange d'une autre. — LIEDEKERKE.

1201.

Imprimée dans *Miræi Donat. Belg.*, lib. II, chap. LXXX, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXVIII.

Original, sceau en cire brune endommagé.

XCIV.

Sohier, archidiaconus de Cambrai, reconnaît que l'abbaye a été remise en possession du droit de pêche à Ledeberge. — PAMELE.

A Meerbeke, 1201.

Sigerus, Dei gratia Cameracensis ecclesiae archidiaconus in Brabantia, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod cum dominus Willelmus de Ledeberge Ninivensem ecclesiam de sua piscatione, quam longo tempore absque calumnia et quiete possederat, violenter ejecisset, demum mediantibus nobis et viris prudentibus ac discretis, praefatam ecclesiam in suam possessionem restituit et eidem piscationem liberam cum una navi et duobus piscatoribus in omnibus aquis, usque ad pontes de *Impengem*, excepto solummodo quodam lacu, qui dicitur *Mero*, de consensu uxoris suae Beatricis et liberorum suorum, recognovit per manum domini sui Bertoldi et matris suae Alicis, consentiente etiam domino Arnulfo de Grimbergis, repromittens praefatae ecclesiae per se et suos haeredes perpetuis temporibus warandisiam. Ut autem hoc ratum et inconcussum in aevum permaneat, scriptum hoc sigilli appositione roboramus et auctorisamus, subscriptis testibus et eorum sigillis appositis, quibus de jure hoc confirmare competebat. Signum Bertaldi et Arnulfi de Grimbergis; S. Johannis¹ et Hescelini de Grimbergis, abbatum; S. Walteri, decani, et magistri Sigeri de Merbecca, et Gerardi de Goika; S. Davidis de *Hobosc* et Balduini de Stenkerca, S. Walteri de *Malbruc* et Michaëlis de *Hetdenhove*; S. Magtildis de Allodio et fratris ejus Henrici, et filii sui Hostonis. Actum apud Merbecam, anno Domini MCCI, post Pentecosten.

Original, le sceau de Mathilde en cire brune est seul conservé.

XCV.

Adam, abbé du Mont-S-Martin cède à l'abbaye tous ses droits à la dime de Voorde. — LOETSE.

1202.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Adam, Dei gratia ecclesiae Montis S. Martini abbas, praesentibus et futuris in Domino salutem. Notum facimus omnibus hoc scriptum lecturis,

¹ Au-dessus de *Johannis* se trouve écrit d'une autre main : *dicti Vermans*. Voyez la charte suivante.

quod cum ecclesia Ninivensis duas garbas decimae in parochia nostri juris apud Vorda de manu laïca trecentis marcis redemisset, invenit praefatae ecclesiae dilectus noster abbas Steppo, apud Montem S. Martini, et nobis et capellano nostro pro jure propinquitatis abstulit se jure suo libenter cessurum, si praetaxatam pecuniam ei redderemus. Sed cum hoc nobis minime cederet, ut de caetero hanc decimam libere et sine calumnia praefata ecclesia possideat, hujus oblationis nobis factae testimonium perhibemus, et quidquid actum est de nostra bona voluntate et consensu esse, profiteamur. Ut autem hoc ratum et stabile in aeternum permaneat, scriptum hoc sigilli nostri appensione roboramus, subscriptis testibus: Johanne videlicet abbatede *Vermant* et Roberto *Morel*, suo capellano. Actum anno Domini MCCII.

XCVI.

Érasme de Gavre reconnaît une donation de diverses parties de moere, situées à Mendonck, faite par le comte Baudouin et le notaire Rolin. — CALPH.

1202.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Razo, Dei gratia, de Gavera, pincerna comitis Flandriae, praesentibus et futuris in perpetuum. Quae semel gesta sunt ne processu temporis labantur a memoria, dignum haec duximus ad posterum notitiam scripto transmittere. Dominus meus Baldwinus, comes Flandriae, et uxor ejus Mariae, cum ecclesiae Ninivensi dedissent in eleemosynam apud *Menduncq* locum ad fundandam curiam et ibidem xx bonaria mori, adjecerit etiam quidquid includitur in terris et pratis, sicut ex parte orientali limites mori se extendentes dividunt, usque ad alnetum ultra *Cypdunc*, et prout ipsum alnetum se extendens, includit usque ad monticulum duarum quercuum: praeterea Rolinus notarius decem bonaria mori et locum molendini cum sua schusa, prout se in longum latumque extendit, praefatae ecclesiae in concambium dedit per manum comitis, qui ea libere et allodialiter in eleemosynam eidem ecclesiae donavit. Haec itaque quae praenotata sunt pro debito officii nostri et jurejurando curavimus et limites assignavimus, sicque praedictae curiae et omnibus appertinentiis suis vel rebus perpetuam pacem indicimus. Ut autem haec rata et inconcussa in aeternum permaneant, scriptum hoc sigilli nostri appensione et testium subnotatione roboramus et auctorisamus. Signum Hugonis *Buser* et *Lansini*, venatoris, fratris ejusdem; S. Cononis de *Ravenschot*, et *Wromondi* fratris ejus; S. Razonis filii nostri, S. Boidini de *Osbroc*; S. Soikini de *Stenusia* et *Arnoldi*, notarii nostri. Actum in Pentecoste, anno Domini MCCII.

XCVII.

Steppon, abbé de Ninive, détaille les conditions auxquelles a eu lieu un échange de terre entre l'abbaye et Guillaume de Ledeberge. — PAMELE.

Au château de Ninove, 1202.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Steppo, divina ordinatione Ninivensis ecclesiae abbas, praesentibus et futuris in perpetuum. Ea quae semel gesta sunt, ne processu temporis labantur a memoria, concedet viros providos et discretos ad posterorum notitiam scripti testimonio transmittere. Proinde notum facimus omnibus hoc scriptum lectoris, quod in parochia de Pamela, ex consensu capituli nostri, cum domino Willelmo de Ledeburga, consentiente quoque uxore sua Beatrice, hujusmodi contraximus concambium. Ipse dedit nobis libere et allodialiter unum et viginti bonaria terrae infra Ledeburga versus Teneram, repromittens warandisiam, siqui forte comparuerint calumniatores, nos quoque similiter de nostro allodio unum et viginti bonaria ei contulimus, pensata hinc inde contiguitatis commoditate et utriusque partis utilitate. Tria autem bonaria terrae apud *Ever-sengem*, quae ab antiquo erant ecclesiae de Pamela, et unum bonarium quod idem Willelmus apud Pamelam dederat ad lumen de consilio et consensu parochianorum assignavit nobis, et nos ibidem procurabimus duas lampades perpetuo arsuras in nocte et ad missam sive proventus terrae minus suffecerit, sive supercreverit. Caeterum propter pacem et concordiam inter nos et ipsum vel suos haeredes perpetuo firmandam, divino instinctu ductus, fecit nobis hominium, et nos nihilominus, de communi consensu capituli nostri, ei quatuor bonaria, tum apud *Chibruc*, tum apud *Stenen*, tum apud *Wachenborne* et *Varneth*, in feodum contulimus. De sex autem bonariis terrae apud *Hasselt* vel eo amplius, quae erant de terra Henrici de *Strumbec*, debuit nobis censualiter sex denarios, quos similiter ei feodaliter dedimus, et partem cujusdam indaginis juxta *Bocouth*. Si quis vero post eum filiorum vel haeredum suorum fuerit dominus castelli de Ledeburga in hanc feodationem jure haereditario succedere debebit. Ut autem haec rata et inconcussa in aevum perseverent, scriptum hoc cyrographisatum sigilli nostri appensione, et fratrum vel hominum nostrorum aliorumque fidelium testimonio roboramus et auctorisamus. Signum Galteri, prioris; Andreae, subprioris, et Gilleberti, praepositi; Damiani; Henrici de Sualma; Johannis de Lira et Johannis de *Spines*, sacerdotum; S. Galteri Bertaldi et matris suae Aleidis, cum appensione sigilli sui; S. Ingelberti de *Adengem* et Arnulphi de *Grinem*; S. Rodulphi de *Strithem*, et *Nicols* de *Okengem*, et Galteri de *Okengem*, hominum nostrorum; S. Henrici de *Popperoth*, Galteri de *Berghen* et *Morant*, hominum domini Willelmi. Actum apud Ninive, in castello, anno Domini MCCII, secundo in crastino Palmarum.

Original, sceau d'Alix en cire brune.

XCVIII.

Steppon, abbé de Ninive, déclare que l'abbaye a donné en fief à Arnolphe de Loia un alleu situé à Schendelbeke. — LOETSII.

A Ninove, 1202.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Steppo, Dei gratia Ninivensis ecclesiae dictus abbas, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod de consensu totius capituli nostri vendidimus, pro viginti octo marcis, et in feodum dedimus dilecto nostro Arnulpho scilicet de Loia allodium nostrum apud Scendelbeccam, quatuor videlicet bonaria terrae et dimidium vel eo amplius, duabus tamen garbis decimae de eadem terra nobis remanentibus. Est autem haec interposita conditio quod ipse vel haeres ejus singulis annis debeat abbati procuracionem hospitii cum quatuor equitaturis; et sic liber erit ab omnimodo servitute vel debito placitorum. Cum vero haeres ejus feodum suum volet requirere, dabit decem solidos, et abbas tres vel quatuor de hominibus suis feodatis ad ferendum testimonium debeat evocare. Ut autem hoc ratum et stabile perseveret, scriptum hoc cyrographisatum sigilli nostri appensione et testium subnotatione roboramus et auctorisamus. Signum Walteri, prioris; Andreae, subprioris; Henrici, sacristae; Gilleberti, praepositi; Soikini, cellerarii; Damiani, Arnoldi de Sualma, sacerdotum; S. Soir de Holebecca; Galteri de *Okengem* et Gerini de *Wolbregtengem*, hominum nostrorum; S. Rothardi *Boc* et Sigeri de Vorda; S. Symonis et Robini, scabinorum de *Geraumont*. Actum apud Ninive anno Domini MCCII.

Original, sceau en cire brune.

XCIX.

Érasme de Gavre et de Liedekerke cède à l'abbaye le droit qu'avait à la dime de Lombeke et de Strithem un de ses hommes liges, à condition, cependant, que celui-ci pourra la racheter après douze ans. — CATTHEM.

1209.

Ego Razo, dominus de Gavera et de Lidekerka, omnibus hoc scriptum inspecturis salutem in Domino. Quum humanae conditionis fragilitas ad oblivionis prona est detrimentum, et rerum turbae

non sufficit, expedit nobis in rerum turbatione positis, ut ea quae a modernis pie gesta dinoscuntur scripti faciamus patrocinio perennari, et a modernorum praesentia ad futurorum notitiam litterarum testimonio deportari. Noverint ergo tam praesentes quam posteri quod Impinus, miles et homo meus de *Okenghem*, et liberi sui, in praesentia mea constituti, quidquid juris habebant in decima de *Lumbecca* et de *Strithem*, sub testimonio hominum meorum, in manum meam libere reportarunt. Ego vero divinae pietatis intuitu, et pro domus religione et honestate, dictam decimam ecclesiae de *Ninive*, ab instanti festo sancti *Bavonis* in duodecim annos, contuli, concessi et confirmavi pacifice possidendam et liberam ab omni jure humano, tali tamen conditione, quod, transacto dicto termino, Impinus miles vel haeredes sui praedictam decimam pro sexaginta et decem libris *Flandrensibus* libere poterunt rehabere. Quod si forte ipsi praetaxatam pecuniam paratam non habuerint vel decimam redimere noluerint, jam dicta ecclesia ipsam decimam libere possidebit, donec praefatam pecuniam plene fuerit assecuta, nec decima poterit redimi, nisi de festo sancti *Bavonis* in festo sancti *Bavonis*. Ut autem dicta conventio debitam obtineat firmitatem praesentem feci conscribi paginam, sigilli mei caractere et testium subscriptione roboratam. Hujus rei testes sunt *Willelmus de Ledebergha*; *Ghiselinus de Lilar*; *Henricus de Lewa*; *Gozuinus de Landut*; *Rogerus, castellanus*; *Amelricus de Lumbecca*; *Annekinus Stoterroghe*; *Willelmus Magnus*. Actum anno Domini MCCIX.

Original, sceau perdu.

C.

Gérard de Lewergem déclare que les frères de Clenpol ont avoué qu'ils n'ont aucun droit sur les possessions de l'abbaye à Woubrechtgem. — ROUSLAR.

A Ordenghem, 1209.

In nomine sanctae Trinitatis. Ego *Gerardus de Lewergem*, omnibus hoc scriptum lectoris salutem. Notum sit praesentibus et futuris quod *Senekinus* et *Razo*, fratres de *Clenpol*, cum abbate et conventum ecclesiae *Ninivensis* diu multumque vexassent, tandem in praesentia nostra confessi sunt se nihil juris habere penitus adversus praefatam ecclesiam, sed omnem querimoniam deponentes si quid forte juris habere deberent in omni villa de *Worbrectengem* vel apud *Roslar*, in allodio de *Masmens* exfestucaverunt, et in eleemosynam donantes pro posse suo warandisiam promiserunt. Ut autem hoc ratum haberetur, sigilli mei appensione et testium subnotatione roboravi. Testes *Tidricus* et *Gillebertus*, fratres mei; *Heve de Landenghem* et *Ghiselin Liv*; *Bernardus Rufus*; *Gosuinus* et *Gerardus*, fratres de *Erpa*; *Boiden de Hessenghem*; *Sygerus Brabant* et *Saudrin*, famuli comitis. Actum apud *Ordenghem* et recognitum apud *Alost* coram *Timero*, officiali comitis, anno Domini MCCIX.

CI.

Érasme de Boulaer donne à l'abbaye trois bonniers de pré pour l'entretien d'une lampe qui doit brûler à perpétuité devant le St-Sacrement. — LOETSH.

A Boulaer, 1210.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Razo, dominus de *Boulaer*, omnibus hoc scriptum lectoris salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod ego et uxor mea Alitia, ob aeternam nostri nostrorumque memoriam dedimus ecclesiae Nivensi tria bonaria prati cum via accedendi ad pratum inter *Idenghem* et *Loyam* allodialiter in perpetuam eleemosynam, ad lampadem coram corpore Domini semper ardentem, et warandisiam cum exfestucatione promittentes ab omni jure, consuetudine vel exactione libera fore in perpetuum, decernimus. Ut autem haec rata et inconversa in aevum permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et hominum meorum testimonio confirmo et corrobore. Signum Aegidii de *Hasselt* et fratrum suorum; S. Woitini de *Licebroc*; Danieli Aversi; Gerardi *Angevin*. Actum apud *Boulaer*, in praesentia patris mei et fratrum meorum, anno Domini MCCX, idus Augusti.

Original, sceau en cire brune.

CII.

Érasme de Gavre reconnaît et confirme les droits de l'abbaye sur la dîme de Liedekerke et sur plusieurs domaines à Pamele, Denderleeu, Rouslar et Bochout. — LIEDEKERKE.

1210.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Razo de *Gavera*, pincerna Flandriae, omnibus hoc scriptum lectoris salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod ego et uxor mea Claricia recognovimus nos nihil juris habere in tota decima de *Lidekerca*, sed insuper quidquid juris decimarum habere debemus in praedicta parochia, vel in parochia de *Pamele* et vico *Impenghem*, sive in terra arabili sartata vel sartanda, sive in paludibus, duo quoque bonaria nemoris quod dicitur *Hova*, ab omni prorsus jure liberrima ob aeternam nostri nostrorumque memoriam ecclesiae Nivensi et fratribus inibi Deo famulantibus in perpetuam eleemosynam contulimus: omnem quoque querelam deponimus pro decima terrae Nicolai de *Okenghem* et *Gozini* militum, et *Clementiae* de *Ghisenghem*, vel pro aliqua terra, sive in parochia de *Okenghem*, vel *Idenghem*, vel *Lewa*, quam praefata ecclesia usque modo tenuisse dinoscitur: et nominatim pro quadam terra apud *Lumbeccam*,

quae dicitur *Kerclant*. Addentes insuper omne jus nostrum in terra quae dicitur *Predella*, et in terra unde disceptatio est inter ecclesiam de *Lidekerca* et *Lewa*, si forte jure limitationis adjudicata fuerit ecclesiae de *Lewa*. Praeterea quidquid saepedicta ecclesia vel per nos, vel per praedecessores nostros acquisivit, et in hoc instanti possidet, vel apud *Lidekerca*, vel apud curiam *Roslar*, vel apud curiam *Bochout*, eidem ecclesiae confirmamus et warandisiam in perpetuum repromittimus. Haec tamen conditione interposita, quod quoties ego vel uxor mea fuerimus apud *Lidekerca* in capella nostra, nobis abbas capellanum providebit ad celebrandum missam, exceptis his diebus videlicet: Nativitatis, Purificationis, diei Palmarum et triduo ante Pascha, diei sancto Paschae, Ascensionis et Pentecostes, diei omnium sanctorum et animarum fidelium¹. Ministrum autem nos providere oportebit, quotiescumque vero nos adesse non contigerit, in capella missa non celebrabitur, sed in parochiali ecclesia capellanum habebimus. Ut autem haec rata permaneant, scriptum hoc sigillo nostro et hominum testimonio roboramus. Signum Ghiselini de *Lilar*; S. Willelmi de *Le-deberga*; Arnoldi, notarii; S. Rogeri et Gozuni de *Landut*. Ad praefatam autem capellam, calicem, vestes, luminaria et caetera necessaria praeter librum providebimus. Actum anno Domini MCCX.

CIII.

Guillaume de Crainhem renonce à toute prétention et à tout droit qu'il a pu avoir sur les dîmes de quelques terres à Menz. — MENZ.

A Bruxelles, 1211.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Willelmus de *Crainhem* omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod ob aeternam in Christo salutem deposui omnem querelam, quam diu habueram adversus ecclesiam de *Ninive*, super quibusdam decimis in parochia de *Menz*. Cum igitur praefatae ecclesiae omne jus decimae in eadem parochia et ejus appenditiis integraliter quondam dedissem, praeter tria vel quatuor bonaria de cultura mea, jam ex caritatis affluentia praedicto dono haec eadem bonaria adjeci, et insuper quidquid juris decimae ibidem habui in omni allodio, culturis et terra arabili sartata vel sartanda penitus guerpivi et in eleemosynam donavi. Ut autem haec rata permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et fidelium testimonio roboravi. S. Hescelini de *Grimbergis* et Sigeri de *Jeth*, abbatum; S. Walteri, decani de *Auderlegth*, qui vicem agebat officialis domini Cameracensis; S. Arnoldi, decani et capituli sanctae *Gudulae*, quorum sigilla hic appensa sunt; S. magistri Henrici, sacerdotis de *Menz* et magistri Aegidii; S. Walteri, prioris de *Jeth*; S. Reineri et Johannis, canonicorum de *Grimbergis*. Actum apud *Bruxellam*, anno Domini MCCXI.

Original, sceau en cire brune.

¹ Plusieurs synodes des Gaules, et en particulier celui d'Agde (can. XXI), avaient défendu de célébrer la messe dans les oratoires privés aux fêtes principales.

CIV.

Érasme de Gavre déclare que Baudouin Rad a cédé à l'abbaye, sous certaines conditions, les droits qu'il avait à la dîme de Lombeke. — CATTHEM.

A Liedekerke, 1211.

Ego Raso, dominus de Gavera et pincerna Flandriae, praesentibus et futuris. Quum labente tempore gestorum ex facili labitur memoria, ne de re gesta nostro tempore aliqua in posterum oriatur controversia, praesenti paginae duximus inscribere, quod Balduinus, cognomento *Rad*, de consensu nostro contulit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi quidquid juris habuit in decima de Lombecka, quam tenuit in pignore a Francone *Buccart* et uxore ejus, pro quadam summa pecuniae xxx scilicet marcarum flandrensis monetae, xxxiiij solidis pro marca solvendis, et, sicut ab ipso Balduino *Rad* huc usque tenebatur in pignore, ita ab ipsa Ninivensi ecclesia amodo tenebitur, donec aliquis quem ipsa decima haereditario jure contingit praefatam pecuniam in festo sancti Bavonis et non alio tempore offerens, ipsam decimam de manu ecclesiae redimat. Ipse quoque Balduinus *Rad* tam de fructu decimae quam de sorte pecuniae contra omnes qui juri stare voluerint praefatae ecclesiae warandisiam ferre tenebitur, et munimen quod ut sub praedicta forma ratum et inconcussum permaneat, praesens scriptum sigilli mei appensione et canonicorum ipsius ecclesiae et hominum meorum testimonio duximus roborare. Testes Heinricus, Daniel, sacerdotes; Gosuinus de Scendelbeka, Aegidius de *Chemersake*, Impinus de *Okenghem*, milites; Rogerus; Amelricus; Colinus, forestarius; Arnulfus, notarius. Actum anno MCCXI, in vigilia beati Johannis Baptistae, apud Liedekerke in oratorio, et hoc totum factum est salvo jure nostro.

Original, sceau détruit.

CV.

Gautier de Sotegem donne à l'abbaye une terre située à Velsicque. — BOCHOUT.

1212.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Galterus de *Sottengem* et uxor mea Ricaldis omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod quidam de *Gand*, dictus Brama, cum terram quam a nobis feodaliter tenebat in parochia de Felseca in manus nostras resignasset, consentiente Aegidio *Screihase*, et quidquid juris in hac terra habebat werpiente, nos propter eam quae in Domino est adipiscendam salutem, praefatam terram ecclesiae Ninivensi in perpetuam eleemosynam libere contulimus. Si vero pro hac eleemosyna aliquis fratres ejusdem ec-

clesiae inquietaverit, et laïcalem justitiam requirere opus habuerint, ad nos venire debebunt et nos eam warandire et conservare ubique tenemur. Ut autem hoc ratum et stabile perseveret, scriptum hoc sigillis nostris et hominum nostrorum, aliorumque fidelium virorum testimonio confirmamus et auctorisamus. S. Walteri de *Sotengem*, Walter de *Steinberg*, Walteri de *Gisengem*, Soikini de *Stripes*, Boidini et Sigeri de *Goetverdengem*, Gerardi de *Waesbergen*, hominum de *Sotengem*; S. Everardi, Radolfi et Oliveri de *Sotengem*. Actum anno Domini MCCXII, mense Martio.

Original, sceaux en cire brune.

CVI.

Arnoul d'Audenarde confirme la charte précédente. — BOUCHOUT.

A Afflighem, 1212.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Arnoldus de Aldenardo omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod ob aeternam mei meorumque memoriam manum apposui, et consensu adhibui dono et eleemosynae, quam dominus Galterus de *Sotengem*, de consensu matris meae Ricaldis, allodialiter ecclesiae Ninivensi contulit. Siquidem quidam de *Gant*, dictus Brama, terram quam in parochia de Felseca feodaliter tenebat, consentiente Aegidio *Screihase*, et quidquid juris in hac terra habebat werpiente, eidem Waltero resignavit, et ipse nihilominus praefatae ecclesiae in eleemosynam libere donavit. Ego igitur contra omnes injuriantes warandisiam repromittens, ut hoc ratum et stabile perseveret, scriptum hoc sigillo meo et hominum meorum testimonio confirmo et auctoris. Signum Razonis de Gavera et Arnoldi filii sui; S. Walteri de *Sotengem* et Oliveri fratris ejus; S. Everardi *Radolf*; S. Eustachii, clerici de Aria. Actum anno Domini MCCXII, in crastino Palmarum, apud *Haffligem*.

Original, sceau en cire rouge endommagé.

CVII.

Érasme de Gavre confirme la donation d'une terre nommée Breidenbroc, faite à l'abbaye par son fils Arnoul. — BOUCHOUT.

1212.

Imprimée dans *Miræi Donat. Belg.*, lib. II, chap. XCV.

CVIII.

Érasme de Gavre donne à la chapelle de Bouchout dix sous de rente annuelle pour l'entretien d'une lampe devant l'autel. — BOUCHOUT.

Sans date¹.

Imprimée dans *Miræi Donat. Belg.*, lib. II, cap. XCVI.

CIX.

Henri I^{er}, duc de Brabant, confirme la donation de diverses propriétés, situées au hameau de Bunnegem, à l'abbaye de Ninove. — PAMELE.

A Vilvorde, 1214.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Henricus, Dei gratia dux Lotharingiae et marchio romani imperii, universis hoc scriptum inspecturis in perpetuum. Notum esse volumus, quod *Pari-dans*, miles de Strumbeka, in praesentia nostra constitutus, resignavit in manus nostras quidquid juris habere videbatur in terra de *Bunenghem*, quam Henricus, miles de Strumbeka, per manus Willelmi de Ledeberga, a quo eam feodaliter ipse tenebat, ecclesiae Ninivensi in eleemosynam dederat. Ipse igitur *Pari-dans* et uxor ejus *Ida* et liberi eorum, praesente et consentiente Willelmo de Ledeberga, totum jus suum in terris, pratis, sylvis et caeteris attinentiis apud Ledeberga in vico qui dicitur *Bunenghem*, quod ecclesia Ninivensis jam aliquamdiu possidebat, effestucantes, pro salute et annua memoria animarum suarum, de iudicio hominum nostrorum spontanea voluntate dederunt, et nos abbati et ecclesiae Ninivensi in eleemosynam contulimus, et nostrum patrocinium contra omnes injuriantes repromisimus. Ut autem haec rata et inconcussa in aevum permaneant, scriptum hoc sigilli nostri appensione et hominum nostrorum subscriptione roboravimus. Signum Arnoldi de Wesemala, Arnoldi, dapiferi de *Roteleir*, Arnoldi de *Arscot* et Arnoldi de *Walhem*, Walteri de *Bigardes*, Walteri de *Wemblines*, Willelmi de Ledeberga, Desiderii de *Helrode*; Sygeri, notarii; S. Radulphi, abbatis, Johannis, praepositi; Andreae, Walteri, Benedicti, sacerdotum Ninivensis ecclesiae. Actum apud *Vilvoort*, anno dominicae Incarnationis MCCXIV, octavo kal. Februarii.

Original, sceau en cire brune.

¹ Placée dans le cartulaire de Malines après les diplômes de 1212.

CX.

Mathilde, dame de Neygen et Meerbeke, ratifie un jugement des échevins de Meerbeke en faveur de l'abbaye. — WOLPUTE.

A Meerbeke, 1214.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Mathildis, domina et advocata de Allodio et de Merbecca, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod cum parochiani de Merbecca pro communibus pascuis, scilicet *Opstal*, calumniam moverent, abbas et conventus de Ninive dixerint, quod jam olim suae possessiones per scabinos et seniores parochiae a communibus pascuis essent divisae et limitatae, super quo adjurati scabini dixerunt, quod quidquid ecclesia Ninivensis in praesentiarum possidet in parochia de Merbecca, sive in terris, sive in pratis, sive in sylvis vel aquis et communibus aistentiis, justo titulo possidet et possidere debet in perpetuum. Ut autem hoc ratum et stabile permaneat, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subnotatione roboravi. Signum magistri Gerardi; S. Johannis, Henrici, Sigeri, sacerdotum de Merbecca; S. Johannis, praepositi; Andreae, Sigeri, sacerdotum et canonicorum Ninivensium, et Walteri de Scora; S. Walteri, majoris de Merbecca; S. Walteri *Flaminc*; Sigeri de *Scalkem*; Tirici de Elsbeca, Arnoldi de *Nat*, Lamberti de Polka, Walteri de Vorda, Walteri *Mouton*, scabinorum; S. Gisellini de *Scalkem*; Johannis de Tilia, militum. Actum anno Domini MCCXIV, mense Junio, apud Merbecca in atrio.

Original, sceau détruit.

CXI.

Alix, dame de Boulaer, donne à l'abbaye deux bonniers de pré, situés à Idenghem. — LOETSH.

A Boulaer, 1216.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Alicia, domina de Boular, omnibus praesentem paginam inspecturis in perpetuum. Quae semel gesta sunt, ne lapsu temporis labantur a memoria, necesse est ea litterarum testimonio confirmari: igitur notum sit tam praesentibus quam futuris, quod de allodio meo circiter duo bonaria prati, parum plus parumve minus, prope villam de *Idenghem*, inter duas aquas jacentia, ob mei meorumque memoriam sub censu quatuor denariorum de

quolibet bonario apud *Boular*, in festo sancti Martini, singulis annis solvendorum, et duas partes decimae ipsius prati, de consensu et voluntate domini Michaëlis, filii mei, Flandrensis constabularii, in perpetuam eleemosynam ecclesiae Ninivensi contuli, et per hunc censum ab omni servitio et exactione a me et meis successoribus ipsa ecclesia libera erit in perpetuum, et contra omnes calamitiam moventes, ego et successores mei debemus perpetuo warandire. Si autem per principes terrae vel alicujus violentiam ipso prato spoliaretur ecclesia, duo alia bonaria prati aequivalentia in eadem parochia praedictae ecclesiae debeo restituere. Quod si per scusam vel aquas alicujus molendini de fructibus prati damnum ecclesia incurrerit, de damno eidem ecclesiae plenariam teneor facere restitutionem. Ut autem hoc ratum permaneat et inconvulsum scriptum, hoc ego et dominus Michaël, filius meus, sigillorum nostrorum appensione et hominum meorum et aliorum testium subnotatione confirmavimus. Signum Walteri, abbatis Geraldimontensis, cujus sigillum appensum est; S. Samuelis, capellani; S. Gerardi *Scimai*, S. Danielis *Averecht*, S. Nicholai de *Mael*, militum; S. Dionysii de *Dutche*, Walteri *Maldenreia*, Arnoldi de *Overboular*; S. Adae, filiae meae; hominum meorum; S. Gerardi *Lep*, Wilhelmi de *Boular*, scabinorum. Actum apud *Boular* in thalamo, anno dominicae Incarnationis MCCXVI, mense Februarii.

Original, le sceau de Michel est seul conservé.

CXII.

Gautier, seigneur de Polaere, donne à l'abbaye trois bonniers de terre à Santberghe, que l'abbé cède à Étienne Joele pour un cens annuel de quatre deniers de Flandre. — LOETSH.

A Santberghe, 1217.

Ego Walterus, dominus de *Pollar*, notum facio omnibus praesens scriptum visuris, quod circiter tria bonaria terrae et dimidium allodii mei, sive plus, sive minus sit, quae jacet in parochia de *Sambergem*, juxta *Loets* et prope viam publicam quae ducit Geraldimontem ex adverso *Donbroc*, in omnibus aientiiis quas continet cum omni jure suo quod in eis habui, abbati et ecclesiae Ninivensi libere contuli et absolute. Ipse vero abbas eandem terram Stephano *Joele* et successoribus ejus jure haereditario contulit possidendam, sub annuali censu quatuor denariorum flandrensis monetae de singulis bonis ecclesiae Ninivensis, quotannis in festo beati Stephani apud *Niniven* persolvendorum. Ut hoc autem stabile et inconvulsum permaneat, praesens scriptum sigillo meo et eorum qui interfuere testimonio confirmo. S. abbatis, S. Walteri, decani; S. Reinboudi, Henrici de *Peda*, militum; S. Henrici, villici; S. Ghenekini de *Dombroc*, et Tunis, et David, Johannis et Walteri, scabinorum. Actum anno Domini MCCXVII, mense Decembri, in atrio de *Sambergem*.

Original, sceau en cire brune,

CXIII.

Gérard, seigneur de Grimberghe, déclare que Sohier Thegglinc a reconnu en sa présence qu'il n'avait aucun droit à une terre de Pamele, qu'il avait disputée à l'abbaye. — PAMELE.

A Ninove, 1217.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Gerardus, dominus de Grimbergis, omnibus tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Notum facimus vobis, quod Sygerus, cognomento *Thegglinc*, in praesentia mea constitutus, cum ad meam pertineret familiam, recognovit se nihil juris habere in terra illa quae jacet in parochia de Pamela, pro qua querelam movit adversus ecclesiam Ninivensem, quam terram olim mater ejus et sui participes legitime vendentes, dictae ecclesiae in eleemosynam contulerunt. Ipsam igitur querelam et quidquid juris in dicta terra habuit, vel habere se dixit, in manus Radulfi ipsius ecclesiae abbatis resignans et effestucans super altare ante crucem obtulit, data fide et praestito juramento, quod de caetero ecclesiam Ninivensem super eadem terra et super omnibus quae ipso die eadem ecclesia possedit, nullatenus aliquam molestiam inferendo inquietaret. Ut hoc autem stabile et inconvulsum permaneat, scripto meo sigillato et eorum qui interfuere testimonio, tam in ecclesia Ninivensi, ubi hoc prius actum est, quam in domo Balduini *Lindenere* ubi coram me recognitum est, confirmo. Signum Willelmi, fratris mei; Walteri, fratris castellani de *Gant*, militum; S. Radulfi, abbatis, Sygeri, prioris, Soikini, cellerarii, Andreae, sacerdotum et canonicorum Ninivensis ecclesiae; S. Philippi de Lumbea; Michaëlis de Goika; Walteri *Ramar*; Balduini *Lindenere*; Iwani *Zelcutere*; *Dobblere Coci*; Walwani et Henrici *Sualpe*. Actum anno Domini MCCXVII, in ecclesia Ninivensi ante crucem, mense Septembri, in vigilia sancti Cornelii; et recognitum coram me in domo Balduini *Lindenere*, proxima feria tertia sequenti.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CXIV.

Alix, dame de Boulaer, déclare que les trois bonniers de pré, situés à Idenghem, qu'elle a donnés à l'abbaye, doivent appartenir incontestablement à cette maison, quelle qu'en soit la mesure. — LOETSH.

1217.

Ego Alicia, domina de *Boulaer*, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod cum olim tria bonaria prati de allodio meo in parochia de *Ydenghem*, jacentia juxta Teneram versus *Loetsh*, de con-

sensu liberorum meorum, abbati et ecclesiae Ninivensi titulo eleemosynae contulissem, postea aliquantis evolutis diebus, dum de mensura ejusdem prati dubitans super hoc dictam ecclesiam calumniarer, ita inter nos calumnia illa sopita est, quod dictum pratium in omnibus aisentiis quas continet, sive plus, sive minus quam tria bonaria contineat, dictae ecclesiae Ninivensi tranquilla pace perenniter possidere concessi, et nec a me; nec a meis successoribus super remensuratione praetaxata ecclesia poterit in perpetuum calumniari. Ut hoc autem stabile et inconvulsum possit permanere, praesens scriptum sigillo meo et eorum qui interfuere testimonio, studui confirmare. Signum Aadae, filiae meae; S. fratris Soikini; Johannis et Sygeri, fratrum Ninivensium; S. Nicholai de *Mael*, militis; S. Samuelis, presbyteri; S. Willelmi de *Boular*. Actum anno Domini MCCXVII, mense Decembri.

Original, sceau détruit.

CXV.

Érasme de Gavre déclare que Hugues de Busere a cédé, en sa présence, tout droit ou prétention qu'il a pu avoir sur les possessions de l'abbaye de Ninove à Calph. — CALPH.

Sans date.

Imprimée dans *Miræi Donat. Belg.*, lib. II, cap. LXXXI; et dans les preuves du tom. II des *Annal. ord. Præm.*, col. CCXXXVIII.

CXVI.

L'abbesse de Nivelles ratifie la cession d'un pré à Appelterre pour une redevance annuelle de six setiers d'avoine et quatre chapons. — LOETSH.

1218.

H., Dei gratia, Nivellensis abbatissa, W. praepositus, A. decanus et totum Nivellensis ecclesiae capitulum, universis hominibus de *Aptres* et omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis

in perpetuum. Noveritis, et noverint universi praesens scriptum inspecturi, quod quidquid conca-
nonicus noster Aegidius de Bruxella, obedientiarius de *Aptres*, et nobilis vir dominus Osto de *Trasigniz*,
ejusdem villae advocatus, super terris aquosis et lutosiis prope fluvium dictum *le Tenre* et
infra villam jacentibus, quae terrae vulgariter *li mares* vel *li brucs* appellantur, agerent ad censum
annualem, conferendo bonarium pro quatuor sextariis avenae ad mensuram de *Aptres* et quatuor ca-
ponibus ad natale persolvendis, ratum habemus et acceptum; in omnibus autem omnino terris,
nemoribus et lutosiis, et quibuscumque aliis, decimam in integrum debemus possidere. In cujus
rei testimonium praesentem paginam sigilli nostri appensione roboravimus. Actum anno gratiae
MCCXVIII, mense Martio.

Original, sceau détruit.

CXVII.

*Le prévôt de St-Pierre et le prieur de St^e-Gertrude, à Louvain, décident en
qualité d'arbitres, quels sont les droits de l'abbaye de Ninove sur les dîmes,
les offrandes, etc., à Holtem-sur-Mont. — REINIRSART.*

A Louvain, 1218.

H., praepositus S. Petri, et L., prior S. Gertrudis in Lovanio, omnibus praesens scriptum visu-
ris aeternam in Domino salutem. Notum facimus tam praesentibus quam futuris, quod cum ex de-
legatione summi pontificis inter abbatem et ecclesiam Ninivensem ex una parte, et Henricum filium
Johannis *Brodari* ex altera, super quibusdam decimis, oblationibus et quadam parte juris patro-
natus ecclesiae de *Holtem* in Monte, et super terris etiam et sylvis in eadem villa, sicut Daniel, mi-
les de *Saintes*, et post eum Geila, filia ejus, olim tenuerat, coram nobis causa verteretur; tandem
per exhortationem proborum virorum, de consensu utriusque partis, tali modo inter eos compositum
est. Quod praememoratas decimas, oblationes et jus patronatus ecclesiae de *Holtem* in Monte sicut
dicti Daniel et Geila ibidem tenuerant, ipsa Ninivensis ecclesia in perpetuam possessionem cum qua-
tuor bonariis praefatae terrae arabilis integraliter acciperet, et reliqua omnia quae restarent, dicto
Henrico et suis sequacibus jure perpetuo absque calumnia permanerent. Sed quum praefatas deci-
mas, oblationes et jus patronatus, idem Henricus cuidam fratri suo litterato, Aegidio nomine, contra-
diderat, ipse Aegidius, receptis a portione fratris sui H. quatuor bonariis terrae, praedictas decimas,
oblationes et jus patronatus, in manus nostras ad opus ecclesiae Ninivensis resignavit, et effes-
tucando abrenuntiavit, et nos de voluntate ipsius L. in manus Domini Radulfi, ecclesiae Nini-
vensis abbatis, ad opus ipsius ecclesiae Ninivensis contradimus, cum quatuor bonariis terrae in
modo compositionis praetaxatis. Ipse et dominus R. abbas reliqua omnia ipsis quita coram nobis cla-
mavit, et jure perpetuo possidenda libere contradidit. Ut haec autem omnia rata et inconvulsa in

aevum permaneant, scripto cyrographizato et sigillorum nostrorum appensione et eorum qui interfuerunt subnotatione roborato confirmavimus. Signum Y., abbatis de Parco; S. Henrici, sacerdotis et can. S.-Gertrudis; S. Walteri et Aegidii, sacerdotum et can. de Ninive; S. Menzonis, sacerdotis. Actum apud Lovanium, sub turre in templo S. Petri, anno MCCXVIII, kalendas Augusti.

Original, le sceau du prévôt de St-Pierre de Louvain est seul conservé.

CXVIII.

Raoul, abbé de Ninove, reconnaît qu'il a vendu au prêtre Robert les terres dites Heghelsdal et Dorent. — HARTBEKE.

A Ninove, 1218.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Radulphus, Dei permissione abbas Ninivensis, totiusque ejusdem loci conventus, omnibus tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Notum facimus, quod circiter duo bonaria et dimidium terrae nostrae, quae dicitur *Heghelsdal*, et jacet in parochia de *Sainctes*, domino Roberto presbytero de *Haut-Crois*, titulo emptionis contulimus haereditarie possidenda, ad annualem censum pro sex denariis in festo beati Stephani protomartyris curiaenostrae apud Hardbeccam persolvendis; itemque circiter dua banaria et dimidium terrae nostrae quae dicitur *Dorent*, etiam in dicta parochia de *Sainctes* jacentia, eidem R. presbytero, quoad vixerit, concessimus. Quo sublato de medio, dictam terram integraliter de *Dorent*, libere ab omni calumnia et exactione Ninivensis ecclesia perpetuo possidebit. Si vero de terra de *Dorent* minus fuerit quam de *Heghelsdal*, successores saepedicti R. presbyteri tantum tenentur restaurare ecclesiae Ninivensi, quantum terra de *Heghelsdal* plus continet quam terra de *Dorent*. Si etiam praefatus presbyter ad communem vitam se transtulerit, terra de *Dorent* ad ecclesiam Ninivensem sine omni querela redibit, et ex illa de *Heghelsdal* suam faciet voluntatem. Insuper significamus universis quod cum pecunia quam accepimus de terra praetaxata, acquisivimus terram Hillini: videlicet circiter septem bonaria et amplius apud Pamelam jacentia. Ut autem hoc stabile et inconvulsum possit permanere, sigillo nostro et sigillo domini Walteri, decani de *Hal*, sub cujus testimonio haec facta sunt, praesens scriptum studuimus confirmare. Actum anno Dominicae Incarnationis MCCXVIII, in thalamo abbatis, Ninive.

CXIX.

Oston, avoué de Meerbeke, donne à l'abbaye une rente annuelle de vingt sols pour l'entretien d'une lampe. — NINOVE.

—

1219.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego, Osto advocatus de Meerbeke, omnibus hoc scriptum inspecturis, notum facio, quod ecclesiae sanctae Mariae de *Nuenhovem* in perpetuam eleemosynam contuli viginti solidos, ad lumen unius lampadae nocte dieque lucentis, ad natale Domini solvendos, de illis qui sunt possessuri terras meas de *Anhowe*, et illos denarios persolvent de censu meo quem mihi debent, qui possessuri sunt dictam terram, et reliquum mihi et meis persolvere non omittent. Ut autem hoc ratum permaneat et inconvulsum, praesens scriptum sigilli mei appensione studui confirmare. Actum anno MCCXIX.

Original, sceau détruit.

==

CXX.

Oston de Trasegnies déclare qu'il a concédé quelques parties de terre, près de la Dendre, à l'abbaye de Ninove, à charge d'une redevance annuelle de quatre setiers d'avoine par bonnier, et de quatre chapons. — LOESTH.

—

A Appelterre, 1219.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Osto, dictus de *Trāsensis*, advocatus de *Apeltes*, praesentibus et futuris in perpetuum. Notum sit omnibus hoc scriptum lecturis, quod, de consensu dominae H. abbatissae totiusque capituli Nivellensis, dedimus terras lutas et aquosas jacentes juxta fluvium *le Tenre* et intra villam de *Apeltes*, et testamur et concedimus, quod quicumque eas per nos et per nuntios nostros et per nuntios ecclesiae Nivellensis acceperunt vel accipient sub testimonio scabinorum de *Apeltes* ad censum annum eas possideant, et haeredes sui et jure haereditario teneant in perpetuum. Scilicet quodlibet bonarium singulis annis pro quatuor sextariis avenae ad mensuram de *Apeltes*, et quatuor caponibus solvendis intra quatuor dies natalis Domini in domo ecclesiae Nivellensis, quae est in curia quae dicitur *Lifronohove*, apud *Apeltes*, salvo censu nostro et decimis ecclesiae; et omnibus warandisiam in perpetuum repromisimus, et ad hoc nos et

successores nostros obligatos recognoscimus. Ut autem haec maneant firma et inconcussa, praesentes litteras scabinis et aliis hominibus de *Apeltres* dedimus in testimonium sigilli nostri appensione roboratas. Actum apud *Apeltres* anno Domini MCCXIX.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CXXI.

Oston de Trasegnies déclare qu'il a fait un échange de terres avec l'abbaye de Ninove. — LOËTSH.

A Appelterre, 1219.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Hosto, dictus de *Trasegnis*, advocatus de *Apeltres*, omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod abbati et ecclesiae *Ninivensi* dedimus in concambium pro duabus particulis prati, quae tenent circiter bonarium et dietam, quinque dieta, paulo plus vel minus supra fluvium *le Tenre* ad annum censum quatuor denariorum *Nivellensium*, contigua prato quod ecclesia a nobis et ab ecclesia *Nivellensi* censualiter accepit, pro quo etiam *Nivellensis* ecclesiae tantumdem prati ab omni jure nostro quitum assignavimus. Hoc autem pratum et illa quatuor bonaria quae praefata ecclesia a nobis et ab ecclesia *Nivellensi* censualiter et haereditarie suscepit, ab omni exactione et onere vel calumnia remensurationis quita et libera perpetuo protestamur, salvo jure advocatiae, et decimis ecclesiae, et ad warandisiam faciendam nos et successores nostros obligatos perpetuo recognoscimus; et si forte, quod non credimus, per aliquam violentiam principis terrae ecclesia eo quod ei per concambium contulimus gaudere non possit licite, manum ad ea quae nobis commutavit, remittet. Ut autem hoc ratum permaneat et inconvulsum scriptum, haec sigilli nostri appensione et testium subnotatione placuit roborari et auctorizari. Signum *Walteri de Malbroc*, *S. Soikini de Stenusen*, *Walteri villici de Apeltres* et *Hillini de Winti*; *S. scabinorum* et plurimorum de villa *Apeltres*, et magistri *Aegidii de Vrachena*. Actum apud *Apeltres* anno Domini MCCXIX.

Original, sceau détruit.

CXXII.

L'abbé Raoul règle les anniversaires de l'abbaye, indique ce qui sera donné pour chacun. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1219.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Radulfus, Dei gratia Ninivensis ecclesiae abbas, omnibus hoc scriptum lecturis. Notum facio, quod propter nutriendam pacem et concordiam inter fratres, anniversarios dies defunctorum qui per intercessores, vel per me sunt annotati, ut officium pro defunctis devotius in choro, et pietantia fratribus uberius fieret in refectorio, in unum collegi, de communi consensu fratrum in consilio domini J. de Parco, prioris abbatis, et pro his omnibus assignavi priori et conventui septem libras praeter quinque solidos recipiendas in censu apud *Roslar*, infesto beati Stephani, ut cum anniversarii dies subnotati sibi successerint, fratribus pietantia piscium et vini copiose debeat inde procurari. Insuper etiam adjeci particulam decimae, quam habui apud *Holebeccam*, communem cum decima quae minutioni fratrum est assignata. Et ne forte, quod absit, aliquis successorum meorum temere attentet in posterum, in periculum animae suae, fratribus hanc assignationem subtrahere vel imminuere, bona quae per eos quorum anniversarium diem celebramus, nobis sunt collata, et ad observandum anniversarium assignata, breviter libuit annotari. Pro domino E. Radulpho xl bonaria nemoris apud *Bochout*; pro domino Ingelberto de *Adenghem* quatuor bonaria terrae apud *Hartbec*; pro domino Gen. et Arnolde, abbatibus, quintam garbam apud *Strithem*; pro Henrico *Werregaren*, juniore, x marcas; pro Hugone *Losgart* et *Ida*, uxore sua, x libras; pro domino Gerardo de *Grimbergis* et *Alicia*, uxore sua, xxx libras; pro domino *Arnoldi* de *Grimbergis* xxv libras; pro domina virgine de *Hersela* ij bonaria terrae; pro domina *Margareta* de *Allodio*, ij bonaria terrae; pro domina *Elisabeth*, comitissa, x marcas; pro domino *Radul*, notario, et *Maria* de *Popperode*, filia ejus, ij bonaria terrae. Ut autem haec rata et inconculsa permaneant, scriptum hoc placuit sigillo nostro roborari et auctorisari. Actum anno Domini MCCXIX.

CXXIII.

Acte d'un échange de terres entre l'abbaye de Ninove et le chapitre de Meerbeke. — NINOVE.

—
A Meerbeke, 1220.

Ego Radulphus, abbas de Ninive ejusdemque loci conventus, et Merbeccensis ecclesiae capitulum, omnibus hoc scriptum inspecturis. Notum facimus, quod de communi consensu utriusque capituli quamdam commutationem fecimus, in hunc modum: dominus Radulphus, abbas de Ninive, tria

dieteria terrae jacentis juxta *Broc*, quod dicitur *Asght*, quae Johannes, sacerdos et canonicus ecclesiae Merbeccensis, Ninivensi ecclesiae in eleemosynam contulerat, praedictae ecclesiae Merbeccensi dedit in concambium et commutationem, pro quinta garba sex dietariorum terrae quae memorata ecclesia Merbeccensis habuit in cultura *Rubroc*. Ut autem haec commutatio rata, inconcussa et ab omni reclamazione libera et incalumniata in perpetuum perseveret, scriptum hoc sigillis utriusque ecclesiae nostrae confirmare studuimus et auctorisare pariter cum testium qui interfuerunt subnotatione. S. Nicholai et Willelmi, sacerdotum; S. Balduini, clerici, et filii ejus Henrici, subdiaconi; S. Brantini, villici de Merbecca; S. Walteri, S. Adam, scabinorum de Merbecca; S. Willelmi, sacerdotis de Ledeburga; S. Danielis, subdiaconi et canonici Ninivensis ecclesiae; S. Aegidii, clerici. Actum anno Domini MCCXX, mense Maio, in capellam S. Petri apud Merbecam.

Original, sceaux en cire brune.

CXXIV.

Oston de Trasegnies, avoué de Meerbeke, donne à l'abbaye un bonnier et plusieurs journaux de terre à Wolpute. — WOLPUTE.

1220.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Hosto, dictus de *Trasines*, advocatus de Merbecca, omnibus hoc scriptum visuris in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod ob aeternam quae in Christo est salutem, et mei meorumque memoriam, contuli et donavi in eleemosynam abbati et ecclesiae Ninivensi circiter bonarium *Brokes*, quod vulgo dicebatur *Opstal*, ante curiam *Wolput*, ad annum censum duorum denariorum Bruxellensium, in festo beati Remigii, apud Merbecam solvendum; recognovi etiam eidem ecclesiae et ab omni inquietatione liberum dimisi quidquid infra ambitum curiae continetur, et prout a matre mea, pie memoriae domina Magtilde, ipsi jam olim fuerat contraditum. Insuper novem dietaria *Brokes*, quod alnetum vocatur, paulo plus sicut antiquum fossatum includit usque in rivum *Hosbeke*, et dicitur fuisse allodium Herbrandi, militis et canonici Ninivensis ecclesiae, ipsi ecclesiae allodialiter recognovi et ab omni usu pasturae quem vulgus sibi vindicare voluit in eo prorsus emancipavi et liberum in perpetuum dimisi. Haec igitur praedicta ab omnimoda exactione vel consuetudine, vel calumnia remensurandi libera in perpetuum dimitto, et ad warandisiam faciendam me et successores meos in aevum obligatos recognosco. Ut autem haec rata et inconcussa permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et sigilli ecclesiae Merbeccensis, et testium subnotatione placuit roborari et auctorisari. Signum magistri Gerardi, Johannis et Henrici, sacerdotum et canonicorum Merbeccensis ecclesiae; S. Walteri de *Malebroc*, Ghiselini de *Scalkem* et *Calderonis*, militum; Brantini, villici; Walter de *Licebroc*; Hillini et Walter *Flaminc*, et Johannis de *Tilia*; Rogeri de *Lidekerca*; Aegidii *Folcart* de *Ninive*. Actum anno Domini MCCXX, in vigilia Pentecostes.

Original, sceau en cire brune.

CXXV.

Les abbés de Vermans et de Ninove renouvellent les liens de fraternité qui unissent les deux couvents. — DIVERS.

—
1220.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Paris de *Vermant* et Radulphus de Ninive, Dei gratia dicti abbates, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Notum sit omnibus hoc scriptum inspecturis, quod propter fovendam et nutriendam affectuosae familiaritatis amicitiam, quae a diebus antiquis inter ecclesias nostras et praedecessores nostros inconcussa semper viguit, ad roborandam quoque et ampliandam mutuae caritatis affluentiam, de communi consensu, hujusmodi fecimus societatis confoederationem. Quoties videlicet aliquis fratrem in utralibet ecclesia obierit, et alteri nuntiatum fuerit, statim pro eo plenarium fiet officium, in vigiliis, missa et magna commendatione et etiam corporali disciplina, cum praebenda unius diei, sicut pro fratre ecclesiae pauperibus eroganda. Insuper quilibet sacerdos specialem et missam pro defunctis, et qui sacerdos non est quinquagesimam psalmodum, et conversus quilibet centum *Pater Noster* persolvat. Ut autem haec devotae pensionis inter nos obligatio inviolabilis in aeternum observetur, et in utriusque capituli calendario annotetur, placuit hoc scriptum cyrographisatum mutuis sigillis roborare et auctorisare. Actum anno dominicae Incarnationis MCCXX.

Cartulaire de Malines.

CXXVI.

Gautier, doyen de Halle, déclare que Sohier, prêtre et chanoine de Meerbeke, a donné à l'abbaye un demi-bonnier de pré, situé au hameau d'Inghelant.
— WOLPUTE.

—
A Meerbeke, 1220.

Ego Walterus, dictus decanus de *Halle*, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod Sigerus, sacerdos et canonicus de Merbecca, dimidium bonarium prati liberae haereditatis suae, jacentis in *Inghelant*, ecclesiae Ninivensi libere et absolute in perpetuum contulit eleemosynam; facta donatione, quidquid juris eo habuit, effestucavit. Brantinus etiam, frater ejus, huic dono manum apposuit et idem similiter guerpivit. Ut autem hoc donum et factum ratum in aevum permaneat et inconcussum, scripto praesente sigillato et eorum qui interfuerunt testimonio studui confirmare. Signum magistri Gerardi et Johannis, sacerdotum et canonicorum de Merbecca; S. Aegidii, sacerdotis

et praepositi ; Lamberti, Balduini, Sigeri, conversorum Ninivensis ecclesiae ; S. Walteri *Flaminc*, Sigeri de Scalkem, Theoderi de Elsbeca, Godescalci de Nepa et Walteri Storem de *Naat*, scabinorum de Merbecca. Actum coram me apud Merbeccam, in atrio ex parte occidentali, anno Domini MCCXX, idus Martii. Hoc idem prius actum fuit et collatum in manus domini Radulphi, abbatis Ninivensis ecclesiae, apud Merbeccam in capella S. Petri, intrante Martio, coram dictis magistro G. et Johanne et Henrico, sacerdotibus et canonicis de Merbecca ; et Nicholao etiam de Windeca, diacono. Testes etiam ibidem dicti Walterus *Flaminc*, Sigerus de Scalkem, Theoderus de Elsbeca, Godescalcus de Nepa, Walterus Storem de *Naat*, Adam de *Naat*, et Arnulphus de *Naat*, scabini de Merbecca.

Original, sceau en cire brune.

CXXVII.

Engelbert d'Ayghem confirme la donation de six journaux de terre près de Hartbeke, faite par son vassal, Robert de Bossart, à l'abbaye.—HARTBEKE.

A Strichout, 1221.

Ego Ingelbertus, dominus de *Aienghien*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dominus Robertus, miles de *Bossart*, de assensu et voluntate Helewidis uxoris suae, constitutus in ultima voluntate dederit Ninivensi ecclesiae in liberam et perpetuam eleemosynam, nomine testamenti, circiter sex dietaria terrae, parum plus vel minus, jacentis juxta curiam de Hartbeke, prout a communia extenditur inferius secus vinarium, quam terram a me tenebat in feodum : eandem donationem de praedicta terra memoratae ecclesiae factam, quitam habeo et acceptam, et omne jus quod in eadem terra habui, eidem ecclesiae in puram eleemosynam similiter contuli, decernens nihilominus ut ipsam terram in perpetuum teneat, ab omni exactione et calumnia liberam et immunem. Ut salutem ex hoc facto et aliquod remedium animae meae a Domino non frustra sperare debeam, et merito invenire. Ut autem praenotata ecclesia Ninivensis dictam terram sicut veram eleemosynam suam in perpetuum pacifice possideat et quiete, scriptum praesens sigillo meo roboratum, eidem ecclesiae censui conferendum. Porro huic facto interfuerunt tanquam testes : Walterus de Mushem, Daniel de *Ruschebroc*, milites, homines mei ; Oliverus de Timbeke, et Inghelbertus, famuli mei. Actum in domo mea, in *Strichout*, feria quarta post festum beati Lucae, anno Incarnationis dominicae MCCXXI.

Cartulaire de Malines.

CXXVIII.

Gui de Bracle, chanoine de Renaix, lègue à l'abbaye une partie de pré. —
ROUSLAR.

—
1221.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum sit tam praesentibus quam futuris, quod ego Guido de *Bracle*, canonicus Ronacensis, ad honorem Domini beataeque Mariae semper virginis, et sanctorum martyrum Cornelii et Cypriani, et pro salute animae meae, legavi ecclesiae de Ninive unum jornarium prati et quinque solidos alborum de dimidio bonario terrae, quod emi ab Alicia, filia Ceciliae Albae, et ejus marito Voitino Fabro, in puram et perpetuam eleemosynam, quod tenet et colit Arnulphus *Dens* de Monte, ad censum quinque solidorum in nativitate beati Johannis Baptistae annuatim solvendorum, ita tamen quod domino capituli ex inde solvantur duo denarii flandricae monetae, tantum annuatim, de prato vero unus denarius filio Willelmi de Molendino, haec itaque conditione quod in anniversario meo conventui in refectorio de hac eleemosyna pietantia procuretur, et quamdiu vixero usum fructum vel condignam recompensationem ab ecclesia recipiam. Dicta autem terra jacet in parrochia de inferiori Bracle, in loco qui dicitur ad Montem, pratum vero in eadem parrochia in prato quod dicitur *Widemers*. Hujus autem eleemosynae donatio facta est in die dominico, hora missae, in ecclesia de Bracle, sacerdote et parochianis praesentibus. Ut autem haec eleemosyna in aeternum rata permaneat et inconvulsa, praesentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Verbi incarnati MCCXXI.

Cartulaire de Malines.

CXXIX.

Alix, dame de Boulers, donne à l'abbaye, pour un cens annuel, une prairie à
Odevaersnest. — ROUSLAR.

—
A Boulers, 1222.

Ego Alicia, domina de *Bouler*, omnibus praesentem paginam inspecturis. Notum facio, quod ob aeternam mei meorumque memoriam decimum trium dietariorum prati apud *Odevaersnest*, quod ecclesia Ninivensis a me tenet jure haereditario, sub censu trium denariorum flandrensium de quolibet dietario, eidem ecclesiae contuli in perpetuam eleemosynam libere possidendam, praeterea divisionem pratorum apud *Willixwade* a circa manentibus factam, inter pratum quod ibidem tenet

ecclesia Ninivensis et pratum Walteri, cognomento *Hubout*, ratam habeo, et quod ibidem ante divisionem factam male fessum fuerat, unde contra ecclesiam dudum movi querimoniam, totum remitto et ab querela omni quod fessum erat, absolvo, nec super hoc de caetero ecclesiam Ninivensem vexari permittam. Ut autem hoc ratum permaneat et nemo super hoc de caetero ecclesiam Ninivensem turbare vel calumniare praesumat, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subscriptione confirmavi. Signum Soikini, prioris; Symonis de *Gant*, canonici Ninivensis; S. Gosuini, militis de *Emelverdenghem*; S. Walteri de *Deftenghem*; S. Razonis, filii mei; Gerardi *Vander Beveren*; S. Adae, filiae meae. Actum *Bouler*, anno Domini MCCXXII, mense Februario.

Original, sceau détruit.

CXXX.

L'abbé de St-Amand en Peulle donne à l'abbaye, à charge d'une redevance annuelle, quatre bonniers de moere, situés à Basrode. — CALPH.

—
1225.

Universis praesentes litteras inspecturis. Galterus, Dei permissione abbas et conventus ecclesiae S. Amandi in Peula, salutem in Domino. Noverit universitas nostra quod nos dedimus ecclesiae Ninivensi quatuor bonaria de *mour* apud *Bacerode*, sub annuo quinque solidorum flandrensis monetae, in festo sancti Remigii solvendorum, et ea debemus eis contra omnes calumniantes legitime garantire. In cujus rei memoriam praesentem paginam fecimus conscribi, et sigillorum nostrorum appensione roborari. Actum anno Domini MCCXXIII.

Cartulaire de Malines.

CXXXI.

Conrad, abbé de Prémontré, partage entre les abbayes de Grimberghe et de Ninove les revenus de la dîme de Menz, qui étaient souvent en litige entre les deux couvents. — MENZ.

—
Dans l'abbaye de Prémontré, 1225.

Conradus, Dei patientia Praemonstratensis ecclesiae dictus abbas, omnibus tam praesentibus quam futuris aeternam in Domino salutem. Scire volumus universos, quod cum ecclesia Grimbergensis, in parrochia de Mence tertiam partem decimae, ratione personatus, cum sacerdote parochiali et de duabus residuis partibus octavam et nonam apud *Ophem* ratione pignoris perciperet,

ecclesia vero Ninivensis partes alias possideret , pro sopienda discordia quae ex hac difficili divisione frequenter contingebat inter easdem ecclesias , ab abbatibus et conventibus ipsarum ecclesiarum in nos est communiter compromissum , ut quidquid ordinarem super divisione praefatae ab utraque parte ratum haberent et firmum. Nos igitur, communicato prudentum virorum consilio, id decrevimus ordinandum , quod segetes et proventus lotius decimae communibus expensis in horreum Ninivensis ecclesiae , quod in villa de Mence situm est, adducentur , sexta parte excepta ad sacerdotium pertinente ; debebunt etiam secundum consuetudinem terrae expensis communibus tritulari ; de tota autem annona , palea , stramine et aliis proventibus ejusdem decimae , ecclesia Grimbergensis duas , ecclesia vero Ninivensis tres recipiet portiones ; ab hac autem ordinatione exclusae sunt decimae dotis ecclesiae , decimae novalium et decimae cujusdam terrae quam ibidem possidet ecclesia Ninivensis. Praeterea census qui debetur pro fundo grangiae supradictae in eo statu reliquimus , in quo esse consuevit. Sane si grangiam ipsam dilabi aut deteriorari contigerit, utraque ecclesia ipsam expensis communibus pro portione sibi competente reparabit. Porro si oclavam et nonam partem , de quibus antea fecimus mentionem , redimere contigerit , ecclesia Grimbergensis triginta et duabus libris flandrensibus , quibus eadem partes fuerant obligatae , decem et octo libras ejusdem monetae superaddet , ut summa fiat quinquaginta librarum , et de eadem summa vel minori , si fieri possit, pretio redditus, qui praefatis partibus aequivaleant, acquirentur. Si autem redditus venales non potuerint invenire, dicta summa pecuniae aequaliter dividetur , et utraque ecclesia aequalem recipiet portionem , eo tenore quod tam ecclesia Grimbergensis de portione sua, quam ecclesia Ninivensis de parte sua, terram sive perpetuos redditus ement , nec in alios usus suas poterunt convertere portiones. Decernimus autem ut praenominatae quinquaginta librae infra annum in comparandis redditibus expendantur secundum ordinationem praemissam. Ut autem praedicta omnia firmiter teneantur , nos injunximus partibus in virtute obedientiae , ut a saepedicta ordinatione nostra nulla ratione recedant , et ad majorem etiam firmitatem , nos eam redactam in scripto sigillo nostro duximus roborandam. Actum mense Octobri, Praemonstrati, anno gratiae MCCXXIII.

Original , sceau détruit.

CXXXII.

Hildegarde, dame de Melle et douairière de Roden, exempte du droit de tonlieu au pont dit Brabantbrugge, près de Gand, les bêtes de somme et les voitures de l'abbaye, quand le droit n'excède pas huit sous, monnaie de Flandre. —

DIVERS.

1225.

Imprimée dans les preuves du tom. II des *Annal. ord. Praem.*, col. CCXXXIX.

Original , le sceau de l'abbé Raoul est seul conservé.

CXXXIII.

Règlement pour la chapelle du château de Ninove. — NINOVE.

A Ninove, 1225.

Radulphus, Dei gratia Ninivensis ecclesiae dictus abbas, et Gerardus de Grimbergis et de Ninive dominus, omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod de nostro et totius conventus unanimi consensu, de prudentum virorum consilio, propter fovendam et nutriendam inter nos et posteros nostros unitatis concordiam, super procuracione capellae apud castrum Ninive hujusmodi fecimus compositionem. Ego igitur Gerardus ob aeternam quae in Christo est salutem, in remedium animae meae et uxoris meae Agnetis et fratris mei Willelmi de Ascha, ex propriis redditibus ibidem constitui capellanum, assignans ei in perpetuam eleemosynam quicquid juris habui in decima apud *Outre*. Cum igitur dictus capellanus apud Ninive fuerit abbas, capellanus mittere non tenebitur, nisi forte dominus vel domina ibidem praesentes, si opus habuerint, in vesperi vel ante campanam primae aliquem mandaverint, et tunc in arbitrio erit domini vel dominae quis eorum ante vel post debeat cantare: cum autem de claustris nullus ad castrum venerit cantare, celebrabitur ad altare sanctae crucis missa; prout solebat ad capellam cantari, videlicet omnibus dominicis et festivis diebus in vigiliis et sextis feriis in medietate quadragesimae, et adventus Domini. Si autem capellanus in negotiis domini vel de licentia ejus speciali alibi vel infirmus fuerit, abbas capellam, sicut hactenus moris est, procurabit et oblationes habebit; capellanus vero domini oblationes per totum annum quae ad manum ejus venerint, habebit, exceptis solemnitatibus natalis Domini, purificationis beatae Virginis, Paschae et Pentecostes et fidelium animarum, et exceptis oblationibus quas parochiani qui extra castrum manerent, quandocumque obtulerint, quas capellanus abbati restituet. De jure autem parochialis ecclesiae super quo manentes, venientes apud castrum, ecclesiae sunt. obnoxii sive de infirmis vel visitationibus, et hujusmodi nihil sit, penitus usurpabit. Capellanus vero abbatis, quoties cum ibi cantare contigerit, oblationes quae ad manum suam venerint, habebit, et si necesse est lumen ad missam suam procurabit sicut capellanus domini ad suam. Quotiescumque autem capellam proprio capellano carere contigerit, proventus qui interim provenerint, ad usum capellaniae meliorandae devolventur; non ultra unius anni spatium vacare debet, sed ad admonitionem abbatis si dominus capellanum instituere neglexerit, per censuram ecclesiasticam, si necesse est, compelletur. De praemissis autem capellanus abbati et ecclesiae cautionem praestabit, et fidelitatem per omnia jurabit. Ne vero abbas et ecclesia aliquid videatur sui juris pati detrimentum, infra parrochias suas pro recompensatione ubique in dominio meo de pratis vel paludibus quae dicuntur *bruc*, libere et sine aliqua contradictione decimas in perpetuum obtinebit. Ut autem haec rata et inconcussa in aevum permaneant, scriptum cyrographisatum placuit mutuis sigillis auctoritari et testium subnotatione roborari. Signum Sygeri, prioris; Aegidii, subprioris; S. Aegidii, praepositi, et Andreae et totius conventus; S. Willelmi, domini de Ascha; S. Gosuini de Rideve et Gerardi de *Ramesdonc*, militum; S. Michaëlis Balivi et Thomae de *Hasselt*. Actum apud Ninive, anno Domini MCCXXIII, in nativitate beati Johannis Baptistae.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CXXXIV.

L'archidiaconus de Cambrai, pour le Brabant, partage la dîme de Menz entre les abbayes de Ninove et de Grimberghe et le curé de la paroisse. — MENZ.

A Grammont, 1225.

Universis paginam hanc visuris, J., Cameracensis archidiaconus in Brabantia, salutem in omnium Salvatore. Cum viri venerabiles, abbas et conventus Ninivensis ex una parte, et abbas et conventus Grimbergensis, et praesbyter de *Menz* ex altera, coram me in quem compromiserunt super decimis novalium in parochia de *Menz*, et appenditiis ejus scilicet *Ophem*, *Rode* et *Hasselt* jacentium, huic jus commune et laicum plus juris quam ipse habet praecipue in decima, in alium nullatenus posse transferre: hinc praescriptionem, quoad modum possidendi, et decimas non ad distinctionem terminorum acquisitas, sed ad portionem aliquotarum tertiae in quibusdam, quartae in quibusdam, sextae in quibusdam; quae ob majorem sive minorem quantitatem suam minime mutant naturam ad decimas novalium esse extendendas, cum aliis rationibus eleganter allegaverint, ego favorem juris communis et ipsius certitudinem affectu amplectens ampliori quam odium prescriptionis, et dictam acquisitionem, de quibus mihi non constat, nisi per praesumptionem, de bonorum virorum consilio pro bono pacis et intuitu antiquae familiaritatis conservandae, duxi ordinandum, quod fructibus occasione decimarum novalium hinc inde perceptis, penes receptores remanentibus praedicti in xij bonariis quae reputo pro novalibus territorio inculto apud *Leubosc* continuatis nisi commodius post assignandis, et in omnibus locis in dicta parochia et ipsius appenditiis in posterum ad agriculturam sive alio modo ad solutionem decimarum redigendis sibi decimas communicabunt Ninivenses in omnibus proventibus et emolumentis sextam partem, Grimbergenses et presbyter de *Menz* residuum recipientes ita tamen quod in horreo communi similiter seorsa reponantur et triturrata, ut dictum est, dividantur, et per hoc sopita est lis quae fuit super decimis quatuor bonariorum in libera cultura apud *Menz* jacentium, ab ecclesia Ninivensi erga Willelmum de *Crahem* redemptis, quae ad instar antiquarum decimarum censebuntur. Ut haec autem rata et inconvulsa permaneant, praesens scriptum mei et dictarum ecclesiarum mutua sigillorum appensione studui confirmare. Actum apud Geraldimontem, anno dominicae Incarnationis MCCXXIII, mense Aprili, sexto idus Aprilis.

Cartulaire de Malines.

CXXXV.

Le châtelain de Bruxelles reconnaît que les domaines de l'abbaye à Reinirsart sont exempts de tout droit de châtellenie. — REINIRSART.

A Braine-l'Alleu, 1225.

Ego Leonius, castellanus de *Brucellen*, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod cum adversus abbatem et conventum ecclesiae Ninivensis calumniam movissem et querelam, ut de terris suis apud curtem suam *Reinirsart* infra parrochiam de *Seneffa* jacentibus, mihi solverent castellaniam, consideratis rationibus e contra a dicta ecclesia allegatis, et rei veritate diligenter super hoc et plenius inquisita, liquido cognovi et intellexi quod nihil juris in praefata habebam querela, sed a dictae castellaniae solutione praenominata ecclesia quita in perpetuum debeat permanere, et libera ne igitur aliqua in posterum super hoc dubietas suboriri possit, vel calumnia, praefatam ecclesiam Ninivensem et terras curtis de *Reinirsart*, in parrochia de *Seneffa* jacentes, quas eadem ecclesia ibidem anno Domini MCCXXIII possidebat, ab omni penitus castellaniae calumnia exactione et solutione liberam pronuntiavi, et de me et successoribus meis liberam in perpetuum fore decrevi. Ut autem haec in aevum rata permaneant et inconcussa, scriptum praesens sigillo meo roborare studui et confirmare. Actum apud *Braniam* allodii, anno Domini MCCXXIII, mense Decembri.

Original, sceau détruit.

CXXXVI.

Ingelbert, seigneur d'Ayghem, concède à l'abbaye sept bonniers de bois qu'Adam de Boutersbrugge, son vassal, lui a rendus à cette fin. —

A Ayghem, 1225.

Ego Inghelbertus, dominus de *Aienghem*, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod *Adam de Boutersbrugge* circiter septem bonaria nemoris, paulo plus vel minus, jacentia juxta nemus domini *Cauderon*, in veteri *Rist*, in parrochia de *Haucrois*, quae de me tenebat in feodum, in manus meas ad opus ecclesiae Ninivensis reportavit, hominibus meis judicantibus, quod et mihi et cuilibet alii libere et absque omni conditione vendere et dare posset, vel in eleemosynam conferre, et quod nec ipse nec aliquis propinquorum ejus de caetero quidquam juris in praedicto haberet ne-

more , et quod dictae ecclesiae Ninivensi libere possem conferre : igitur dictum nemo sicut in manus meas fuerat reportatum , et sicut illud in manu mea libere tenebam , in manus fratris Aegidii , Ninivensis ecclesiae praepositi , ad opus ejusdem ecclesiae libere , libenter et devote , in perpetuam eleemosynam contuli , et contra omnes juri parere nolentes fidelem et veram a me et a successoribus meis warandisiam promisi . Ut autem haec in aevum rata permaneant et inconcussa , scriptum praesens sigillo meo et sigillo Sigeri , filii mei , roborare studui et confirmare . Actum apud Aienghem anno Domini MCCXXIII , mense Decembri .

Original , sceaux détruits .

CXXXVII.

Gérard , seigneur de Ninove et de Grimberghe , donne à l'abbaye quarante sols , monnaie de Flandre , pour son anniversaire . — NINOVE .

1225 .

Gerardus , de Grimbergis et de Ninive dominus , et Agnes , uxor ejus , omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum . Notum vobis facimus , quod ob aeternam quae in Christo est salutem et memoriam nostri salutiferam contulimus ecclesiae Ninivensi ad celebrandum anniversarium nostrum in perpetuam eleemosynam quadraginta solidos flandrenses annuatim , ut inde copiosior pietantia piscium et vini procuretur conventui , quos recipiendos assignavimus de winagio nostro apud Ninive , in die purificationis sanctae Mariae . Si vero nos vel haeredes nostri dederimus pro qualibet libra decem libras ad comparandos alios redditus , ab hac assignatione erimus liberi . Ut autem hoc ratum permaneat scriptum , haec sigillorum nostrorum appensione et testium subnotatione roboramus . Signum Willelmi de Grimbergis , domini de Ascha ; S. Gosuini de *Erpe* et Gosuini de *Rideve* , militum ; S. Henrici , capellani ; S. Michaëlis Balivi et Hugonis , avunculi . Actum anno Domini MCCXXIII , mense Novembri . S. Roberti Hafligemensis et Willelmi Grimbergensis abbatum .

Original , le sceau du seigneur de Grimberghe est seul conservé .

CXXXVIII.

Plusieurs chanoines de Meerbeke reconnaissent qu'ils ont acquis une terre que l'abbaye possédait à Meerbeke, en échange d'une autre qui leur appartenait à Okeghem. — WOLPUTE.

A Meerbeke, 1223.

Universis praesens scriptum visuris, Johannes, Sygerus, Henricus et Henricus, canonici de Merbecca, aeternam in Domino salutem. Notum sit omnibus quod cum ecclesia Ninivensis quoddam bonarium terrae jacentis in parrochia Merbeccensi juxta locum sive sylvulam, quae dicitur *Ascht*, emisset ab uno nostrum, scilicet a Johanne de Elsbeka, nos tam ecclesiae Ninivensi quam nostro bono in communi pariter prospicientes et commodo, dedimus eidem ecclesiae in concambium pro dicto bonario aliud bonarium terrae, paulo plus vel minus, jacentis apud Eversenghem, in parrochia de Okenghem, et dicitur bonarium S. Berlendis. Ut haec autem commutatio in perpetuum rata permaneat et inconcussa, scripto praesenti duximus confirmare et eorum qui tam emptioni quam concambio interfuerunt testimonio roborare. Signum Henrici, capellani de Merbecca, S. Johannis de Lyra et Thomae, sacerdotum et canonicorum Ninivensium; S. Walteri *Flaminc*, Gerardi *Waie* et Walteri, filii Sygeri de Scalkem, scabinorum de Merbecca. Hi omnes tam emptioni quam commutationi interfuerunt. Actum apud Merbeccam, anno Domini MCCXXIII, mense Maio.

Original, sceau en cire brune.

CXXXIX.

Gérard de Grimberghe et de Ninove donne à l'abbaye la dîme de ses vignobles et l'usage du chemin de Labroc vers Herlinchove. — NINOVE.

1223.

Gerardus de Grimbergis et de Ninive dominus, omnibus hoc scriptum lecturis in perpetuum. Notum sit praesentibus et futuris, quod ob aeternam quae in Christo est salutem, de consensu uxoris meae Agnetis, ad solvendas decimas abbati et conventui Ninivensibus, de vineis meis sine aliqua prorsus contradictione me et posteros meos in perpetuum obligavi, tam ut ad mei meorumque memoriam devotius agendam haec decima specialiter attituletur et tribuatur infirmis in infirmitorio, et si quid superest fratribus in refectorio; praeterea ut commodo saepedictae ecclesiae in omnibus pro-

videam de prudentum virorum consilio concessi, ut via quae per *Labroc* versus *Herlinchove* tendebat extra vineam conventus, juxta fossatum circumducatur. Ut autem haec rata et inconcussa in aevum permaneant, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subnotatione placuit roborari. Signum Willelmi de Grimbergis, domini de Ascha, Gosuini de *Erpe* et Gosuini de *Rideve*, militum; S. Aegidii Balivi et Henrici, capellani. Actum anno Domini MCCXXIII, mense Decembris.

Original, sceau en cire brune.

CXL.

H., abbé de Jette, G., doyen de Halle et Ph., curé de Brust, terminent par leur décision le différend qui existait entre l'abbaye et Simon de Lewe par rapport au moulin d'Ydrenghem. — NINOVE.

A Meerbeke, 1224.

Universis praesens scriptum inspecturis, H., Dei gratia abbas Jethensis, G., decanus de *Hal* et canonicus B. Mariae Cameracensis, et Ph., presbyter de *Brust*, salutem in salutis auctore. Noverint universi quod cum controversia esset inter abbatem et conventum Ninivensem ex una parte, et Symonem de Lewe ex altera, super fundo cujusdam molendini, jacente apud Ydrenghem et super quadam septima parte quam dicti abbas et conventus sibi vindicabant in molendino dicti Symonis inferius existente, et super eo quod praefati abbas et conventus dicebant Symonem erexisse molendinum suum in praejudicium memorati fundi et super octo marcis alborum, de quibus lis erat inter jam dictas partes et super quodam frusto terrae adjacente dicto fundo, tandem post multas altercationes, de communi consensu dictarum partium, fide et juramento interpositis et sub poena triginta librarum alborum in nos fuit compromissum, quarum librarum una medieta erit a resiliente solvenda curiae Cameracensi, reliqua vero alteri parti nostrum arbitrium observanti. Nos vero diligenter pensatis tam valore quam meritis causae nostrum, de proborum virorum consilio, et in hunc modum protulimus arbitrium: « Abbas et conventus et dictus Symon communiter possidebunt fundum memoratum, et communibus expensis facient aedificium et alias necessarias expensas et impensas, communiter quoque recipient emolumentum, ita quod abbas et conventus in omnibus supradictis habebunt unam medietatem, Symon vero aliam. Piscariam vero quae erit supra fundum dicti molendini, abbas et conventus habebunt ex integro in perpetuum sine contradictione Symonis, illam vero quae erit subter fundum dicti molendini habebit Symon sine contradictione abbatis et conventus. Item molendinum Symonis, quod dicebatur exaltatum, in praejudicium sive damnum superioris fundi debet Symon humiliare uno pede et dimidio, sub testimonio proborum virorum, ita quod dictus abbas et conventus in humiliatione ipsius molendini debent procurare, et apponere unum operarium, Symon vero alium. Molendinum autem illud debet Symon humiliare, sicut dictum est, infra instans Pascha proximum futurum; item pro frusto terrae jam dicto fundo adjacente dabunt abbas et con-

ventus Symoni viginti solidos alborum, et sic erit terra haereditas Ninivensis ecclesiae. Item septimam partem molendini Symonis, quam sibi abbas et conventus vindicabant et medietatem fundi praelibati recipiet Symon ab abbate in feodum, et super his faciet ei hominum. » Mediantibus igitur istis sopita erit causa octo marcarum et omnis controversia quae habebat ortum vel erat habitura ab articulis supradictis. Ne igitur in posterum quisquam tali arbitrio nostro canino dente, quod absit, praesumat oblatrare, praesentem cartulam arbitrium istud a partibus acceptatum continentem, sigillis nostris dignum duximus roborare, et quia ego Ph., presbyter de *Brust*, proprium sigillum non habui, praesens scriptum sigillo Merbeccensis ecclesiae feci roborare. Testes hujus arbitrii sunt Johannes, Sygerus, Henricus, can. Merbeccensis; Leonius, praepositus; frater Ambrosius, sacerdos, et Daniel, diaconus, can. Ninivensis. Actum apud Merbeccam anno Domini MCCXXIV, tertio kalendas Junii.

Original, sceaux détruits.

CXLI.

Théodore, doyen de Grammont, déclare que Thomas de Pollar a reconnu en sa présence qu'il n'a plus rien à exiger de l'abbaye de Ninove. — LOETHS.

A Grammont, 1225.

Universis quibus praesentes litteras videre contigerit Theodoricus, decanus christianitatis de Geraldimonte, salutem in Domino. Dignum et rationi conveniens esse dinoscitur ea scilicet quae bene gesta sunt litterali commendare memoriae, quatinus sic sopiantur jurgia et importunitates cavillantium valeant coherceri. Ea propter noverit universitas vestra, quod Thomas de Geraldimonte scabinus dictus de *Pollar*, constitutus in praesentia nostra recognovit coram nobis, quod cum inter Ninivensem ecclesiam et ipsum pluries intervenissent pacta, conventiones, conditiones, venditiones et emptiones ac alii quamplures, cujuscumque modi fuerint contractus, de universis satisfacit ei praedicta ecclesia competenter, ita quod in nullo ei prorsus remanserit obligata. Unam et ipsam ecclesiam dictus Thomas de omnibus in quibus ei unquam obligata exstiterat, publice quitam clamavit, praeterea adjecit quod in decima de *Flursemghe* nihil juris habebat, sed eam totaliter dictae ecclesiae resignavit quitam, liberam et absolutam. Actum apud Geraldimontem, sub praesentia istorum: Arnoldi videlicet presbyteri de Scendelbeca; Johannis, filii magistri de Geraldimonte; Hillini, presbyteri de Badenlenghem, et Jacobi, scabini de Geraldimonte. Anno gratiae MCCXXV, feria post octavas Epiphaniae.

Cartulaire de Malines.

CXLII.

Gérard, seigneur de Grimberghe et de Ninove, donne à l'abbaye le vivier de Labroc, pour augmenter la pitance des moines le jour de son anniversaire.

— NINOVE.

A Rumest, 1225.

Ego Gerardus, de Grimbergis et de Ninive dominus, et Agnes, uxor mea, omnibus hoc scriptum lecturis. Notum facimus, quod ob aeternam quae in Christo est salutem et memoriam nostri salutiferam, contulimus ecclesiae Ninivensi in perpetuam eleemosynam locum vivarii in *Labruc*, prout se extendit sclusa dicti vivarii in latum et in longum, ab omni exactione vel annua pensione caponum vel avenae liberum et quitum. Hujus autem pensionis valentiam volumus et statuimus specialiter dari et assignari ad augmentandam et decorandam pietantiam quae in anniversario nostro alibi est assignata. Ut autem hoc ratum et stabile in aevum permaneat, scriptum hoc sigillorum nostrorum appensione et testium subnotatione roboramus. Signum domini Roberti de Tenremonde et Johannis fratris sui; S. Willelmi de Grimbergis, fratris mei; S. Paridani de *Eppenghem* et Willelmi de Lira, militum; S. Johannis de *Ramesdunc* et Gosuini *Mol.* Actum anno Domini MCCXXV, mense Octobri, apud *Rumest*.

Original, sceaux perdus.

CXLIII.

L'hôpital de St-Jean, à Bruxelles, s'oblige à réparer les dommages que ses supérieurs ou envoyés pourraient causer à l'abbaye de Ninove à Ledeberghe. —

PAMELE.

1226.

Universis Christi fidelibus has litteras inspecturis, frater Ludo cum capitulo hospitalis B. Johannis in Bruxella, salutem. Noverit universitas vestra, quod cum de consensu domini Cameracensis abbatis et capituli ecclesiae Ninivensis quaedam capellania in parochia de Pamela apud Ledeberga, instituta per donationem domini Willelmi, ad nos sit translata, nos eidem ecclesiae obligamus domum nostram ad damna recompensanda, si qua ipsi per nos vel per nuntios nostros ibidem contigerit inferri. Ut autem praesens pagina robur habeat, sigilli nostri caractere ipsam fecimus consignari. Actum anno Domini MCCXXVI, mense Augusto.

Original, sceau en cire verte endommagé.

CXLIV.

Othon de Trasegnies, dit l'Oncle, donne à l'abbaye, sous la redevance annuelle de deux deniers de Flandre, près de six journaux de terre à Appelierre.

— LOETSH.

1226.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Osto de *Trasegnies*, dictus Avunculus, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod ob aeternam quae in Christo est salutem, quinque dietaria, sex virgas minus, allodii mei infra parochiam de *Apeltren*, ante curiam de *Loets*, supra viam quae tendit versus *Fordes* jacentia, ab omni exactione et talliis libera, sub annuo censu duorum denariorum flandrensium, ad natale Domini mihi et successoribus meis solvendorum, in perpetuam elemosynam ecclesiae contuli *Ninivensi*, et ut verus dominus et advocatus *warandisiam* repromisi. Ut autem hoc ratum permaneat et inconcussum scripto praesenti studui commendare et sigilli mei apensione roborare. Actum anno Domini MCCXXVI, mense Decembri.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CXLV.

Acte d'un échange fait entre Arnoul de Grimberghe et l'abbaye.—NINOVE.

1227.

Arnoldus, dictus de *Grimbergis*, praesentibus pariter et futuris omnibus quibus praesens scriptum videre contigerit in perpetuum. Universitati vestrae notum facio, quod debebam ecclesiae *Ninivensi* annuatim octodecim denarios flandrenses, in die sancti Martini solvendos, de bonis illis quae *Waltero* militi de *Houtem* cum uxore sua, cum eam matrimonialiter duceret, a domino de *Erpa* collata fuerunt, et praedictae ecclesiae ab ipso *Waltero* postmodum in concambium tradita, et de eisdem bonis debebam eidem ecclesiae similiter unum firtale siliginis et unum firtale avenae, necnon et unum caponem, solvendos annuatim in die sancti Stephani ad natale; at memorata ecclesia debebat mihi vice versa de parte sua, quam habet in manso qui fuit *Gilleberti* de *Outhre* et jacet ibidem juxta atrium, duos capones et dimidium; debebat etiam mihi de parvo pratulo, quod jacet secus terram suam apud *Langhebrouc*, unum caponem, et de mansulo jacente subtus, inferius molendinum abbatiae, quatuor denarios et duo atilia quae omnia in die sancti Stephani ad natale mihi dicta ecclesia singulis annis solvere tenebatur. Attendens igitur quod praefatus census qui a me dictae

debeatur ecclesiae et census ille quem mihi dicta ecclesia, sicuti praelibatum est, conferebat, secundum veram aestimationem ejusdem essent valentiae, census ipsum, in quo mihi tenebatur ecclesia, de speciali assensu nobilis matronae Sophiae, matris meae Bruxellensis castellanae, ei remisi in perpetuum, et ipsa nihilominus ecclesia census illum, in quo ei obligatus exstiteram mihi vice versa libere et absolute remisit sua gratuita voluntate. Neve igitur ista quae praescripta sunt, et quasi per concambium legitime facta in futurum ab aliquo ullatenus infirmentur, praesens scriptum sigillo meo cum sigillo praedictae Sophiae, matris meae, in testimonium et confirmationem facti hujus studui consignare. Actum anno gratiae MCCXXVII, dominica post octava Epiphaniae ¹.

Original, sceau détruit.

CXLVI.

J. de Hauterive, archidiaconus de Liège, et G., doyen de Fleurus, déclarent qu'Arn. Rosseaus a donné à l'abbaye la part qu'il avait de la dîme de Houthain. — REINIRSART.

A Fleurus, 1227.

J. de Alta Ripa, Dei gratia, Leodiensis archidiaconus, et G., concilii Flerensis decanus, tam futuris quam praesentibus in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod Arnoldus *Rosseaus* de *Houthain* omnem portionem quam habebat in decima de *Houthain*, nomine venditionis, contulit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi. Ut autem hoc factum ratum in posterum conservetur, sigillis nostris praesentem paginam roboravimus, testibus qui interfuerunt subnotatis. S. Gerardi de Sancto Amando; Severini de *Houthain*; Alardi de *Falisules*; Petri de *Houthain*; Johannis de *Walransart*. Actum anno Domini MCCXXVII, in ecclesia apud *Flerus*, in die beatae Mariae Magdalенаe.

Original, sceaux perdus.

CXLVII.

Le pape Grégoire IX confirme les privilèges et les immunités de l'abbaye. — DIV.

A Orvieto, 1227.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Ninive, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a

¹ Le cartulaire de Malines donne un double de ce diplôme.

nobis petitur quod justum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a praedecessoribus nostris romanis pontificibus, per privilegia sive alias indulgentias, vobis et monasterio vestro concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus ac aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et ipsi monasterio indultas, sicut eas juste ac pacifice obtinetis, vos et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum apud Urbem veterem, decimo quinto kalendas Augusti, pontificatus nostri anno primo.

Original, sceau détruit.

CXLVIII.

Othon de Trasegnies, surnommé l'Oncle, prend sur lui la dette que Gosuwin de Scendelbeke a contractée envers l'abbaye par l'achat de la terre de Volensela, et qu'il a cédée à Othon. — HARTBEKE.

1228.

Ego Osto de *Traseniis*, dictus Avunculus, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dominus Gozuinus de Scendelbeca emerit ad opus Gerardi, filii mei, erga abbatem et conventum de Ninive usque ad decem et septem bonaria terrae, secundum quod mensura declarabit, jacentis apud Volensela, quam terram, bonae memoriae, Henricus miles, avunculus meus, in elemosynam contulit ecclesiae Ninivensi: et, cum idem dominus Gosuinus de quolibet bonario illius terrae septem libras flandrenses jam dictae ecclesiae sponderit se daturum in contractu emptionis istius; onus istius debiti in me suscipiens, summae quam denarii isti in unum collecti faciunt, videlicet centum et decem et octo libras flandrensium, quae tam summa augenda vel minuenda erit, secundum quod per mensuram in terra plus minus vere esse constiterit, verum debitorem me esse denuntio, et ut verum debitorem hujus summae tenore praesentium praedictae ecclesiae me obligatum reddo, adjiciens quod totalem summam hujus pecuniae solvere teneor dictae ecclesiae infra natale beati Johannis Baptistae, proximo venturum, fidem nihilominus interponens me ei satisfacere ad suam in omnibus voluntatem. Ut autem super praescripto debito infra dictum terminum minus veraciter persolvendo omnis tollatur dubietas, et ecclesiam praenotatam reddam certiore, praesens scriptum sigilli mei appensione et testium subnotatione studui confirmare. Signum Gosuini, militis de Scendelbeca; Walteri de Moriameis; Petri de *Sainctes*; S. Johannis de *Emelverdenghem*; Aegidii de *Vrechem*. Actum anno gratiae MCCXXVIII, mense Martio.

Cartulaire de Malines.

CXLIX.

Gossuin de Schendelbeke confirme la vente d'une terre, sise à Ransbeke, faite à l'abbaye de Ninove par la veuve et les héritiers de Daniel de Hellegem, son vassal. — ROUSLAER.

A Rouslar, 1228.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Gosuinus, dictus de *Scendelbeke*, omnibus praesens scriptum inspecturis in perpetuum. Cum res gesta scripto perennata totius calumniae materia praeveniatur, ne praestetur litis occasio successoribus, igitur notum sit tam praesentibus quam futuris, quod Eufemia, relicta Danielis de *Hellenghem*, et filii ipsius, Godescalcus, clericus, et Reinekinus, consensu privignorum suorum, Balduini videlicet, Henrici et Walteri, vendiderunt abbati et ecclesiae Ninivensi unarium terrae, plus minusve, in parochia de Ransbeke jacentis secus pratellum, quod dicitur *Emsdal*, pro duodecim libris et quatuor solidis flandrensibus. Quam terram jure haereditario tenuerunt a Gosuino de Silva ad censum quatuor denariorum, eamque communi consensu in manus ipsius Gosuini ad opus praedictae ecclesiae contulerunt et exfestucaverunt; idemque Gosuinus dictam terram memoratae contulit ecclesiae sub testimonio cohaeredum, videlicet Walteri de *Roslar*, Erleboudi, Nicolai *Boeucop* et Arnoldi, filii *Bescele*, ad censum quatuor denariorum: postea saepedictus Gosuinus qui praenuntiatam terram a me tenebat in feodum quatuor denariorum, quos annuatim censualiter recipere debebat, titulo emptionis contulit ecclesiae praetaxatae, et quidquid juris habebat in dicta terra, in manus Johannis de curia, ministerialis mei, ut feodum suum sub testimonio hominum meorum Annekini de Sylva, Willelmi de *Asplar*, Michaëlis de *Woubrechtengem*, ex integro resignavit et coram iisdem hominibus meis ex parte mea dictae ecclesiae, praedictus Johannes ballivus meus praenominatam terram ad censum quatuor denariorum in festo sancti Bavonis annuatim mihi solvendorum ab omni exactione et servitute qualibet liberam Ninivensi ecclesiae jure haereditario in perpetuum contulit possidendam, salvo alio dominio meo. Ut autem praescripta in aeternum rata permaneant et inconvulsa, ego contra omnes qui juri stare voluerint, warandisiam repromisi, praesentem paginam sigilli mei appensione et testium subnotatione confirmans. Signum Symonis, prioris de Ninive; Johannis de Curia; S. Gosuini de Sylva. Actum apud *Roslar*, anno dominicae Incarnationis MCCXXVIII, mense Novembri.

Cartulaire de Malines.

CL.

Gossuin, seigneur de Schendelbeke, donne à l'abbaye une somme annuelle de huit sols, hypothéquée sur une terre située à Schendelbeke. — LOETSH.

1229.

Ego Gossuinus, dominus de *Scendelbeke*, notum facio praesentibus et futuris, quod pro remedio bonae memoriae domini Oliveri, patris mei, et pro mea meorumque salutifera memoria, contuli in liberam et perpetuam eleemosynam conventui de Ninive octo solidos alborum annuatim, quos eidem conventui assignavi recipiendos singulis annis in vigilia natalis Domini, de terra illa quam praedictus Oliverus, pater meus, quondam emit erga Walterum, militem de Outhre, sitam in parochia de *Scendelbeke*; ita quod Soikinus de *Büst* qui tenet modo terram illam, necnon et omnes illi qui post eundem S. tenebunt eam, ad solvendum annuatim praedictos octo solidos ad terminum supradictum memorato conventui de Ninive erunt ab hac die et deinceps in perpetuum obligati. Ut autem haec donatio rata et inconvulsa permaneat in aeternum, praesentem cartulam conventui praelibato sigillo meo contuli roboratam. Actum anno gratiae MCCXXIX, feria quinta ante purificationem beatae Mariae Virginis.

Original, fragment de sceau en cire brune.

CLI.

Othon de Trasegnies, surnommé l'Oncle, donne à l'abbaye trois bonniers de terre dans la commune d'Appelterre, à charge d'une redevance annuelle de trois deniers de Bruxelles. — LOETSH.

A Wedergraet, 1229.

Ego Osto de *Trasegnies*, dictus Avunculus, notum facio praesentibus et futuris, quod Walterus miles, villicus de *Apeltren*, de mera voluntate mea et uxoris meae Osiliae, per manum meam et ipsius libere et absolute donavit et contulit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi tria bonaria terrae ad majorem mensuram, parum plus vel minus, jacentis in parochia de *Apeltren*, quam terram dictus Walterus emit ex parte uxoris meae ipsius O., scilicet ab Olivero *Runschuit*, et eandem terram tenere et possidere debet perpetuo memorata ecclesia allodialiter, ut suam ecclesiam liberam ab omni servitute et qualibet exactione immunem et nullius omnino rei obnoxiam; hoc tantum excepto quod

tres denarios bruxellenses mihi inde et successoribus meis pro jure advocatiae, ad natale Domini annualim persolvat. Ego vero praefatae ecclesiae de eadem terra verum me esse profiteor protectorem, et eidem a me perfectam warandisiam de terra ipsa et a meis successoribus repromitto perpetuis temporibus exhibendam. Ad quam etiam warandisiam supradicta Osilia, uxor mea, mecum se obligavit adversus dictam ecclesiam, praestito super hoc fidei sacramento. Ad arcendam igitur quorumlibet importunitatem, praesens scriptum sigilli mei appensione et testium subnotatione censui roborandum. S. Gosuini, militis de *Scendelbeke*; Walteri de *Moriameis*; Petri de *Saintes*; Johannis de *Emelverdeghe*; Aegidii de *Vrechem*; S. Walteri, decani de *Hal*; magistri Willelmi de *Herines*. Actum apud *Wedergreite*, anno gratiae MCCXXIX, mense Martio.

Original, le sceau en cire brune.

 CLII.

G., évêque de Cambrai, transporte à l'abbaye la dîme de Heldergem, que le chevalier Gautier d'Erpe lui a résignée à cet effet. — ROUSLAER.

A Grammont, 1229.

G., Dei gratia, Cameracensis episcopus, universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod cum vir venerabilis Walterus de Erpa miles haberet quamdam decimam de circiter viginti duobus bonariis terrae, parum plus vel minus, in parochia de *Heldrengem*, cujus persona existunt abbas et ecclesia de Geraldimonte, Sancti Adriani, dictus Walterus, circa salutem animae suae piam gerens sollicitudinem, dictam decimam in manus nostras ad opus ecclesiae Ninivensis, cui eam in eleemosynam conferri voluit, liberaliter resignavit. Nos autem cum idem W. miles monitione nostra praemissa induci non posset ut eandem decimam Geraldimontensi ecclesiae quae persona loci illius existit, ut praedictum est, exhiberetur, ipsam decimam de praedictis viginti duobus bonariis terrae parum plus vel minus, sitae in loco illo qui dicitur *Stribant*, vel juxta eum, viri venerabilis Theoderici abbatis et conventus ecclesiae S. Adriani de Geraldimonte prius super hoc impetrato assensu, Ninivensi ecclesiae in liberam eleemosynam contulimus ac eam ipsi ecclesiae episcopali auctoritate in perpetuum confirmamus. Suscipientes eandem decimam quantum ad episcopalem pertinet dignitatem sub nostrae defensionis praesidio supradictae ecclesiae perpetuis temporibus conservandam. Ut autem ista donatio dictae Ninivensi ecclesiae firma permaneat semper et rata, scriptum praesens sigilli nostri munimine in testimonium et confirmationem donationis hujus censuimus roborandum. Actum apud Geraldimontem, feria secunda ante festum beati Petri in cathedra, anno gratiae MCCXXIX.

Original, sceau en cire brune.

CLIII.

Arnoul, seigneur de Wesemael, donne à l'abbaye un demi-bonnier de terre à Lombeke. — CATHEM.

—
1229.

Ego Arnoldus, dominus de Wesemale, universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, ad quorum notitiam praesens scriptum pervenire contigerit in perpetuum. Universitati vestrae tenore praesentium duxi declarandum, quod ego ob mei et uxoris meae Beatricis memoriam salutiferam et aeternam quae in Christo est gloriam consequendam, dimidium bonarium terrae, jacentis in parochia de Wambeca, in vico Lumbece vulgariter appellato, necnon et omnes aientias in pascuis communibus et in aquis ibidem, in liberam et perpetuam eleemosynam ecclesiae contuli Ninivensi, ita videlicet quod ipsa ecclesia mihi et successoribus meis in posterum per annos singulos sub censu annuo ad natale Domini unum persolvat denarium bruxellensem. Ut autem haec mea donatio stabilis et firma perseveret in aevum, praesentem cartulam sigilli mei appensione et eorum qui praesentes aderant subnotatione duxi confirmandam. Signum Symonis de Peda, villici mei; Balduini de Alfena, Walteri de Zemse, Boidini de Zemse, Walteri de Avenella, scabinorum de Wambeca; S. Helysei; Arnoldi Cocchenberga; Christiani et David. Actum anno gratiae MCCXXIX, feria tertia infra octavas Ascensionis dominicae.

Original, sceau détruit.

CLIV.

Gauthier, doyen de Grammont, déclare que Mathieu, curé d'Ydenghem, a donné à l'abbaye la part qui lui revenait de la dîme de Hoorebeke-S^t-Cornelle. — ROUSLAER.

—
1229.

Universis praesentes litteras inspecturis, W., decanus de Geraldimonte, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium notum facimus, quod vir venerabilis Matthaenus, presbyter de *Ydenghem*, cum adhuc sanus esset corpore et compos mentis suae de consilio bonorum virorum, scilicet bonae memoriae magistri, W. de *Werines* et aliorum, pro salute animae suae et praedecessorum suorum, partem suam quam habebat in decima de *Hoorebeke* S. Corneli in eleemosynam libere et absolute donavit ecclesiae Ninivensi, quam ab abbate de Inda in feodum tenebat, eadem-

que donationem praedictus M., presbyter, cum in extremis ageret et memoriam suam haberet, coram pluribus fidelibus qui praesentes aderant, recognovit a se factam, sicut superius est expressum. Porro de memorato abbate de Inda plenam fiduciam obtinentes ad hoc, ut credimus, inducemus, quod praedictam donationem ratam habeat, et praedicta ecclesia Ninivensis e converso dicto abbati de jure suo secundum consilium nostrum satisfaciet et ad arbitrium voluntatis. Nequis vero praedictae donationi se opponere praesumat, praesentes litteras sigilli mei appensione in praefatae donationis testimonium duximus consignandas. Datum feria secunda post ascensionem Domini, anno gratiae MCCXXIX.

Cartulaire de Malines.

CLV.

Plusieurs chanoines de Meerbeke reconnaissent avoir vendu à Henri de Ninove un journal de prairie à Nederwic. — NINOVE.

A Meerbeke, 1229.

Johannes Sygerus, scolasticus, Henricus, plebanus, et Henricus de *Pollar*, canonici ecclesiae de Merbecca, universis praesentes litteras inspecturis, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium innotescat, quod cum unum dietarium prati haberemus communiter, situm in parochia de Ninive apud *Nederwic*, idem pratum, cum esset liberum allodium nostrum, Henrico oppidano de Ninive filio Michaëlis legitime vendidimus, intendentes denarios in pretium ejusdem prati ab Henrico receptos convertere et assignare in ecclesiae nostrae majus commodum et majorem etiam utilitatem: siquidem denariis supradictis emimus ad commune opus nostrum et successorum nostrorum canonicorum Merbeccensium tria dietaria terrae, quorum unum dietarium jacet apud *Scalkem*, reliqua vero duo sita sunt apud *Elsbeca*, in parochia Merbeccensi. Ut autem praedictus Henricus memoratum dietarium prati, quod erga nos, sicut dictum est, emit legitime, libere et sine contradictione, et sicut liberum allodium suum possideat in perpetuum, scriptum praesens in testimonium hujus contractus praedicto Henrico, sigillo ecclesiae nostrae contulimus roboratum, contra omnes qui eidem H. supra dicto dietario prati injuriam inferre tentaverint et juri parere noluerint, perpetuam et perfectam warandisiam promittentes eidem. Actum apud Merbecam, in facie ecclesiae, feria sexta ante festum sancti Petri in cathedra, anno gratiae MCCXXIX.

Cartulaire de Malines.

CLVI.

Agnès de Grimberghe et sa fille Alix, rendent à l'abbaye de Ninove, un bois d'aunes converti en prairie, et situé à Rubroc. — NINOVE.

A Ninove, 1220.

Ego Agnes, domina de Grimbergis, notum facio praesentibus et futuris, quod praeclarae memoriae Gerardus dominus de Grimbergis, quondam maritus meus, agens in extremis, viros venerabiles, Sygerum de Camberone, Willelmum de Grimbergis et Radulphum de Ninive abbates ac magistrum Nicolaum de Eham, suos reliquit testamentarios, conferens eis liberam potestatem emendandi injurias quas fecit, et restituendi ecclesiis et personis ea quae cum viveret praeter rationem debitam usurpavit. Porro S. de Camberone et Willelmus de Grimbergis, abbates, ac magister Nicolaus de Eham diligentius intuentes quoddam privilegium in quo possessiones quaedam pertinentes ad ecclesiam Ninivensem speciali nomine sunt expressae, liquido cognoverunt quod circiter sex dietaria prati, parum plus vel minus, jacentis subtus curiam de *Robrouc*, quod quondam erat alnetum et in eodem privilegio etiam vocatur alnetum, liberum sit allodium Ninivensis ecclesiae, et quod fundo illius alneti, nunc ad pratum redacti, praedictus G. maritus meus sine causa et injuste destituerit ecclesiam memoratam propter quod privilegio illi dicti abbates et magister Nicholans firmiter innitentes pratum supradictum restituendum esse Ninivensi ecclesiae unanimiter judicarunt, inde est quod ego et Alicia major natu filia mea praedictorum virorum in hac parte sensui et sententiae pariter adhaerentes dictum fundum dicti alneti nunc ad pratum redacti, sicuti situs est in suis continentiis ad praefatam Ninivensem ecclesiam de jure pertinere recognoscimus et ejus liberum esse allodium profiteremur, eo libentius ad hoc faciendum nostrum animum inclinantes, quod circa salutem animae domini Gerardi carissimi nostri majorem gerimus sollicitudinem et ampliori desiderio affectamus ut concessa ei suorum venia delictorum aeternae beatitudinis praemia consequatur. Caeterum ne quis super praedictis sex dietariis prati, sive plus sive minus sit, inde saepedictae ecclesiae quamlibet querelam objiciat in futurum, praesens scriptum continens tenorem recognitionis nostrae, ego et Alicia filia mea sigillis nostris censuimus roborandum. Actum apud Ninive, anno Incarnationis dominicae MCCXXIX, mense Februario.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CLVII.

Adjudication de douze sols de revenu à l'abbaye. — ROUSLAER.

A Neder-Brakele, 1250.

Walterus decanus de *Geraldimonte*, omnibus quibus praesens scriptum videre contigerit, in perpetuum. Cum res gesta scripto perennata totius calumniae materia praeveniatur, ne praestetur

litis occasio successori, igitur cum bonae memoriae Guido, canonicus Tornacensis, jornarium prati et V solidos annuatim legasset ecclesiae Ninivensi, sicut in litteris ipsius Guidonis super hoc confectis, intelleximus: sed post mortem ipsius domini G., Ywano nepote suo contradicente, et ecclesiam Ninivensem, de sua eleemosyna gaudere non permittente, praedictus Y. in causa testatus est coram me decano ab ecclesia memorata, et causa aliquandiu ventilata, tandem de prudentum consilio inter praedictam ecclesiam et Ywanum praefatum lite sopita, talis compositio intercessit: Quod Arnoldus, cognomento *Tant*, de dimidio bonarii terrae, quod dicitur dimidium bonarii domini Guidonis, in parochia de inferiori Bracle, sitae in loco quae dicitur ad montem octo solidos annuatim, et successores ipsius, dictum dimidium bonarii possidentes, in die sancti Stephani, ad natale, apud *Roselar*, solveret in perpetuum ecclesiae Ninivensi, et ad hoc se et suos successores praestita cautione fidei obligavit. Caeterum praenominatus Y., redditus horum octo solidorum de dicto dimidio bonarii provenientium, ad opus dictae ecclesiae in manus villici de inferiori Bracle obtulit et exfestucavit; et cum omnes juri stare vellent, praestita fidei cautione warandisiam repromisit, praesentibus scabinis de inferiori Bracle: Gene longo, Waltero de Indagine, Genekino de Quercu, Johanne de Strate, Gerardo Fabro; Arnaldo *Motenir* et Jacobo de Silva. Dictus vero villicus in manus S., prioris de Ninive, dictos redditus tradidit sub testimonio dictorum scabinorum Aegidii, presbyteri de inferiori Bracle, et Balduini de *House*, militis, dictis scabinis admonitis et judicantibus, quod in dictos redditus nullum jus haberet praenominatus Ywanus. Ut autem haec in aeternum permaneant inconvulsa, praesens scriptum sigilli mei appensione in testimonium et confirmationem praedictorum studui roborare. Actum in atrio ecclesiae de inferiori Bracle, anno dominicae Incarnationis MCCXXX, mense Maio.

Cartulaire de Malines.

CLVIII.

Conrad, abbé général de Prémontré, laisse à l'abbaye de Ninove, pour la pitance des religieux, le mardi de la première semaine de l'Avent, la somme de vingt sols de blancs. — ROUSLAER.

1230.

Conrardus, Dei gratia Præmonstratensis abbas, universis tam praesentibus quam futuris in Domino salutem. Scire volumus universos, quod nos dilectis filiis conventus ecclesiae Ninivensis, indulsumus de gratia speciali quod viginti solidos blancorum, quos frater Walterus de *Hartbeke*, presbyter et eorum concanonicus, acquisivit per suos familiares et novos habeant sine contradictione aliqua, in perpetuum, annuatim ad pitantiam faciendam, feria tertia infra primam septimanam adventus, et ea die fiet in eadem ecclesia solemniter anniversarius benefactorum, familiarium et parentum suorum, et omnium fidelium defunctorum, et ne ipsa pitantia possit idem conventus aliqua

dubitatione frustrari, sciendum est quod dicti viginti solidi assignati sunt eidem conventui ad curtem eorum de *Roselar*, de proventibus bonarii terrae quae empta est a filiis Danielis de *Hyllenghem*, de communi consensu tam abbatis quam conventus ecclesiae memoratae, in cuius rei testimonium praesentem cartam dedimus eidem conventui sigilli nostri appensione munitam. Actum mense Julio, anno gratiae MCCXXX.

Cartulaire de Malines.

CLIX.

Othon de Trasegnies, surnommé l'Oncle, déclare que l'accès au moulin de Wolpute sera libre, et qu'il sera toujours permis d'y faire moudre. —
WOLPUTE.

1230.

Osto de *Trasegnies*, dictus Avunculus, universis praesentibus et futuris in perpetuum. Universitati vestrae et tenore praesentium notum facimus, quod cum bonae memoriae Herbrandus, advocatus de Merbecca, avus meus, medietatem molendini quod situm est apud *Wolput*, Ninivensi ecclesiae commutaverit pro quadam terra quam in cultura quae dicitur *Lanfrenghem*, juxta allodium, ab eadem ecclesia pro praedicta medietate molendini in concambium recepit, in eodem jure per omnia, libertate et caeteris aisenitiis quibus eandem medietatem molendini praefati tenuerat, ipsam Ninivensi ecclesiae perpetuo contulit possidendam. Quia vero in benefactis praedecessorum nostrorum, non debemus degeneres fieri, quorum potius debemus in pietatis operibus vestigia imitari, jus et libertatem praefatae medietatis molendini quae a praenotato Herbrando translata sunt in praedictam ecclesiam, nequaquam immutare intendimus, sed eo fortius in statu integritatis suae volumus conservare, quo ex successione parentum nostrorum in nos derivatum esse dinoscitur, ut dictam Ninivensem ecclesiam, sicut habuimus, ita et semper in specialem amoris praecipui gratiam habeamus. Verum tamen ad exstirpandam funditus totius querelae et dissensionis materiam, et ut pacis foedera inter nos et successores nostros ac praedictam ecclesiam in suo robore jugiter perseverent, ad voluntatem et petitionem dictae ecclesiae ita duximus ordinandum, ut omnibus utriusque sexus qui in parochia de Merbecca manent modo, vel futuris temporibus sunt mansuri, a ponte citra montem, sicut rivus qui dicitur Honselbeke descendit in Teneram, et ab eodem ponte sicut via tendit in superiores partes per Merbecam versus Wentbecam, ex ea parte quae est versus villam de Ninive, exceptis cambariis et bolemgariis infra terminos istos manentibus vel mansuris ad praefatum molendinum de *Wolput*, quamcumque voluerint libere et sine contradictione, non obstante aliqua inhibitione a nobis facta, seu a nobis vel successoribus nostris aliquando facienda, transire liceat de caetero in perpetuum, et illic molere quaecumque ibidem detulerint ad molendum. Ad arcendam igitur quorumlibet importunitatem contra ordinationem seu divisionem istam de com-

muni assensu nostro utrimque factam, qualibet temeritate venire tentantium, scriptum praesens sigilli nostri munimine cum testium subnotatione duximus roborandum. Signum viri venerabilis Radulphi, abbatis de Ninive; S. fratris Walteri *Bever*; Leonii, praepositi, et Danielis, capellani, sacerdotum et canonicorum Ninivensium; item S. Walteri, militis, villici de Apeltre; Gerini de Piro et Johannis Fabri de Apeltre. Actum in praesentia nobilis mulieris Ousiliae, uxoris meae, feria tertia ante nativitatem beati Johannis Baptistae, anno gratiae MCCXXX.

Original, sceau détruit.

==

CLX.

Engelbert, seigneur d'Ayghem, atteste et ratifie la donation de six journaux de terre à Hartbeke, que son vassal Robert de Bossart a faite à l'abbaye.

— HARTBEKE.

—

A Strichout, 1250.

Ego Ingelbertus, dominus de *Aienghien*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dominus Robertus, miles de *Bossart*, de assensu et voluntate Helewidis, uxoris suae, constitutus in ultima voluntate dederit Ninivensi ecclesiae in liberam et perpetuam eleemosynam, nomine testamenti, circiter sex dietaria terrae, parum plus vel minus, jacentis juxta curiam de Hartbecca, prout a communi via extenditur inferius secus vivarium, quam terram a me tenebat in feodum: eandem donationem de praedicta terra memoratae ecclesiae factam gratam habeo et acceptam, et omne jus quod in eadem terra habui eidem ecclesiae in puram eleemosynam similiter contuli, decernens nihilominus ut ipsam terram in perpetuum teneat ab omni exactione et calumnia liberam et immunem, ut saltem ex hoc facto aliquod remedium animae meae a Domino non frustra sperare debeam et merito invenire. Ut autem praenotata ecclesia Ninivensis terram dictam sicut veram eleemosynam in perpetuum pacifice possideat et quiete, scriptum praesens sigillo meo roboratum eidem ecclesiae censui conferendum. Porro huic facto interfuerunt, tanquam testes, Walterus de *Mushem*, Daniel de *Ruschebroc*, milites, homines mei; Oliverus de Timbeka et Ingelbertus, famuli mei. Actum in domo mea in *Strichout*, feria quarta post festum beati Lucae, anno Incarnationis dominicae MCCXXX.

Original, sceau en cire brune.

==

CLXI.

Gossuin, doyen, et tout le chapitre de Fleurus, déclarent que le clerc Raoul de Celles a donné en leur présence à l'abbaye une dîme et quelques offrandes qui lui appartiennent à Houthain-sur-Mont; et que l'abbaye lui a, en retour, assuré sa vie durant un don annuel de deux mesures de seigle et d'une d'avoine. — REINIRSART.

—
1250.

Universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris, Gosuinus, decanus, totumque capitulum Fleruense, salutem in omnium Salvatore. Universitati vestrae tenore praesentium declaramus quod Radulphus, clericus de Cella, in nostra praesentia constitutus quamdam decimam cum quibusdam oblationibus apud *Houthain* in Monte, quam decimam contulerunt eidem in perpetuam eleemosynam coram nobis pro animarum suarum remedio Paulus de Cella, Arnulphus Rufus, Mabilis, Osilia, Oda, mulieres de *Houthain*, libere et absolute in perpetuam eleemosynam ecclesiae contulit Ninivensi; ipsa vero Ninivensis ecclesia ut gratiam pro gratia recompenset, ob hujus beneficii recompensationem, tres modios annonae, duos videlicet siliginis et tertium avenae ad mensuram Nivelensem, eidem R. clerico, singulis annis quoad vixerit apud Nivellam, infra natale Domini et purificationem beatae Virginis, statuit conferendos. Ut autem ea quae praemissa sunt, firma et inconcussa permaneant, ad petitionem partium praesens scriptum sigillorum nostrorum appensione studuimus roborare. Actum anno gratiae MCCXXX, mense Junio.

Original, sceaux détruits.

CLXII.

Othon, seigneur de Contrecuer, lègue à l'abbaye, pour les frais de son anniversaire, des propriétés qu'il possède à Scalkem. — WOLPUTE.

—
A Contrecuer, 1250.

Universis praesentes litteras inspecturis, Osto dominus de *Contrecuer*, dictus Avunculus, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium innotescat, quod ego in ultima voluntate constitutus, sanae mentis et adhuc bene compos mei, in praesentia venerabilium virorum Domini Walteri, decani de *Hal*, et magistri Willelmi, presbyteri de *Herines*, nomine testamenti, contuli

conventui ecclesiae Ninivensis in liberam et perpetuam eleemosynam, ad celebrandum anniversarium meum quotannis et ad reliquos proprios usus quos voluerit idem conventus, omnia bona illa, quae apud *Scalkem* in terris, pratis et omnibus aliis aiseniis legitime emi a domina Katerina de Crainhem et domicella *Heilwide*, filia ejus, quae bona jure allodiali pacifice tenui ac possedi, sicut praefatae domina Katerina et H., ejus filia, pacifice possederant et quiete. Quia vero ecclesiam Ninivensem semper amavi, in eadem ecclesia ante altare apostolorum mihi sepulturam elegi, ad quod singulis diebus pro me et antecessoribus nec non et successoribus meis perpetuo celebrabitur una missa. In cujus rei testimonium et munimen contuli dicto conventui praesentes litteras, sigilli mei munimine roboratas. Actum apud *Contreueer*. Anno Domini MCC tricesimo in festo beati Clementis.

Original, sceau détruit.

CLXIII.

Testament d'Othon, surnommé l'Oncle, fait devant Gautier, doyen de Halle, et Gautier, curé de Hélines. — WOLPUTE.

A Wedergracte, 1250.

Universis praesentes litteras inspecturis W., decanus de *Hal*, et magister W., presbyter parochialis de *Hélines*, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod vir nobilis dominus Osto de *Trunseignies*, dictus Avunculus, constitutus in ultima voluntate in praesentia nostra, nomine testamenti, omnia quae subscripta habentur in praesenti cedula fecit, ordinavit, pariter et reliquit. Porro omnes tallias remisit in perpetuum et exactiones illas quae vulgariter appellantur *mortemain*, et illa similiter quae pro indebitis licentiis fieri solent, quaeque de matrimoniis contrahendis, exactiones quoque pro justitia facienda, et omnes alias etiam injustas exactiones quoad se et omnes successores suos in perpetuum remisit. Quia clamavit autem ecclesiae Nivellensi medietatem prati illius quod G. dominus de Grimbergis quondam saisierat, reliquam vero medietatem sibi retinuit cum aliis pratis quae a Nivellensi ecclesia tenuit ad determinatum censum super hoc constitutum. Item ordinavit quod quicumque successorum suorum dominus erit villae de Merbecca, dabit singulis annis capitulo Nivellensi, scilicet tam canonicis quam domicellis, ad anniversarium suum celebrandum xxx solidos Bruxellenses, de fructibus pratorum quae in parrochia de Merbecca censualiter tenuit ab ecclesia Nivellensi, addidit et quod quicumque successorum suorum erit dominus de *Apeltren* dabit annuatim ecclesiae Nivellensi ad anniversarium suum similiter celebrandum quadraginta solidos Bruxellenses de redditibus pratorum, quos cum dicta ecclesia in parrochia de *Apeltren* habebat communes. Item assignavit ad anniversarium suum, in eleemosynam ecclesiae de Merbecca xxv solidos flandrenses, annuatim recipiendos de uno bonario prati quod Adam de *Nat*, ab ipso tenuit; et erunt ita distribuendi dicti xxv solidi, quod quilibet quatuor canonicorum qui sunt in ecclesia Merbeccensi ha-

bebit ex eis annuatim quinque solidis , capellanus capellae sancti Petri quatuor solidos et custos ecclesiae Merbeccensis xij denarios. Item contulit in eleemosynam presbyteratui ecclesiae de *Bevenghem*, unum bunarium terrae allodialiter spectantem ad ipsum , quae jacet in cultura inter *Bevenghem* villam de allodio in superiori parte , quam terram a capella quae fuit apud allodium in commutationem recepit. Item contulit ecclesiae de *Vermans*, in perpetuam eleemosynam capellaniam de *Wedergrete*, cum omnibus pertinentiis suis, ita tamen quod eadem capellaniam nequaquam per secularem capellanum, sed per unum ex canonicis suis dicta ecclesia perpetuo faciet deserviri. Item ad fabricam ecclesiae de Windeca contulit in eleemosynam omne jus quod habuit in terra illa quae fuit *Penninstaph* in cultura de *Ghehughte*, versus pratum quod dicitur *Traisenirt*, hac conditione quod provisores dictae ecclesiae dabunt Mabiliae de *Ghehughte*, de praedicta terra annuatim unum modium siliginis quoad vixerit, et cum illa decesserit, libera erit praedicta ecclesia a pensione praedicta ad fabricam ; et ecclesiae de *Court* sancti Stephani contulit in eleemosynam unum bunarium terrae de terra sua quam ibidem habuit. Item liberis *Ostonis de Court* et *Hawidis* uxoris ejus restituit haereditatem suam qua eum destituerat per omnia, secundum quod scabini illius villae judicabunt eos fore restituendos. Item contulit in eleemosynam monasterio monialium de *Bello prato* unum bunarium terrae de illa terra quam emit erga *Walterum* militem de *Outra*. Item assignavit in manibus abbatum de *Camberone* et de *Ninive*, decem libras flandrenses recipiendas annuatim, ubi R. abbas de *Ninive* et ego *W. de Herines* et *O. de Transignies* eas ordinaverint recipiendas ; ex quibus decem libris dicti abbates facient restitutionem omnibus illis qui juste conquerentur de ipso, quod ab eis aliquid injuste acceperit vel extorsit praeter justitiam et debitam rationem, et durabit dicta restitutio de anno in annum, quousque calumniae querelantium conquieverint, et cum sopitae fuerint, habebit ecclesia de *Camberone* praedictas decem libras perpetuo annuatim, ita quod cum omni integritate ad partem suam convertent eas propter eleemosynam ipsius ecclesiae ampliandam. Item assignavit in manibus dictorum abbatum viginti libras Flandrenses, per unum annum recipiendas de proventibus suis, quum in Augusto proximo futuro *à la Rosiere* et apud *Aubechies* venient ; ex quibus decem libris dicti abbates conferent quinque abbatibus in remedium animae suae, cuilibet abbatiae xl solidos, secundum quod eorum sederit bene placito, reliquas vero decem libras distribuent clericis et presbyteris pro anima ejus juxta quod melius noverint expedire. Denique cum ecclesiam de *Ninive*, quam semper dilexit, in finem dilexerit, eam in eadem ecclesia sibi sepulturam elegit ante altare apostolorum, ad quod singulis diebus celebrabitur missa pro ipsa et antecessoribus nec non et successoribus ejus ; unde et piam voluntatem gerens erga praedictam ecclesiam contulit conventui illius ecclesiae in liberam et perpetuam eleemosynam ad celebrandum anniversarium suum et ad reliquos proprios usus quos voluerit, omnia bona illa in terris, pratis et sicut in omnibus aliis continentur aistentis apud *Scalkem*, quae bona emit erga dominam *Katherinam de Crainenhem*, et domicellam *Helewidem* filiam ejus, quae jure allodiali pacifice tenuit et possedit. Actum apud *Wedergrete*, anno Domini MCC tricesimo, in die beati Clementis.

Original, sceau détruit.

CLXIV.

Philippe, baron de Boulaer, donne à l'abbaye tous les droits qu'il a sur la famille de Guillaume de Catbeke et sur les terres qu'il a données à cultiver à ce serf, sauf les droits de haute justice. — ROUSLAER.

A Aspelaer, 1251.

Ego Philippus de *Boular*, constabularius Flandriae et dominus de *Asplar*, notum facio praesentibus pariter et futuris, quod cum Willelmus de Catbeke et Margareta, uxor ejus, et liberi eorum, servi mei fuerint et ancillae, ipsos et successores ipsorum in eleemosynam obtuli ecclesiae Ninivensi, et quidquid juris vel servitutis in ipsis et in facultatibus eorum habui, in perpetuum contuli ecclesiae Ninivensi. Porro circiter octo bonaria terrae et dimidium jacentis in parochia de *Asplar*, in loco qui dicitur *Catbeka*, quam Willelmus et Margareta, uxor ejus, possident de omni jure, quod in eadem terra habui in talliis, herbergariis et *borgwerch* et aliis servitiis, eis et successoribus eorumdem libera et quita clamavi, et a me et a successoribus meis in perpetuum, excepta vindicta sanguinis, furti et violentiarum quae ad superiorem justitiam pertinere noscuntur. Insuper particulam terrae jacentis apud *Bergth*, quam Gossuinus, cognomento *Vulpes*, a me tenuit ad censum duodecim denariorum flandrensium annuatim, quos ei quitos in perpetuum clamavi ad opus ecclesiae Ninivensis, idem G. mihi resignavit, et ego eam libere in eleemosynam obtuli eidem ecclesiae Ninivensi. Ut autem praescripta rata permaneant et firma teneantur, praesens scriptum sigilli mei appensione et testium subnotatione censui roborandum. Testes Sygerus, miles de *Asplar*, Walterus de Valle, filius ejus, Johannes de Castro, Walterus *Stoop*, Balduinus *Zorghelooz*, villicus, homines mei; Mathaeus *Faber*, Aegidius *Spikinc*, Godescalcus de *Loukre* et Aegidius de *Heighe*, scabini de *Asplar*. Actum apud *Asplar*, anno gratiae MCCXXXI, mense Decembris.

Original, sceau en cire brune.

CLXV.

Philippe, baron de Boulaer, cède à l'abbaye tous les droits qu'il a eus sur la terre située à Neder-Hasselt et donnée par son entremise au couvent; il se réserve la haute justice. — ROUSLAER.

A Ninove, 1251.

Ego Philippus de *Boular*, constabularius Flandriae, notum facio praesentibus pariter et futuris, quod cum Helewidis de *Neder-Hasselt* dederit per manum meam ecclesiae Ninivensi in perpetuum

eleemosynam circiter tria bonaria et unum dietarium terrae jacentis in parochia de *Neder-Hasselt*, praesentibus quibusdam hominibus meis et quibusdam scabinis ac villico de *Asplar*, inferius subnotatis, quidquid habui in praedicta terra in talliis, herbengariis, quibusdam servilibus operibus, quae vulgariter appellantur *borchwerch*, et in omnibus aliis quocumque appellationis genere censeantur, praedictae Ninivensi ecclesiae in eleemosynam conferens in perpetuum gratuita liberalitate remisi, et, ut eandem terram a praenotatis servitiis et ab omnibus aliis exactionibus quitam et liberam de caetero teneat, eidem ecclesiae benigne concessi, hoc solum excepto quod mihi reservavi vindictam sanguinis, furti, violentiarum, si forte super praedictam terram haec evenire contingat, et etiam aliorum excessuum quae ad superiorem justitiam pertinere noscuntur. Ne quis autem occasione exactionis cujuslibet ab eadem requirenda memoratam Ninivensem ecclesiam in posterum inquietet, praesens scriptum praefatae ecclesiae appensione sigilli mei cum subnotatione testium in testimonium et perpetuitatem hujus facti mei contuli roboratum. Isti autem sunt testes qui interfuerunt: Sigerus de *Asplar*, miles, et Walterus, filius ejus, homines mei; Balduinus, villicus; Math. Faber, Godescalcus de Lokere; Aegidius de *Heighe* et Godescalcus *Delbercht*. Actum apud Ninive, in claustro, anno Domini MCCXXXI.

Original, sceau en cire brune.

CLXVI.

Le même seigneur renonce, avec la même réserve, en faveur de l'abbaye, aux droits qu'il possédait sur six bonniers et un journal de terre que Berthe de Ascen cultive à Neder-Hasselt. — ROUSLAER.

A Aspelaer, 1251.

Ego Philippus de *Boular*, constabularius Flandriae et dominus de *Neder-Hasselt*, notum facio praesentibus pariter et futuris, quod abbati et ecclesiae de Ninive dedi in liberam et perpetuam eleemosynam quidquid juris habui, vel me habere dixi, in sex bonariis et uno dietario terrae jacentis in parochia de *Neder-Hasselt*, quam Berta de *Ascen* et filii ejus Willelmus et Nicholaus tenent in eadem parochia, videlicet in talliis, herbergariis et quibusdam servilibus operibus, quae vulgariter appellantur *borchwerch*, vel aliis exactionibus, quocumque nomine censeantur; hoc solum excepto quod mihi reservavi vindictam sanguinis, furti et aliorum excessuum, quae ad superiorem justitiam pertinere noscuntur. Ne quis autem occasione exactionis cujuslibet memoratam Ninivensem ecclesiam super hoc dono meo in posterum inquietet, praesens scriptum praefatae ecclesiae appensione sigilli mei cum subnotatione testium in testimonium et perpetuitatem hujus facti mei contuli roboratum. Hujus rei testes sunt Sygerus, miles de *Hasplar*, Balduinus *Sorgelose*, Johannes de Castro,

Willelmus de Borchline, homines mei; Aegidius de Hega, Godescalcus de *Laukere*, Aegidius *Spikinc*, Arnoldus de Hasselt, scabini de *Hasplar*. Actum apud *Hasplar* anno gratiae MCCXXXI, mense Novembri.

Original, sceau en cire brune.

CLXVII.

*Ferrand, comte de Flandre, et Jeanne, son épouse, confirment les chartes de leurs prédécesseurs en faveur de l'abbaye*¹. — NINOVE.

A Male, 1251.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Fernandus, Flandriae et Hainoniae comes, et Johanna, uxor ejus, Flandriae et Hainoniae comitissa, tam futuris quam praesentibus in perpetuum. Eo studiosius nos condecet ecclesiarum providere utilitatibus, quo manifestius elucet per temporalem ecclesiasticae pacis procuracionem aeternam posse adipisci beatitudinem. Proinde exemplo praedecessorum nostrorum, qui Ninivensem abbatiam sua auctoritate roborarunt, nos quoque simili modo in omnibus ipsam et res ejus auctorizare decrevimus, et eam liberam esse et ad nostram advocatiam jure haereditario pertinere profiteamur, hoc ei statuentes decretum, ne deinceps ejus advocatio de manu Flandrensium comitum vel per donationem vel per feodum, vel quolibet alio modo, valeat alienari. Quaecumque igitur bona saepedicta ecclesia legitime acquisivit et in praesentiarum possidet, scripti hujus patrocinio corroboramus et auctorisamus. Actum apud Maleam, anno Domini MCCXXXI, mense Januario.

Original, le sceau de Jeanne est seul conservé.

CLXVIII.

Gautier, abbé de Hasnon, déclare qu'il a fait un échange de quelques parties de dîme à Velsique avec l'abbaye de Ninove; il énumère les parcelles de terre dont la dîme demeurera à l'une et à l'autre maison. — BOUCHOUT.

1252.

Walterus, divina permissione dictus abbas de *Hasnon*, et conventus ejusdem loci, omnibus litteras inspecturis, salutem in Domino. Notum sit universitati vestrae, quod nos fecimus concambium

¹ Cette charte manque au cartulaire de Malines.

cum ecclesia Ninivensi; de quibusdam particulis decimae jacentis in parochia de Felseca, quod si quidem factum est, tam ad commodum et utilitatem tam dictae ecclesiae quam nostrae: particulas autem et illas quas a nobis accepit praedicta ecclesia, praesenti paginae assignavimus. Sunt autem istae particulae quae in sortem Ninivensis ecclesiae ceciderunt in Longo Campo de tribus bonariis juxta rivum, de tribus dietariis de *Nederadolfelde*, de sex dietariis ultra viam juxta rivum; de duobus bonariis in anglo juxta viam, de tribus dietariis juxta *Paelwilghe*, de tribus bonariis, de *Schreihambosch*, de sex dietariis, si contigerit illos coli, quia quondam coli solebant, licet modo non colantur. Particulae vero quae a suprascripta ecclesia accepimus, istae sunt: de terra *Boivin* Fullo-nis, de quatuor bonariis et dimidio supra culturam, de bonario et dimidio juxta viam, de tribus bonariis et dimidio versus *Vormin*, de uno bonario de *Letteldries*, de novem dietariis. Ut autem ista firma semper et inconvulsa permaneant, cyrographum istud sigilli nostri appositione munire curavimus. Actum anno gratiae MCCXXXII.

Cartulaire de Malines.

CLXIX.

Érasme de Gavre et Sophie, son épouse, fondent une chapellenie dans leur manoir de Liedekerke, et assignent à l'abbaye de Ninove, pour la desservir, une somme annuelle de cent sols de Flandre, à prendre sur les revenus de quelques propriétés à Liedekerke.

A Liedekerke, 1252.

Ego Razzo, dominus de Gavera, pincerna Flandriae, et ego Sophia, uxor ejus, notum facimus praesentibus pariter et futuris, quod ob aeternam gloriam quae in Christo est propensius consequendam, et nostri nostrorumque omnium tam praedecessorum quam successorum memoriam salutarem, fecimus et instituimus perpetuam capellaniam in castro nostro apud Liedekerke et eandem capellaniam contulimus libere et absolute ecclesiae Ninivensi, quam per unum sacerdotem ex canonicis suis dicta ecclesia perpetuo faciet deserviri. Quum vero qui sustinet laborem, dignum est ut etiam aliquod laboris habeat emolumentum, ad opus dictae capellaniae nomine et titulo perpetui beneficii centum solidos flandrensis monetae annuatim contulimus, et eos praedictae Ninivensi ecclesiae de redditibus nostris apud Liedekerke recipiendos libere assignavimus; et isti centum solidi solvendi sunt quolibet anno ad natale Domini, et infra septem dies proxime ipsum natale sequentes: de quibus denariis solvet annuatim Lambertus *Faber* de Liedekerke quinquaginta solidos et sex denarios, Symon de *Drische* quadraginta quinque solidos, et Willelmus *Saladin* quatuor solidos et sex denarios. Ad hujus autem beneficii substantiam pertinent etiam duo bonaria nemoris, jacentis in parochia de Liedekerke, in loco qui dicitur *Hove*, quae duo bonaria nemoris praenotata ecclesia jamdiu possedit et adhuc possidet, et semper possidere debet, et hoc eidem ecclesiae recognosci-

mus et ad ipsam pertinere, ut suam liberam eleemosynam profiteamur, quae bonae memoriae Razzo, dominus de Gavera, pater mei Razzonis, jamdudum in eleemosynam ecclesiae donavit eidem. Quod si quidquam de terris, pratis vel rebus aliis de quibus praedicti centum solidi solvi debent ad alium quempiam, sive jure successionis sive quolibet alio modo, transferri contigerit, ille ad quem illa translatio facta fuerit, secundum quantitatem rei ad ipsum translatae, solvet praefatae ecclesiae de denariis istis et assignatis debitam portionem. Porro si quisquam memoratae ecclesiae infra terminum superius designatum censum suum non solverit, ballivum nostrum de Lidekerke super hac ecclesia admonere debet, ut ad solvendum ei censum illum detentorem compellat; et si infra octo dies ab admonitione, si facta hoc facere neglexerit, elapsis eisdem octo diebus tam census illius detentorem quam ballivum negligentem quousque solutio ei facta fuerit, excommunicationis vinculo faciet innodari. Denique si quidquam de rebus illis, de quibus dicti denarii sunt solvendi, ad alium quemlibet sive ratione successionis, sive dono, vel quolibet alio modo transferendum fuerit, ballivus noster de Lidekerke, per quem secundum consuetudinem hactenus observatam hoc faciendum erit, specialem nuntium dictae ecclesiae, illum scilicet qui tunc fuerit magister curiae, quam apud Lidekerke habet dicta ecclesia, advocare debet, ut illi rei transferendae sive a successore requirendae in propria persona intersit, et si per ballivum nostrum id fieri contingat, nuntio dictae ecclesiae non vocato, ab eodem ballivo dicta ecclesia de hac injuria requiret emendam, et si infra octo dies ab admonitione sibi facta a praefata ecclesia emendam illam non praestiterit, ex tunc ad eam competenter exhibendam per censuram ecclesiasticam poterit coerceri. Ut autem hoc factum nostrum, tam de institutione saepedictae capellaniae quam de beneficio ei assignato, ratum et firmum in perpetuum perseveret, praesens scriptum sigillis nostris roboravimus, et super praedictis perfectam warandisiam repromissimus eidem ecclesiae perpetuis temporibus exhibendam. Actum apud Lidekerke, anno gratiae MCCXXXII, mense Januario.

Original, sceaux fortement endommagés.

CLXX.

Gossuin de Schendelbeke et son épouse Ada donnent à l'abbaye une rente annuelle de quatre sols de Flandre, hypothéquée sur une partie de pré à Ydenghem, et lui cèdent tous leurs droits sur le même pré. — LOETSH.

A Schendelbeke, 1232.

Ego Gossuinus de Scendelbecca, et ego Ada, uxor ejus, notum facimus praesentibus pariter et futuris, quod ob aeternam gloriam efficacius consequendam, contulimus Niniensi ecclesiae in liberam et perpetuam eleemosynam quatuor libras flandrensium monetae annuatim, quae ad solemnitatem paschalem singulis annis solvuntur et perpetuo solvi debent de circiter quatuor bonariis prati, quod pratum situm est in parochia de Ydenghem, ad vicum qui *Swiffem* communi vocabulo appel-

latur, et contulimus etiam praedictae ecclesiae allodialiter, libere, absolute et absque omni exactione, omne jus quod in prato habuimus supradicto, ita quod nihil omnino juris nobis reservavimus in eodem, praeter justitiam sanguinis, furti, incendii et similium, quae ad supremam justitiam noscuntur ex consuetudine pertinere. Proinde si quidquam de praedictis quatuor bonariis prati, sive inde sit plus, sive minus, ab his qui modo illud possident ad alium quempiam sive ratione successionis, sive dono, vel emptione, vel aliqua ratione alia, transferri contigerit, vel quidquam aliud quolibet modo agendum, inde fuerit de speciali licentia et assensu praedictae Ninivensis ecclesiae id fieri oportebit, nam et omne jus illud habere debet ipsa ecclesia quod in hujusmodi translationibus et factis consuetum est hactenus exhiberi. Ut autem donatio hujus eleemosynae praenotatae Ninivensi ecclesiae firma et rata permaneat, scriptum praesens sigillis nostris roboravimus et eidem ecclesiae perpetuam warandisiam super eadem eleemosyna repromisimus a nobis et successoribus nostris futuris temporibus exhibendam. Actum apud Scendelbecca, anno dominicae Incarnationis MCCXXXII, mense Februario.

Original, sceaux en cire brune.

CLXXI.

Alix de Boulaer approuve et ratifie la charte précédente. — LOETSH.

A Boulaer, 1232.

Ego Alicia, domina de *Boular*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dominus Gossuinus de Scendelbecca et praedilecta filia mea Ada, uxor ejus, contulerint libere et absolute Ninivensi ecclesiae in perpetuam eleemosynam quatuor libras flandrensis monetae annuatim, quae solvuntur et perpetuo solvi debent singulis annis ad Pascha de circiter quatuor bonariis prati, sive plus, sive minus inde sit, jacentis in parochia de *Ydenghem*, ad vicum qui dicitur *Swiffem*, quae a me tenebant in feodum, ego donationem hujus eleemosynae de speciali licentia et assensu meo profiteor esse factam ecclesiae memoratae, et eandam ratam habeo et firmam volo eidem ecclesiae in perpetuum permanere. Ut autem consensum nostrum gratuitum praedictae eleemosynae semper appareat ab initio accessisse, scriptum praesens sigilli mei appensione in testimonium censui roborandum. Actum apud *Boular*, anno gratiae MCCXXXII, mense Februario.

Original, sceau en cire brune.

CLXXII.

Philippe de Boulaer, fils d'Alix, donne à son tour son assentiment à la même charte. — LOETSH.

A Boulaer, 1232.

Ego Philippus, filius nobilis matronae Aliciae, dominae de *Boulaer*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dominus Gossuinus de Scendelbecca et praedilecta soror mea Ada, uxor ejus, contulerint libere et absolute Ninivensi ecclesiae in perpetuam eleemosynam quatuor libras flandrensium monetae annuatim, quae solvuntur et perpetuo solvi debent singulis annis ad Passcha de circiter quatuor honariis prati, sive plus, sive minus inde sit, jacentis in parochia de *Ydenghem*, ad vicum qui dicitur *Swiffem*; ego donationem istius eleemosynae de speciali licentia et assensu meo profiteor esse factam ecclesiae memoratae, et eandem ratam habeo et firmam volo eidem ecclesiae in perpetuum permanere. Ut autem consensum meum gratuitum praedictae eleemosynae semper appareat ab initio accessisse scriptum praesens, quum sigillum non habeo, sigillo praedictae nobilis dominae Aliciae matris meae in testimonium censui roborandum, ad haec promittens fideliter sub attestazione praesentium litterarum, quod cum proprium sigillum habuero et a memorata ecclesia inde requisitus fuero, litteras meas eodem sigillo sigillatas sub hac eadem forma eidem ecclesiae sine difficultate aliqua exhibebo. Actum apud *Boulaer*, anno gratiae MCCXXXII, mense Februario.

Original, sceau en cire brune.

CLXXIII.

Érasme de Gavre donne à l'abbaye une rente annuelle de deux sols, à prendre sur les biens qu'il possède à Bouchout, pour l'entretien d'une lampe dans la chapelle de la S^{te}-Vierge. — BOUCHOUT.

Sans date¹.

Ego Razo de Gavera cum filio meo Razione, libere obtuli ad capellam de *Bochout*, in honore sanctae Dei genitricis Mariae constructam, decem solidos, annue in festivitate sancti Dionysii solvendos, de reditu meo *Bouchout*, ad comparandum olium, quo lampas ardere et lucere debeat coram sancto altari, ad memoriam et salutem mei liberorumque meorum, et hoc dono sigilli mei appositione et hominum meorum attestazione praefatae capellae et ecclesiae Ninivensi, sicut omnia quae apud *Bouchout* possidet confirmare et defendere promitto. Testes Godefridus de Wenti; Hosto Ru-

¹ Cette charte est de l'année 1232.

fus ; Soykinus Fuscus ; Berneris de *Rosbad* et frater ejus Bartholomeus ; Gerardus , villicus de *Bochout*. ad quem spectat hanc eleemosynam solvere.

Cartulaire de Malines.

CLXXIV.

Copie ou vidimus d'un indult du pape Grégoire IX en faveur de l'ordre de Prémontré. — AFFAIRES DIVERSES.

A St-Jean de Latran , 1255.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis : abbates vices gerentes W., Praemonstratensis abbatis, et abbatum ejusdem ordinis capitulum generale, salutem et orationes in Domino salutare. Noverit universitas vestra quod nos habemus privilegium a sede apostolica in hac forma : « Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Praemonstratensi et coabbatibus suis, salutem et apostolicam benedictionem. Licet nobis, sicut asseritis, a sede apostolica sit indultum, ut litterae contra vos a sede apostolica impetratae non valeant, nisi de ordine vestro fecerint mentionem : nos tamen quieti vestrae volentes consultius providere, auctoritate praesentium vobis indulgemus, ut per illam generalem clausulam quidam alii non possitis aliquatenus conveniri, nisi litterae apostolicae expressam de Praemonstratensi ordine fecerint mentionem. Nulli vero omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Laterani, decimo septimo kalendas Februarii, pontificatus nostri anno septimo.

Cartulaire de Malines.

CLXXV.

Gossuin de Schendelbeke approuve la donation d'un bonnier de pré que Jacques de Rideva, son vassal, a faite à l'abbaye, pour les frais d'un anniversaire perpétuel ; il exempte de toute servitude cette partie de pré et approuve de plus une donation des revenus d'un bonnier de pré à Steenhuyse. — LOETSH.

A Schendelbeke , 1255.

Ego Gossuinus de Scendelbecca notum facio praesentibus et futuris, quod Jacobus, filius bonae memoriae domini Gossuini de *Rideva*, patru mei, de assensu omnium fratrum suorum, contulit

in liberam et perpetuam eleemosynam conventui ecclesiae Ninivensis dimidium bonarium prati, quod a me tenebat in feodum, et jacet in parochia de Samberga juxta dammum illum, qui a vico cui vocabulum est *Loche* procedit versus Samberga, in inferiori parte versus castrum *Wedergrete*, ad habendam jugem memoriam animae praedictae G. patris sui, et ad anniversarium ipsius singulis annis perpetuo celebrandum. Cui donationi assensum meum etiam gratuita benignitate adhibui, et dictum pratum praefato conventui, ut suam puram eleemosynam allodialiter et ab omni exactione et calumnia seu servitute perpetuo tenendum concessi. Insuper universitati vestrae tenore praesentium similiter innotescat, quod fructus unius bonarii prati quod dominus Amilius de Riedeva et Ghisla uxor ejus emerunt in parochia de Stenhusia, in vico qui dicitur *Cromphout*, et a me tenebant in feodum, dicta Ghisla et filia ejus de voluntate et assensu meo, pro anima memorati Amilii, contulerunt in liberam eleemosynam ecclesiae Ninivensi, ita scilicet quod abbas ipsius ecclesiae annuatim et perpetuo fructus recipiet dicti prati, ex quibus emet calceos singulis annis et pro anima ipsius distribuet pauperibus ubicumque voluerit et visum ei fuerit expedire. Ut autem utraque collatio harum eleemosynarum suo modo firma et stabilis in perpetuum perseveret, scriptum praesens in testimonium tam earundem eleemosynarum quam ejus quae utriusque, consensum meum adjuncti sigillo meo censui roborandum. Actum apud Scendelbecca, anno dominicae Incarnationis MCCXXXIII, mense Maio.

Original, sceau perdu.

CLXXVI.

Gautier, abbé général de Prémontré, décide un différend qui existait entre les abbayes de Ninove et Bonne-Espérance, relativement à la dîme de terres situées à Seneffe. — RENIRSART.

1234.

Universis fidelibus Christi tam praesentibus quam futuris, W. dictus abbas Praemonstratensis salutem in domino. Noverint universi, quod cum inter Ninivensem ex una parte et Bonae-Spei ecclesias ex altera quaestio verteretur super decimis quarundam terrarum apud *Reniersart*, pertinentium ad dictam ecclesiam Ninivensem, sitarum in parochia de Senefia, quas eadem ecclesia quibusdam alienis colonis ad tempus tradidit excolendas, tandem nobis et quibusdam cohabitatoribus nostris mediantibus, fuit de utriusque partis assensu taliter ordinatum et ab utraque ecclesia finaliter acceptatum, quod quamdiu illi vel alii alieni coloni extollent terras illas, ecclesia Ninivensis reddet quatuor modios siliginis totidemque avenae ad mensuram Nivellensem ecclesiae Bonae-Spei solvendos inter festum sancti Remigii et natale Domini annuatim. Quod si processu temporis praedicta ecclesia Ninivensis propriis manibus aut sumptibus terras excoluerit memoratas, quamdiu illas excollet, nihil solvet ecclesiae Bonae-Spei de redditu supradicto, salvis tamen eidem ecclesiae Bonae-Spei

decimis aliarum terrarum, quas ipsa ab ecclesia Ninivensi pacifice consuevit percipere ab antiquo in parochia praedicta. Arreragia vero fuerunt condonata omnino. In cuius rei testimonium praesentes litteras fecimus ad petitionem partium sigilli nostri munimine roborari. Actum anno gratiae MCCXXXIV, mense Augusto.

Original sceau détruit.

CLXXVII.

Philippe de Boulaer, seigneur d'Aspelaere, cède à l'abbaye tous ses droits, ceux de haute justice exceptés, sur une terre située à Aspelaere et vendue par Baud. Zorgheloose, son vassal, à l'abbaye de Ninove. — ROUSLAER.

A Aspelaere, 1235.

Ego Philippus de *Boulaer*, dominus de *Asplar*, notum facio praesentibus prout et futuris, quod Balduinus cognomento *Zorgelose*, villicus de *Asplar*, homo meus, contulit in eleemosynam in concambium et in emptione, ecclesiae Ninivensi cum omni integritate omne jus suum, quod habuisse dinoscitur in tota terra illa quae jacet apud *Bereth*, et in loco qui *Godeldenwelt* dicitur, quam terram haereditarie tenuit ab Aegidio cognomento *Spikinc*; ita videlicet quod eadem ecclesia dictam terram de caetero libere et absque contradictione aliqua possidebit tam liberam quam immunem penitus ab omni tallia et exactione, quae de eadem terra mihi sive quibuslibet aliis persolvi aut etiam exigi consueverant sive juste sive injuste hactenus, quocumque nomine servitutis, nihil mihi omnino deinceps retinens in eadem nisi supremam justitiam, ut est sanguinis et furti, quam mihi tantummodo duxi reservandam. Porro pratarum nullum jus deinceps habebunt in ea, eo solo excepto quod in terra nominata sicut vulgari et communi lingua dicitur *scutten* poterunt pecora tamen aliena dummodo damnum fecerint et non ecclesiae memoratae, quia vero ea quae praemissa sunt de consensu et voluntate mea facta fuerunt; ut de caetero firma et stabilia perseverent ad majorem certitudinem praesenti paginae apposui sigillum meum. Fuerunt autem praesentes ubi haec acta sunt, *Walterus de Valle*, *Johannes de Borgh* et *Walterus Sote*, homines mei; item *Michaël*, *Willelmus de Catbeca* et *Arnulphus de Hasselt*, scabini. Actum apud *Haspleir*, in atrio, anno gratiae MCC tricesimo quinto, in Annuntiatione dominica.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CLXXVIII.

*Othon de Trasegnies, sire de Contrecoeur, reconnaît avoir reçu de l'abbaye une somme de cent soixante livres de Flandre, prix de la vente qu'il avait faite de dix bonniers de pré, situés à Meerbeke*¹. — WOLPUTE.

—
1255.

Universis praesentes litteras inspecturis. Ego O. de *Trasegnies*, dominus de *Contrecoeur*, notum facio, quod abbas et conventus ecclesiae Ninivensis deberent mihi centum et sexaginta libras flandrensis monetae praeter decem solidos de decem bonariis prati, parum plus vel minus, jacentis in parochia de Merbecca versus rivum, qui dicitur Tenera. Dictam summam pecuniae totam et integram mihi dicti abbas et conventus legitime persolverunt. In cujus solutionis testimonium praesentes litteras memoratis abbati et conventui contuli sigilli mei munimine roboratas. Datum anno Domini MCCXXXV, feria quinta post festum beatae Mariae Magdalenaee.

Original, fragment de sceau en cire rouge.

CLXXIX.

Othon de Trasegnies, sire de Contrecoeur, donne à l'abbaye, sous un cens annuel, dix bonniers de pré, situés à Meerbeke. — WOLPUTE.

—
1255.

Ego Osto de *Trasegnies*, dominus de *Contrecoeur*, notum facio praesentibus et futuris, quod ego contuli in perpetuum et liberam eleemosynam Ninivensi ecclesiae circiter decem bonaria prati, parum plus vel minus, jacentis in parochia de Merbecca, versus rivum qui dicitur Tenera, et eadem decem bonaria prati recipit dicta ecclesia a me jure haereditario possidenda ad perpetuum censum decem denariorum flandrensium, singulis annis apud Merbeccam ad natale in die sancti Stephani solvendorum, porro ex his decem bonariis prati, data erant ante a viro nobili piae memoriae domino Ostone, dicto Avunculo, patri meo, circiter quinque bonaria praeter dimidium dietarium tenenda haereditarie ad annum censum scilicet xxv solidorum Flandrensium de quolibet bonario in festo beati Remigii solvendorum, et hunc censum debent illi qui praedicta quinque bonaria praeter dimidium dietarium possident, sive plus inde sit sive minus. Unusquisque secundum portionem suam

¹ Ce diplôme n'est pas reproduit dans le cartulaire de Malines.

in praedicto festo beati Remigii annis singulis perpetuo solvat apud *Wolpute* sine contradictione praefatae ecclesiae Ninivensi, de qua praedicta quinque bonaria prati praeter dimidium dietarium debent de caetero, sicut de me tenerant haereditatis titulo possidere. Si vero quippiam de praenotatis circiter quinque bonariis prati praeter dimidium dietarium, sive plus sive minus inde sit, ab eis qui ea modo ad dictum censum possident ad alios aliquos sive per successionem, vel venditionem, aut alio quolibet modo transferri continget, id fieri licebit libere. Ita quod de quolibet bonario ex parte vendentis duodecim denarii flandrenses et ex parte ementis totidem similiter solvantur ecclesiae memoratae. Quum in jam dictis decem bonariis prati nihil omnino juris mihi retinui, praeter dictum censum et justitiam sanguinis, incendii, vel cujuslibet alterius violentiae. Caetera vero omnia praelibatae Ninivensis ecclesiae libera et quita donavi. Denique ut dicta ecclesia dictum pratum pacifice et quiete sicut debet perpetuo valeat possidere, contra universos juri parere nolentes, de eodem prato promisi ipsi ecclesiae perfectam warandisiam a me, et a meis successoribus omni tempore exhibendum, et idecirco ad evidentiam tam promissae warandisiae, quam omnium praedictorum, praesens scriptum contuli praedictae ecclesiae sigilli mei munimine roboratum. Actum anno gratiae MCCXXXV, mense Julio.

 CLXXX.

Gautier, doyen de Grammont, déclare qu'un échange de terres a eu lieu entre l'abbaye et Gilles de Heghe. — ROUSLAER.

 1255.

Walterus, decanus de Geraldimonte, omnibus praesens scriptum visuris in perpetuum. Universitati vestrae tenore praesentium innotescat, quod ecclesia Ninivensis dedit Aegidio de *Heghe* in commutationem circiter tria bonaria terrae, parum plus vel minus, jacentis apud *Sletthem*, juxta communem viam quae tendit versus *Asplar*, et pratum illud quod dicitur *Willisewade*, et dimidium bonarium terrae sitae in parochia de *Asplar*, quod Sygerus miles de *Asplar* eidem ecclesiae dedit in eleemosynam pro quinque bonariis terrae liberi allodii sui, quae sita est in parochia de *Woubrectenghem* et vocatur *Herratsvelde*, et illam terram in perpetuum Ninivensis ecclesia allodialiter possidebit. Porro terram illam et pratum quod ei memorata ecclesia dedit, in concambium recepit ab ipsa ecclesia haereditarie possidenda, ad perpetuum censum quinque denariorum singulis annis in die sancti Stephani ad natale solvendorum, et hanc terram cum prato ita recepit, ut salvum permaneat jus suum, liberis suis de priore uxore sua, et etiam illis quos habet vel habiturus est ab ea uxore, quam posterius duxit, quod in praedicta terra et prato de jure post decessum ejus ratione successionis obtinere debebunt. Ut autem commutatio ista firma in perpetuum perseveret praesens scriptum super hoc praefatae Ninivensi ecclesiae sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratiae MCCXXXV, mense Maio.

Original, sceau en cire brune.

CLXXXI.

Sophie, dame châtelaine de Bruxelles, approuve l'échange fait par un de ses serviteurs d'une propriété qu'elle avait à Ninove, pour une autre que l'abbaye possédait à Oultre. — NINOVE.

—
1255.

Ego Sophia, castellana Bruxellensis, notum facio praesentibus et futuris quod cum Arnoldus de Holar, famulus meus, ex parte mea concambium fecerit cum ecclesia Ninivensi de meo allodio quod habeo in parochia de Ninive et de allodio quod eadem ecclesia in parochia de Outra habere dicitur vice versa, secundum hoc etiam quod mensuram aequalem declarabit utrimque eidem concambio de voluntate mea ordinato et facto, consensum meum attribui et favorem, salvo tamen in omnibus jure meo. Ut igitur hoc nostrum concambium ab utraque parte de caetero firmiter observetur, ego pro parte mea ad majorem certitudinem scriptum praesens sigilli mei munimine roboratum exhibui abbati et ecclesiae memoratae. Actum anno gratiae MCCXXXV, in Pascha.

Original, fragment de sceau en cire brune.

CLXXXII.

Gautier, abbé de Grammont, confirme la donation d'une dîme à Heldergem, faite à l'abbaye par Goswin, seigneur d'Erpe. — ROUSLAER.

—
1256.

Walterus, Dei gratia dictus abbas de Geraldimonte, et ejusdem loci conventus, universis praesentes litteras inspecturis in Domino salutem. Universitati vestrae tenore praesentium notum facimus, quod cum Goswinus, dominus de Erpa, pro salute bonae memoriae Gosuini, quondam domini de Erpa, patris sui, et praedecessorium suorum, contulit in liberam eleemosynam Ninivensi ecclesiae duas garbas decimae de circiter quindecim bonariis terrae, parum plus vel minus, sitae in parochia nostra de *Heldrenghem*, in loco qui dicitur *Watervalle*, nullo sicut pro certo cognovimus pretio mediante, ad preces dictae Ninivensis ecclesiae consensum nostrum duximus adhibendum, concedentes eidem gratuita voluntate ut dictam decimam pacifice et quiete sicut suam eleemosynam in perpetuum valeat possidere. Actum anno gratiae MCCXXXVI, kalendis Aprilis.

CLXXXIII.

Alix, dame de Boulaer, confirme et ratifie la donation faite à l'abbaye par son fils Philippe, de tous ses droits sur deux propriétés situées à Neder-Hasselt. — ROUSLAER.

—
1256.

Ego Alicia, domina de *Boular*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum dilectus filius meus Philippus, miles, dederit in liberam et perpetuam eleemosynam Ninivensi ecclesiae quidquid juris habuit tam in talliis quam *herbengherien* et quibusdam servilibus operibus, quae vulgariter appellantur *borgwer*, caeteris quoque exactionibus et omnibus aliis, praeter supremam justitiam, quae habebat in octo bonariis et dimidio terrae vel prati, parum plus vel minus, quae sunt Willelmi de Catbeca et in circiter septem bonariis terrae vel prati, parum plus vel minus, quae tenet et tenuit Heila de Atrio, cum Willelmo, marito suo quondam, nunc converso de Ninive, in parochia de *Asplar* et de *Neder-Hasselt*. Ego quoque quum dictus Ph. omne jus quod habebat in praefatis terris et pratis a me tenebat in feodum, praenotatae donationi, quam fecit dictus Ph. memoratae Ninivensi ecclesiae, assensum adhibui et omne jus quod in praedictis terris et pratis habui, praeter supremam justitiam, ipsi ecclesiae quitum clamavi, ipsamque donationem ratam habeo et stabilem volo perpetuo permanere. Quocirca praesentes litteras jam dictae ecclesiae in testimonium contuli, sigilli mei munimine roboratas. Actum in octavis nativitatis beati Johannis Baptistae, anno Domini MCCXXXVI.

Original, sceau détruit.

CLXXXIV.

Gérard, abbé de Grammont, et Gautier, doyen de chrétienté de la même ville, certifient que Thomas de Polare a vendu à l'abbaye six bonniers de terre, situés à Ninove. — NINOVE.

—
1237.

Ego Gerardus, Dei gratia, dictus abbas de Geraldimonte, et ego Walterus, decanus christianitatis ejusdem loci, notum facimus praesentibus et futuris, quod Thomas, dictus de *Pollar*, burgensis de Geraldimonte, de voluntate et assensu Radulfi et Thomae et caeterorum liberorum suorum, vendidit legitime ecclesiae Ninivensi circiter sex bonaria terrae allodii sui, parum plus vel minus, jacentis in parochia de Ninive, partim in cultura illa quae est ante portam praedictae ecclesiae, partim inferius eandem culturam versus *Okenghem*; quam terram memorata ecclesia suscepit

haereditarie tenendam a praedicto Thoma et a successoribus ejus in perpetuum, ad censum unius denarii flandrensis de quolibet bonario, hoc est sex denariorum flandrensiū de tota terra praedicta, singulis annis in festo sancti Remigii solvendorum. Porro dictus Th., interpositis fide et juramento, promisit coram nobis, quod ipse et omnes successores sui de praefata terra jam dictae Ninivensi ecclesiae legitimam ac perpetuam warandisiam exhibebunt. Hoc idem etiam jam fide interposita, major natu filius ejus Radulfus de dicta warandisia, pro parte sua in tempore suo, dictae ecclesiae exhibenda promisit; denique ad majorem certitudinem dictae warandisiae obtinendam Radulfus major natu filius praedicti Th., de assensu et auctoritate Th. patris sui, obligavit praenotatae ecclesiae Ninivensi quinque bonaria terrae sitae in parochia de Skendelbeka, quae ab eadem ecclesia tenet in feodum, sub hac forma: ut si quidquam de dictis sex bonariis terrae quae supra dictus Th. vendidit Ninivensi ecclesiae, ab ipsa ecclesia aliquo tempore jure et justitia auferri contingat, tantumdem de praedictis quinque bonariis terrae apud Skendelbekam, quae ab ecclesia ipsa, ut dictum est, tenetur in feodum, nomine restitutionis retinere sibi debeat ecclesia praelibata secundum consilium duorum vel trium bonorum virorum qui de assensu ipsius ecclesiae et praedicti Thomae ac Radulfi, filii sui, vel successorum eorum super hoc pro tempore communiter eligentur. Neve autem super his quae praescripta sunt, aliqua dubitatio in posterum oriat̄ur, scriptum praesens ad petitionem dictarum partium in testimonium memoratae rei gestae sigillis nostris censuimus roborandum. Actum anno gratiae MCCXXXVII, mense Junio.

Original, fragment en cire rouge du sceau de Wautier, doyen de chrétienté de Grammont, pendant à double queue de parchemin.

CLXXXV.

Bref du pape Grégoire IX en faveur de l'ordre de Prémontré. —

AFFAIRES DIVERSES.

Donné à S^t-Jean de Latran, et homologué à Prémontré, 1258.

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Praemonstratensi et coabbatibus suis, salutem et apostolicam benedictionem. Licet vobis, sicut asseritis, a sede apostolica sit indultum ut litterae contra vos a sede apostolica impetratae non valeant, nisi de ordine vestro fecerint mentionem, nos tamen quieti vestrae volentes consulti providere, auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut per illam clausulam generalem quidam alii non possitis aliquatenus conveniri, nisi litterae apostolicae expressam de Praemonstratensi ordine fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, in indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lateranae, decimo septimo kalendas Februarii, pontificatus nostri anno septimo. Ut autem huic transcripto fidem adhibeant universi, ad abundantem

certitudinem appositum est eidem sigillum capituli generalis, necnon et sigilla Bonae-Spei, sancti Foillani et de Grimbergis abbatum, qui ipsum auctenticum bullatum et oculis inspexerunt; et manibus attrectaverunt. Datum Praemonstrati, anno gratiae MCCXXXVIII, in capitulo generali.

Original, sceaux détruits.

CLXXXVI.

L'abbé d'Inde confirme la donation de la dîme de Hoorebeke, faite à l'abbaye par le prêtre Mathieu, à condition que ceux de Ninove lui rendront hommage du chef de cette dîme. — BOUCHOUT.

1259.

F., Dei gratia Indensis abbas, universis praesentes litteras inspecturis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Cum bonae memoriae Mathaeus, quondam presbyter de *Indenghem*, contulit in eleemosynam decimamillam, quam tenebat a nobis in feodum in parochia de Horenbeke, conventui Ninivensis ecclesiae, salvo jure nostro, nos dictam collationem, intuitu Dei et quorundam amicorum nostrorum obtento, gratam et ratam habemus, recepto homagio quod nobis fecit frater Daniel, canonicus Ninivensis ecclesiae, de eadem decima habens potestatem per litteras abbatis et conventus de Ninive, dictum homagium faciendi. Cum vero praedictus Daniel decesserit, praedicta ecclesia nobis aliam personam religiosam domus suae exhibere tenebitur, quae a nobis et successoribus nostris praedictum homagium faciet, et sic deinceps in futurum. Fuerunt autem praesentes ubi praedictum factum fuit homagium, homines nostri feudales: Genetasius, Willelmus, Mathias, Petrus, Wiricus, Willelmus, fratruum, et Genekinus. Actum anno Domini MCCXXXIX, sabbato post divisionem apostolorum¹.

Cartulaire de Malines.

CLXXXVII.

Sentence arbitrale du doyen de Lombeke, qui termine le débat existant entre l'abbaye et le curé de Lombeke. — CATTHEM.

Vers 1240.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Walterus, cognomento *Wellin*, Dei gratia decanus de *Hal*, omnibus hoc scriptum lecturis notum facio, quod querelam inter abbatem de Ninive

¹ Fête célébrée au mois de septembre dans quelques diocèses.

et sacerdotem de Lumbecca pro assignatione junioratus aliquamdiu ventilatam, ex praecepto et auctoritate domini Petri, Cameracensis episcopi, audita utriusque partis allegatione, de prudentum virorum consilio et partibus hinc inde consentientibus, in hunc modum terminavi: decimam quae de *Strithem*, prout palus dividit qui jacet inter *Strithem* et vicum S.-Gohte, integraliter habebit quatuor vel quinque bonariorum *S.-Duhs* d^r esc., et sic *Hollegraht* includit ab *Hunexspal* versus curiam *Cattem*, sacerdote reliquam decimam de Lumbecca prout parochia se extendit obtinente. De nutrimentis autem animalium in parochia de *Strithem*, decimam solus habebit sacerdos, in parochia vero de Lumbecca aequaliter dividetur, de nemore vero quod dicitur *Banvorst*, si dominus de *Lidekerka*, in posterum forte aliquid sartaverit, aequa pars decimae personae cedet et sacerdoti. Ut autem haec rata permaneant et inconvulsa, scriptum hoc sigilli mei appensione et testium subnotatione confirmo. Signum Algoti, abbatis; S. Damiani, prioris; Alardi, praepositi; S. Gilleberti, sacerdotis de Lumbecca; Willelmi de Pamela et Sygeri, sacerdotum.

Cartulaire de Malines.

CLXXXVIII.

Jean, doyen de S'-Germain, et Péronne, doyenne de l'église principale de Mons, déclarent qu'une chanoinesse de Mons a renoncé à toute prétention sur une partie de bois, située à Haycroix, et légitimement acquise par l'abbaye. — HARTBEKE.

A Mons, 1241.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, Johannes, decanus S. Germani, et Perona, decana majoris ecclesiae in Montibus, aeternam in domino salutem. Universitati vestrae praesentium tenore significamus, quod Dei amica canonica Montensis, in nostra praesentia constituta, de libera et spontanea voluntate sua quitam clamavit ecclesiae Ninivensi omnino querelam et reclamationem illam, quam dudum movit adversus eandem ecclesiam super quodam nemore, in parochia de *Haycroix*, quod ipsa ecclesia a Giselino, filio Hilbini, militis de Larebeca, nomine emptionis, legitime acquisivit. Praeterea ut memoria ipsius canonicae post decessum ejus in praefata ecclesia de caetero habeatur, ipsa ob salutem et remedium animae suae, siquid juris in dicto nemore habebat in liberam et perpetuam eleemosynam coram nobis et aliis fide dignis qui aderant ecclesiae, contulit memoratae. Ne quis tamen super hoc saepedictam ecclesiam in aliqua molestare seu temere vexare praesumat, nos ad instantiam praefatae Dei amicae in testimonium et confirmationem hujus rei, scriptum praesens sigillorum nostrorum munimine roboratum eidem Ninivensi ecclesiae duximus conferendum. Actum Montibus, anno Domini MCCXLI, in Annuntiatione dominica.

Original, sceaux détruits.

CLXXXIX.

Engelbert, seigneur d'Ayghem, certifie que Gautier Pollvin et son épouse Eremburge, ont reconnu en sa présence qu'ils n'avaient aucun droit à la terre dite Pladichs, qui appartient à l'abbaye de Ninove. — HARTBEKE.

—
1242.

Ego Ingelbertus, dominus *Ainghein*, notum facio praesentibus et futuris, quod cum Walterus, cognomento *Pollvin*, et Eremburgis, uxor ejus, quondam querelam moverint adversus ecclesiam Ninivensem, super quadam terra quae jacet in loco qui dicitur *Pladichs*, in qua terra aliquod jus se habere credebant, ipsi in nostra praesentia constituti de mera et spontanea voluntate sua, omnem querelam et jus omne quod in dicta terra se habere dicebant, coram nostra et aliorum bonorum praesentia deposuerunt, et ipsam calumniam quitam clamaverunt; et juri suo si quod habebant, renuntiabant. In cujus rei testimonium ad majorem confirmationem praesens scriptum sigilli mei munimine roboratum praefatae ecclesiae duxi conferendum. Datum anno gratiae MCCXLII, infra octavas dominicae nativitatis.

Cartulaire de Malines.

CXC.

Henri, abbé de Jette, après avoir fait une enquête sévère sur les lieux, détermine les droits mutuels du duc de Brabant et de l'abbaye de Ninove à Strithem. — CATTHEM.

—
1242.

Henricus, Dei gratia dictus abbas Getthensis, universis praesentes litteras inspecturis salutem in Domino. Notum facimus universitati vestrae tenore praesentium, quod cum inter ecclesiam Ninivensem ex una parte, et dominum Godefridum de Lovanio ex altera, querela verteretur super quibusdam articulis, de quibus comquerebatur dicta ecclesia, quod idem dominus G. sibi eos in villa de *Strithem*, in praejudicium ipsius ecclesiae contra morem debitum usurpasset, tandem abbas et conventus dictae ecclesiae et dictus dominus Godefridus in hoc voluntarie consenserunt, quod nos et Sebastianus, ballivus ipsius G., a personis dictae ecclesiae et a scabinis ac senioribus dictae villae de *Strithem*, super hoc meram inquireremus cum debita diligentia veritatem, et veritate inquisita quidquid per nos secundum ipsam veritatem inde esset ordinatum et dictum, dictae partes utrin-

que firmiter observarent. Nos autem et dictus Sebastianus cum ab abbate de Ninive, priore et fratre Soikino, canonicis ipsius loci et a scabinis et senioribus villae de *Strithem*, recepissemus proprium juramentum et eorum audivissemus depositiones, liquido cognovimus, quod sicut a diebus antiquorum temporum, virorum illustrium ducum Brabantiae, circiter per quinquaginta annos hactenus est observatum; si quum denuntiandum sit placitum in villa de *Strithem*, ex parte abbatis Ninivensis et ex parte Domini Godescalci debet denuntiari, propriumque placitum tenere ac regere debetur, pariter nuntius dictae ecclesiae et nuntius ipsius domini G. forefacta quoque omnia de mansionariis dictae ecclesiae de quibus judicaret vel iudice¹ solent scabini, debent aequaliter dividere inter se, ita quod ecclesia inde habere debet unam medietatem et dominus G. alteram; praeterea si qua terra vel pratum vel quodlibet aliud quod ab ecclesia tenetur in haereditatem transferri debeat a suo possessore ad alium per successionem, donationem, venditionem, commutationem vel quemlibet alium modum, illa translatio fieri debet per scabinos et per nuntium ecclesiae solum, nullo penitus ad hoc vocato ex parte domini Godefridi. Omnis autem alta justitia, scilicet sanguinis effusio, incendium, furtum, violentiae et consimilia remanere debent penes solum dominum Godefridum, ad haec quatuor scabini eligi debent ibidem tam ex parte ipsius G. quam ex parte ecclesiae memoratae. Cum igitur per depositiones tam personarum dictae ecclesiae quam scabinorum et seniorum dictae villae de *Strithem*, nobis manifeste innotuerit, quod secundum ea quae praemissa sunt talis fuerit possessio dictae ecclesiae observata a diebus antiquis et hujusmodi debeat sicut dictum est jus esse ipsius domini G., juxta quod illud secundum longaevam consuetudinem tenuerunt duces Brabantiae et consuetudinem et possessionem utrimque secundum ea quae dicta sunt, tam a personis ecclesiae quam a scabinis et senioribus dictae villae pronuntiavimus partibus praedictis deinceps inviolabiliter observandas. Quod et dictae partes facere sub praestito juramento firmiter promiserunt. In cujus rei testimonium praesentem cartam sigillo nostro et praedictorum abbatis de Ninive, domini Godefridi et Mariae uxoris suae sigillis duximus roborandum. Actum anno domini MCCXLII, mense Martio.

Original, sceau détruit.

CXCI.

Engelbert, seigneur d'Ayghem, confirme la donation d'un demi-bonnier de terre à Helbergh, faite à l'abbaye par son vassal Cauderon. — HARTBEKE.

1245.

Ego Ingelbertus dominus de *Ayngem*, notum facio praesentibus et futuris, quod, cum dominus Cauderon, miles de Boscho, contulerit in eleemosynam ecclesiae Ninivensi dimidium bonarium terrae sitae in loco qui *Helbergh* appellatur, quam terram a me tenebat in feodum, ego eidem col-

¹ Sans doute *judicare*.

lationi consensum meum attribui et favorem, et ut dicta collatio firma et stabilis perseveret, scriptum praesens sigilli mei munimine roboratum praefatae ecclesiae duxi conferendum. Actum anno Domini MCCXLIII, mense Septembri.

Original, sceau détruit.

CXCII.

Godefroi, frère du duc de Brabant, et Marie, son épouse, confirment la donation qu'Antoine, leur vassal, a faite à l'abbaye de tous les droits qu'il possédait à Strithem et dans les propriétés voisines du couvent. — CATHEM.

1243.

Ego Godefridus de Lovanio, frater ducis Brabantiae, et ego Maria uxor ejus, universis praesens scriptum inspecturis aeternam in Domino salutem. Universitati vestrae tenore praesentium volumus esse notum, quod cum Antonius, filius Rabodonis, contulerit ecclesiae Ninivensi in perpetuam eleemosynam omne jus suum quod habuit tam in parochia de *Strithem*, in terris, pratis, quam in omni dominio Ninivensis ecclesiae circumquaque ad ipsam pertinentibus, nos ipsius collationem modis omnibus ratam habemus et acceptam et eidem collationi gratis consensum nostrum attribui-
mus et favorem; et ut haec collatio de voluntate et consensu nostro facta firma et stabilis in posterum perseveret, praefatae Ninivensi ecclesiae scriptum praesens sigillorum nostrorum munimine roboratum duximus conferendum. Datum anno gratiae MCCXLIII, feria sexta post Petri ad vincula.

Original, sceau détruit.

CXCIII.

Thomas de Savoie, comte de Flandre et de Hainaut, donne à son sergent, Guillaume de Braine, des pleins pouvoirs pour ratifier en son nom la vente d'une pièce de terre que le chevalier Gilon se propose de faire à l'abbaye. — HARTBEKE.

A Valenciennes, 1244.

Th., Flandriae et Hainoniae comes, omnibus fidelibus suis ad quos litteras pervenerint salutem. Noverit universitas vestra, quod nos dilectum servientum nostrum Willelmum de Breinea latorem

praesentium loco nostro ponimus pro venditione duorum bonariorum et unum jornalium terrae facienda, quam Gilo, miles de *Ham*, facere intendit ecclesiae de Ninive, ratum et firmum habituri quidquid super dicta venditione factum fuerit, praesentium testimonio litterarum. Datum Valenchi-
nis anno Domini MCCXLIV, in crastino apostolorum Petri et Pauli.

Cartulaire de Malines.

CXCIV.

W., châtelain de Braine-le-Comte, confirme, au nom du comte de Flandre, la donation, faite à l'abbaye par Gilles de Hamme, d'une terre située dans le village de Berges. — HARTBEKE.

A Folensele, 1244.

Universis praesentes litteras inspecturis, W., castellanus de Brania-Comitis, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium significo, quod cum dominus Aegidius, miles de *Hamme*, resignasset in manibus meis ad opus abbatis et conventus ecclesiae Ninivensis circiter novem jornalium terrae, parum plus vel minus, sitae in parochia de *Berges*, juxta locum qui dicitur Wanberti nemus; quam terram dictus Aegidius miles tenebat in feodum a viro illustri comite Flandriae, ego de speciali licentia ipsius comitis praefatam terram praedictis abbati et conventui ecclesiae Ninivensis, de judicio hominum feodatorum dicti comitis, contuli libere et absolute, jure haereditario in perpetuum possidendam, ad censum videlicet duorum denariorum, ad nativitatem beati Johannis Baptistae singulis annis apud Braniam-Comitis persolvendorum. Actum apud Folensela, feria quarta post octavas apostolorum Petri et Pauli, anno Domini MCCXLIV.

Original, sceau enlevé.

CXCV.

Othon, sire de Contrecoer, libère l'abbaye de la redevance annuelle de vingt et une rasières et demie d'avoine et de vingt-deux chapons qu'elle lui payait à Noël. — LOETSH.

1244.

Ego Osto, dominus de *Contrecoer*, notum facio praesentibus et futuris, quod ego contuli ecclesiae Ninivensi libere et absolute in eleemosynam viginti et unam rasiriam et dimidiam rasiriam avenae

Том. II.

112

et viginti duos capones, quos mihi singulis annis ad natale Domini nomine redditus praedicta ecclesia de pratis, sitis in parochia de *Apeltren*, solvere tenebatur, feci autem collationem praedictorum avenae et caponum coram villico et scabinis de *Apeltren*, adhibitis omnibus de iudicio scabinorum praedictorum, quae in donatione huiusmodi secundum legem villae erant adhibenda, et contra omnes molestare vel inquietare volentes dictam ecclesiam super memoratis avena et caponibus perpetuam warandisiam eidem ecclesiae repromisi. In cuius rei testimonium praesentes litteras praefatae ecclesiae contuli sigilli mei munimine roboratas. Actum in octavis beati Martini, anno gratiae MCCXLIV.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CXCVI.

*Marie de Gaesbeke*¹, épouse de *Godefroid de Louvain*, reconnaît qu'elle a fait un accord avec l'abbaye, relativement à la justice à rendre, si quelque délit se commettait à *Catthem*. — CATTHEM.

A Gaesbeke, 1244.

Ego Maria, uxor viri nobilis domini Godefridi de Lovanio, fratris ducis Brabantiae, notum facio praesentibus et futuris, quod in hoc conveni cum abbate et conventu de *Ninive*, ut si aliqua facta eveniant de caetero infra alodium dictorum abbatis et conventus apud *Catthem*, quod dicitur alodium beati Aichadri, inter hospites super idem alodium manentes, pro quibus factis aliqua iustitia sit facienda, antequam ex parte domini mei vel mea propter haec aliqua fiat ibi pandatio seu quidlibet aliud, moneri debet abbas praedictus ex parte nostra vel ille qui fuerit loco ipsius in ecclesia *Ninivensi*, ut de factis illis sive forefactis, si contingant, iustitiam faciat sicut debet. Quod si non fecerit abbas, vel ille qui loco abbatis fuerit, ego et dominus meus inde faciemus, secundum quod in consilio nostro inveniemus. In cuius rei testimonium praesentes litteras praefatis abbati et conventui, sigillo meo contuli roboratas. Actum apud *Gazebece*, feria quinta post octavas Paschae, anno Domini MCCXLIV.

Original, sceau en cire verte endommagé.

¹ Cette dame est ainsi nommée dans le cartulaire de Malines.

CXCVII.

Érasme de Gavre déclare qu'il a donné à son sergent Foulques un plein pouvoir, reproduit ici mot à mot, pour qu'il agisse en son nom dans l'affaire d'une donation faite à l'abbaye; il rappelle toutes les précautions qu'on a prises et ratifie pleinement le don fait à l'abbaye de la terre en question, changée de féodale en allodiale. — ROSLAR.

—
1244.

Ego Raso, dominus de Gavera. Notum facio praesentibus et futuris, quod cum Aegidius de *Landerghem*, miles, legitime vendiderit abbati et conventui Ninivensis ecclesiae decem et septem bonaria terrae, sitae in parochia de *Woubregthengem*, in loco qui dicitur Ingelboudi campus, quam terram dictus Aegidius miles a Soykino de *Aienghem*, filio Bernardi de *Aienghem*, tenebat in feodum et idem Soykinus a me jure feudali tenebat; ad hoc ut praedicti abbas et conventus de Ninive terram eandem debito more reciperent et secundum legem patriae in possessionem ejus intrarent, Fulconem, servientem meum, loco mei coram hominibus meis feudatis constitui et eidem in omnibus quantum ad hoc faciendum vices meas commisi per litteras meas patentes, dicto Fulconi plenariam super hoc conferens potestatem, et per easdem decernens, ut omnia et singula quae per ipsum et coram ipso in hac parte facta fuerint eandem firmitatem habeant et vigorem ac si per me et in mea praesentia facta essent. Quarum litterarum tenorem de verbo ad verbum praesenti cartae censui inserendum; tenor autem earum talis est. « Universis praesentes litteras visuris, Raso dominus de Gavera, salutem in Domino. Cum dominus Aegidius de *Landerghem*, miles, vendiderit viris venerabilibus abbati et conventui Ninivensibus circiter octodecim bonaria terrae, quae idem Ae. de Soykino de *Aienghem* tenet in feodum, quae dictus Soykinus modo simili de me tenet in feodum, et ego tanquam dominus superior de dicto feodo facio allodium, testimonio praesentium litterarum; nihilominus Fulconem, servientem meum, latorem praesentium loco meo constituo, ut ad opus dictorum abbatis et conventus dictum feodum allodium faciat ubicumque necesse fuerit; confero etiam eidem Fulconi potestatem plenariam omnia et singula faciendi ad praemissa pertinentia, quae ego facerem vel facere possem, si praesens praemissis interesset. Praeterea si de praemissis aliquid defecerit vel fuerit obscurum, quod dicti abbas et conventus addere vel supplere desiderant post reditum meum, statim cum ab ipsis requisitus fuero ad voluntatem ipsorum, prout decet, perficiam et adimplebo. Hoc autem pro amore abbatis et conventus praedictorum duxi faciendum. In cujus rei testimonium et munimen praesentes litteras dictis abbati et conventui sigillo meo contuli sigillatas. Datum anno Domini MCCXLIV, sabbato post *Invocavit me*. » Sane lectis praedictis litteris et vulgariter in teuthonica lingua expositis in praesentia hominum meorum feudatorum et quorumdam aliorum bonorum virorum, apud *Aienghem* in ecclesia, dicti homines mei feudati, scilicet Bernardus de *Aienghem*, Soykinus de *Ydenghem*, Boidinus *Stubbout* de Gavera et Arnoldus de le Weida, ad petitionem fratris Danielis prioris, et fratris Ingelberti, praepositi ecclesiae de Ninive, qui illic erant ex parte ipsius ecclesiae, a dicto Fulcone serviente meo super hoc

submoniti judicaverunt, quod quaecumque in hac parte coram ipso et per ipsum Fulconem fierent, ejusdem firmitatis robur haberent in omnibus, ac si per me et in mea praesentia facta legitime existissent. Igitur praedictis priore et praeposito de Ninive pro ecclesia sua, et dicto Ae. milite pro se in ipsius Fulconis servientis mei et praefati Soykini de *Aienghem* praesentia constitutis, Walterus de Holbeka et Ramundus de *Woubregtenghem*, homines feodati dicti Soykini, ab eodem ad hoc submoniti, habito super hoc consilio cum praedictis hominibus meis feodatis, judicaverunt quod praenotatus Ae. miles praedictam terram libere et absolute poterat vendere, et praedicti abbas et conventus eam libere poterant emere, dum modo Lutinae, matri suae, de jure suo si quod in eadem terra habebat, et illis qui dictam terram coluerant similiter de suo jure, quod in ea habebant, prius satisfactum fuisset ab eo, quod utique fecit, prout intelleximus competenter. Itaque dictus Ae. miles per iudicium ditorum Walteri et Ramundi hominum feodatorum Soykini de *Aienghem*, terram jam dictam in manus ipsius Soykini, a quo eam tenebat in feodum resignavit, et de ea exfestucando werpitionem fecit iudicantibus dictis hominibus quod in ea ex tunc nihil omnino juris haberet. Soykinus vero qui praedictam terram similiter de me tenebat in feodum, et Sophia uxor ejus, de cujus successione haereditaria venerat dictum, feodum nec non et praedictus Bernardus, pater Soykini, socer ejusdem Sophiae, qui a dicto Fulcone ad hoc faciendum in manburnum sive advocatum de iudicio ditorum hominum meorum ei datus erat per iudicium ipsorum hominum, in manus dicti Fulconis praedictam terram et omne jus quod in eadem habebant reportaverunt et libere resignaverunt, ac mediante exfestucatione werpiverunt. Quo facto judicaverunt dicti homines mei quod praedicti Soykinus, Sophia uxor ejus et Bernardus, manburnus ejus, in terra praenotata de caetero nihil juris aliquatenus obtinerent. Caeterum dicta Lutina, mater ipsius Aegidii militis, constituta apud Ninive in abbacia coram dicto Fulcone et hominibus meis feodatis, scilicet Bernardo de *Aienghem*, Soykino filio ejus, Soykino de *Ydenghem*, et ipso Ae. milite, cum manburno suo Bernardo, scilicet filio suo milite, qui de iudicio ditorum hominum ad hoc faciendum ab ipso Fulcone ei datus fuerat, et Jutta similiter, uxor dicti Ae. militis apud *Landerghem*, in domo sua coram ipso Fulcone et hominibus meis feodatis qui ibi praesentes erant, scilicet Soykino de *Ydenghem*, Soykino de *Aienghem* et ipso Aegidio milite, marito ejus, et Waltero de Holbeka, homine feodato dicti Soykini de *Aienghem*, cum Johanne presbytero de Gavera, qui a dicto Fulcone de iudicio ditorum hominum ad hoc datus ei erat in manburnum, universo juri quod in praedicta terra habebant per iudicium ipsorum hominum libere renuntiaverunt, werpiverunt et exfestucaverunt, iudicantibus dictis hominibus quod nihil omnino juris dictae matronae et earum manburni jam dicti haberent de caetero in terra memorata. Porro dictus Fulco dictam terram in manus suas reportatam, ut dictum est, et resignatam, cum jam praefati homines mei judicassent quod nullus in eadem terra aliquid juris haberet omnino nisi ego, cujus liberum tunc erat allodium, praemissis rite prout debuit fieri celebratis ex parte mea et nomine meo, praedictis abbati et conventui de Ninive libere et absolute contulit cum omni jure praeter altam justitiam, quam mihi reservavit in ea, sicut liberum et francum allodium suum in perpetuum possidendam. Ego autem praedictam collationem et omnia quae superius sunt expressa, cum rite et legitime per iudicium praedictorum hominum meorum et Soykini de *Aienghem*, feodatorum ad hoc submonitorum, cum debita solemnitate celebrata existant, laudo et approbo, rata et firma conservare volo, et ad majorem securitatem et plenam certitudinem praedictam terram praefatae ecclesiae propria manu etiam contuli et de eadem terra ipsi ecclesiae contra omnes ad jus et ad legem venire volentes legitimam garantisiam repromisi, quotiescumque necesse fuerit, eidem ecclesiae a me et a meis successoribus futuris temporibus in perpetuum exhibendam. Ut autem omnia quae praemissa sunt in perpetuum rata et firma permaneant, scriptum praesens ob evitandam

omnem scrupulositatem, in testimonium quoque et munimen omnium praedictorum memoratae ecclesiae sigilli mei appensione contuli roboratum. Actum anno Domini MCCXLIV, mense Aprili.

Original, sceau en cire verte endommagé.

CXCVIII.

Érasme de Gavre, seigneur de Liedekerke, confirme l'échange d'une partie de dîme que son arrière-vassal, Annekin de Lombeke, a fait pour dix bonniers de terre de l'abbaye. — CATHEM.

A Liedekerke, 1244.

Ego Rasso de Gavera, dominus de Lidekerka, notum facio praesentibus et futuris, quod cum Arnulphus, filius Annekini de Lumbeka, teneret in feodum a dicto Annekino, patre suo, tertiam garbam decimae de *Strithem*, et idem Annekinus a me, tanquam superiori domino, teneret similiter in feodum eandem decimam, dictus Arnulphus, de iudicio hominum meorum feodatum, qui subnotati sunt, praedictam decimam in manus praefati Annekini, patris sui, reportavit, et de ea prout debuit werpitionem fecit. Porro cum idem Annekinus eandem decimam de iudicio praedictorum hominum meorum qui super hoc ex parte mea submoniti fuerunt, resignasset in manus meas et inde debitam werpitionem fecisset, ad opus abbatis et conventus ecclesiae Ninivensis, qui circiter decem bonaria terrae suae dederunt in commutationem praedicto Arnulpho, filio Annekini, pro decima memorata. Ipsam decimam, sicut dictum est, in manus meas legitime reportatam et resignatam memoratis abbati et conventui de Ninive libere contuli, et ut eam de caetero in perpetuum teneant et possideant, allodialiter gratuita voluntate concessi. Ut autem ea quae praedicta sunt, rata permaneant, praesens scriptum cum subnotatione hominum meorum feodatorum, qui praedicta secundum formam superius expressam a me submoniti iudicaverunt fieri, sigillo meo in testimonium roboravi. Haec vero sunt nomina hominum meorum praedictorum: Arnulphus miles, frater meus; Sygerus de *Alost*, dictus de Curia; Symon et Ivanus *Pretere* de *Lewe* supra Teneram; Giselinus, villicus de Lumbeka, et Michaël de *Bachrem*, homines mei; interfuerunt etiam huic facto Lambertus *Faber*, scabinus de Lidekerke, et Walterus *Wale* de *Alost*, et quidam alii boni viri. Actum in domo mea apud Lidekerka, feria sexta ante Penthecosten, anno Domini MCCXLIV.

Original, sceau détruit.

CXCIX.

Arnoul, doyen de Hal, et maître Sohier de Meerbeke, décident une contestation existante entre l'abbaye et le seigneur de Liedekerke, relativement aux dîmes de Pamele et au chant de la chapelle de Liedekerke. — PAMELE.

Vers 1245.

Arnoldus, decanus de *Hal*, et magister Sygerus de Merbecca, omnibus hoc scriptum lecturis salutem. Notum sit praesentibus et futuris, quod cum quaedam dissensio inter ecclesiam Ninivensem et Willelmum de Ledeburga, pro quibusdam decimis in parochia de Pamela et cantu capellae suae in Ledeburga fuisset exorta, nos ad pacem et concordiam, sub hac forma partem utramque reduximus. Willelmus omnem prorsus decimam quae infra limites decimationum ecclesiae, tam de novalibus quam de culta terra continetur, recognovit ecclesiae justam esse possessionem, et in ea nihil juris debere habere. De cantu etiam sic diffinitum est. A cantu capellae de Ledeburga ecclesia libera erit, et pro hac recompensatione altare in ecclesia de Pamela ante crucem habeat, cui capellanus semper assignatus erit et coram isto altari ipse et uxor ejus sepulturam sibi elegerunt et ecclesia eis concessit. Jam dictus Willelmus timens maledictum illud quo laici decimam possidentes involvuntur, et volens cantum capellae in Ledeburga perpetuo providere, salvo jure totaliter matricis ecclesiae, decimam omnem quam in parochia de Pamela et Ledeburga possederat, mihi Arnoldo, decano de *Hal*, resignavit, et ego personae scilicet abbati Ninivensi, tali conditione, quod abbas partem istius decimae ad praesentationem domini de Ledeburga idoneo conferet sacerdoti, qui inde clerico qui serviet loco custodis tres modios siliginis et unum hordei et unum avenae quotannis impendet. Reliquum vero decimae Jacobo filio saepedicti Willelmi abbas donavit, si tamen clericus permanserit, si vero clericus non permanserit, abbas et dominus de Ledeburga ad honorem Dei et ecclesiae de ea ordinabunt ut in ipsa capella de ea serviatur. Ut autem haec rata permaneant, scripto nostro cyrographisato et sigillato, et etiam abbatis sigillo et fratrum ecclesiae etiam Willelmi quam ipsius ecclesiae hominum et aliorum fidelium testimonio confirmavimus. Signum Walteri, prioris; Remacii, supprioris; Gilleberti, praepositi; Walteri, sacristae; Johannis, cellerarii; Henrici et Symonis, sacerdotum; S. Sygeri de Holebecca; Rollini de *Strithem*; Nicolai et Walteri de *Okengem*; S. magistri Amelrici et Gerardi, canonicorum de Merbecca.

Original, sceaux détruits.

CC.

Hugues de Saintes déclare qu'il a vendu à l'abbaye onze journaux de terre à Saintes. — HARTBEKE.

1245.

Universis praesentes litteras inspecturis. Hugo miles, dominus de *Saintes*, salutem in vero salutari. Universitati vestrae tenore praesentis significo, quod ego vendidi et contradidi secundum legem patriae allodialiter circiter undecim jornaria terrae, parum plus vel minus, jacentis in parochia de *Saintes*, in loco qui dicitur *Hietberch*, ecclesiae Ninivensis, et super hoc contra omnes juri parere nolentes warandisiam legitimam repromisi. Adjungens nihilominus et concedens quod via publica quae in eodem territorio esse consueverat ab antiquo, fiat et usitetur de caetero juxta nemus, ita quod eadem terra perpetuo ab usu et frequentia dictae viae libera sit et remota. Datum in festo omnium sanctorum, anno Domini MCCXLV.

Cartulaire de Malines.

CCI.

Pierre, abbé de St-Denys en Broqueroie, reconnaît un arrangement fait entre son abbaye et celle de Ninove, relativement à la dîme de Berghesines. — HARTBEKE.

A St-Denys en Broqueroie, 1246.

Universis praesentes litteras inspecturis, Petrus, Dei gratia S.-Dionysii in Brokeroia dictus abbas, et ejusdem loci conventus, aeternam in Domino salutem. Universitati vestrae tenore praesentium significamus, quod cum inter nos ex una parte, et ecclesiam Ninivensem ex altera, quaestio vertetur super quibusdam decimis; sitis in personatu nostro de *Bergesines*, quas jure patronatus nobis competere asserebamus: nos, licet eadem ecclesia super possessione dictarum decimarum praescriptionem potuerit ostendere, competentem tamen pro bono pacis mutuae de consilio bonorum virorum cum eadem ecclesia Ninivensi compositionem et concambium fecimus, sub hac forma videlicet quod omnem decimam istam, quam in dicta personatu de *Bergesines* dicta Ninivensis ecclesia percepit et possedit usque modo ecclesia nostra de S. Dionysio integre de caetero possidebit; ecclesia vero Ninivensis versa vice similiter de duodecim bonariis terrae suae si suffecerit, vel si in terra sua minus fuerit de alia terra ibidem circumjacente, totalem decimam et garbam pariter cum omni integritate absolute et

libere perpetuo possidebit, salvis nihilominus ipsi ecclesiae tantum decimis novalium suorum, quas ibidem habet ad praesens. Ut igitur quae superius sunt expressa futuris temporibus firmiter observentur utrinque, praefatae Ninivensi ecclesiae praesens scriptum nostrum sigillorum nostrorum munimine roboratum conferendum duximus in testimonium et munimen. Actum apud S. Dionysii, anno gratiae MCCXLVI, mense Aprili.

Original, sceaux détruits.

CCII.

Le pape Innocent IV accorde des immunités à l'abbaye. — NINOVE.

A Lyon, 1246.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui monasterii de Ninive Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem. Paci et tranquillitati vestrae paterna volentes in posterum sollicitudine providere auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus seu ecclesiasticis beneficiis compelli per litteras apostolicas de caetero non possitis inviti, quae de hac indulgentia plenam non fecerint mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni, decimo kalendas Maii, pontificatus nostri anno quarto.

Original, sceau détruit.

CCIII.

Le pape Innocent IV accorde à l'abbaye une indulgence de vingt jours pour la fête des SS. Corneille et Cyprien. — NINOVE.

A Lyon, 1247.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui ecclesiae Ninivensi, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, salutem et apostolicam benedictionem. In sanctorum festivitibus, quae a Christi fidelibus votiva celebritate coluntur, dignis laudibus glorificatur Omnipotens, sanctis ipsis debitus honor impenditur et animarum profectus devotione congrua pro-

curatur. Unde nos qui fidelium ipsorum curam gerimus generalem, cum prae omnibus quae nostrae incumbunt sollicitudini ad eorumdem salutem intendere teneamur, multi desiderio cupimus ut illorum memoriam, quos exutos jam corpore stola gloriae induit rex coelesti, venerabiliter recoleentes ipsorum festa et celebri agant observantia et solemniter prosequantur, ac ut tanto accuratius ad eorum cultum se praeparent, quanto plus ipsum animabus senserint profuturum, cum non nunquam insigniis quibusdam spiritualibus indulgentiis videlicet et remissionibus magnificare studeamus, ipsas devote illum exequentibus benignitate apostolica servientum. Hinc est quod cum ecclesia vestra in honore sanctorum Cornelii et Cypriani constructa esse dicatur, nos ipsa digna coli reverentia cupientes, omnibus vere poenitentibus et confessis qui ad eandem ecclesiam in ipsorum festo pura intentione accesserint, annuatim de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus ac ea, quam nobis concessit, auctoritate confisi viginti dies de injuncta sibi poenitentia misericorditer relaxamus. Datum Lugduni xvj kalendas Maii, pontificatus nostri anno quinto.

Original, sceau en plomb.

CCIV.

Le chevalier Bernard de Pamele confère purement et simplement à l'abbaye, la chapellenie de Ledeburge. — PAMELE.

A Bruxelles, 1247.

Universis praesentes litteras visuris Bernardus, miles de Pamela, advocatus vel tutor Willelmi pueri domini de Ledeburga, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium significo, quod ego de consilio honorum virorum, ob mei meorumque memoriam salutiferam in ecclesia Ninivensi perpetuo habendam, capellaniam de Ledeburga, cujus donatio ad manus meas devenit, quae sita est in personatu dictae ecclesiae, videlicet in parochia de Pamela, et fundata est de parte decimae jacentis in eadem parochia et spectantis ad dictam ecclesiam ratione patronatus, in manus venerabilis, ad opus conventus ejusdem loci, contuli pure propter Deum; ita quod aliquis de dicto conventu pro voluntate et arbitrio abbatis Ninivensis dictam capellaniam perpetuo debeat deservire et fructus ex eadem capellania provenientes de caetero debeant converti in emendationem praebendae conventus praelibati. In cujus collationis testimonium et munimen praesentes litteras sigilli mei appensione, cum testium, qui eidem collationi interfuerunt, subnotatione dedi dictae ecclesiae Ninivensi roboratas. Actum apud Bruxellam in domo Johannis Rufi, anno Domini MCCXLVII, infra octavas nativitatis Domini. Testes frater Hawellus et frater Gerardus de ordine praedicatorum, frater Philippus, frater Lambertus et frater Willelmus, canonici Ninivenses.

Original, sceau en cire brune.

CCV.

Philippe de Boulaer déclare que l'abbaye s'est entièrement libérée d'une redevance annuelle d'une mesure d'avoine et de quatre chapons, qu'elle était tenue de lui payer, et qu'il ne lui revient plus qu'un denier par an du pré qui en formait l'hypothèque. — LOETSH.

A Grammont, 1247.

Ego Philippus, dominus de Boular, notum facio praesentibus et futuris, quod cum ego de consensu Humanae uxoris meae legitimae vendidissem ecclesiae Ninivensi unum modium avenae et quatuor capones, quos mihi annuatim debebat de quodam bonario prati, jacentis in parochia de *Ydenghem*, in loco qui dicitur *Dunbrouc*, ego in praesentia scabinorum de Boular et de Geraldimonte et aliorum proborum virorum, dictum modium avenae et quatuor capones contuli in manus fratris Philippi, praepositi Ninivensis, ad opus dictae ecclesiae, eandem ecclesiam a solutione dicti census in perpetuum quitam clamans, et volens quod dicta ecclesia dictum pratium de caetero libere possideat et quiete, ad annum censum unius denarii Flandrensis monetae, mihi in die sancti Martini solvendi: ita quod de dicto prato nihil servitii vel exactionis deinceps a dicta ecclesia exigere ulla-tenus possim, nisi denarium memoratum. In cuius rei testimonium praesentes litteras dedi dictae ecclesiae sigilli mei appensione, cum testium subnotatione roboratas. Testes Gerardus de Beka, Gerardus Derengarde et Gerardus Corpot, scabini de Geraldimonte; Aegidius de Vilbeka, scabinus de Boular et de Geraldimonte, et Rokinus de Monte, scabinus de Boular; Balduinus, capellanus de Boular; frater Henricus de Lovanio et frater Balduinus de *Gant*, canonici Ninivenses. Actum anno Domini MCCXLVII, mense Martio, apud Geraldimontem, in domo Alami.

Original, sceau en cire verte.

CCVI.

Godefroid, seigneur de Perwez et de Grimberghe, confirme la vente et l'échange de plusieurs terres à Ledeberghe, faits selon toutes les formalités de droit avec l'abbaye par Gautier des Pierres son vassal. — PAMELE.

1247.

Ego Godefridus, dominus de *Pirweis* et de Grimbergis, notum facio praesentibus et futuris, quod conventionem habita inter ecclesiam Ninivensem ex una parte, et Walterum de Lapidibus ex altera,

super annua pensione, nomine duarum praebendarum, ipsi et Clementiae uxori suae, quoad vixerint a dicta ecclesia cedenda; idem Walterus terras subnotatas partim pro dicta pensione, partim pro pecunia numerata, videlicet pro septuaginta libris Flandrensibus monetae et partim in concambium pro tribus bonariis terrae dictae ecclesiae, jacentis apud *Ledeberghe*, eidem ecclesiae assignavit et dare et deliberare eidem et eam ad legem patriae in earundem terrarum possessionem mittere repromisit. Inde est quod, cum praefatus Walterus a Willelmo domino de *Ledeberghe*, homine meo feodato, adhuc infra annos discretionis constituto circiter quinque bonaria, parum plus vel minus, terrae jacentis per partes tam in terra arabili quam in prato in parochia de Pamela teneret in feodum, et unum dietarium terrae jacentis in dicta parochia ab eodem Willelmo teneret jure haereditario, dictus Walterus de mea et Aliciae uxoris meae licentia et assensu, in praesentia hominum feodatorum dicti Willelmi et scabinorum villae de Pamela, tam praedicta quinque bonaria quam dietarium praelibatum in manus jam dicti Willelmi domini de *Ledeberghe*, et in manus Bernardi de Pamela militis, advocati sui, qui ei judicio hominum meorum datus est in mamburnum sive advocatum, assistentibus omnibus liberis suis et huic facto consensum suum expressa voce adhibentibus, ad opus ecclesiae Ninivensis reportavit et werpitionem debitam inde fecit dictis hominibus et scabinis, qui a dicto Willelmo per dictum Bernardum militem, advocatum suum, super hoc debito modo et more submoniti fuerant, judicantibus quod praefatus Walterus jam dicto Willelmo dictam terram libere et absque contradictione aliqua posset resignare et eam dare vel vendere cuilibet, et quod nec ipse nec aliquis liberorum vel propinquorum suorum, vel quisquam alius ex tunc quidquam juris in dicta haberent terra, et quod idem Willelmus per dictum Bernardum militem, advocatum suum, eandem terram libere posset conferre dictae ecclesiae Ninivensi. Igitur dictus Willelmus dictam terram sicut in manus suas fuerat reportata, et sicut eam in manu sua libere tenebat per manum dicti Bernardi militis, advocati sui, in manus venerabilis patris S., Dei patientia abbatis de Ninive, ad opus dictae ecclesiae Ninivensis contulit, jure haereditario perpetuo ab eo tenendam sub sensu viginti unius denariorum Bruxellensium, de quibus tredecim dicto Willelmo et octo memorato Waltero singulis annis ad festum sancti Bavonis debent solvi, et super dicta terra idem Willelmus per dictum B. militem advocatum suum contra omnes juri parere nolentes legitimam garantisiam repromisit, quotiescumque necesse fuerit, eidem ecclesiae a se et successoribus suis futuris temporibus in perpetuum exhibendam. Praefatus vero Walterus dicta tria bonaria terrae quae accepit in concambium ab ecclesia memorata in manus dicti Willelmi domini de *Ledeberghe* obtulit, et ea loco dictorum quinque bonariorum cum praenotato censu octo denariorum Bruxellensium de manu ejusdem in feodum recepit. Praeterea praelibatus Walterus de Lapidibus circiter quatuor bonaria parum plus vel minus terrae jacentis in dicta parochia de Pamela, quam haereditarie tenebat a Rasone de Capella et quam terram idem Raso a dicto Willelmo, domino de *Ledeberghe*, tenebat in feodum, in praesentia dictorum hominum et scabinorum, de voluntate et assensu dictorum liberorum suorum, ad opus dictae ecclesiae Ninivensis in manus jam dicti Rasonis reportavit et werpitionem debitam inde fecit, dictis hominibus et scabinis qui super hoc submoniti fuerant a dicto Willelmo per dictum Bernardum militem advocatum suum judicantibus, quod dictus Walterus libere et absolute dare vel vendere posset cuilibet dictam terram, et quod nec ipse nec aliquis liberorum vel propinquorum suorum, vel quisquam alius ex tunc aliquid juris in dicta terra haberent, et quod dictus Raso eandem terram libere posset conferre dictae ecclesiae Ninivensi. Itaque dominus Raso dictam terram sicut in manus suas fuerat collata et sicut eam libere in manu sua tenebat in manus dicti venerabilis patris S., Dei patientia abbatis de Ninive, ad opus dictae ecclesiae Ninivensis, contulit ab eo jure haereditario perpetuo possidendam, sub annuo censu octo denariorum Bruxellensium, in die sancti

Bavonis a dicta ecclesia eidem Rasoni solvendorum, et de hac terra similiter dictus Willelmus per dictum Bernardum militem, advocatum suum, dictae ecclesiae legitimam garandisiam repromisit, ad majorem etiam et plenioram securitatem dictae ecclesiae exhibendam, si super dictis terris contra dictam ecclesiam ab aliquo contigerit calumniam quoquomodo suscitari vel querelam, saepedictus Walterus contra hujusmodi querelantes quoscumque se opponere, et eandem ecclesiam super eisdem terris garandire quoad vixerit bona fide firmiter repromisit. Ut autem praescripta ecclesia dictas terras, prout superius sunt expressae, in perpetuum pacifice possideat et quiete praedictas collationes dictae ecclesiae factas et omnia quae superius sunt expressa, sicut rite et legitime cum debita solemnitate celebrata existunt, cum Alicia, uxore mea laudo et approbo, et rata et firma volo permanere, et ut omnia quae praemissa sunt in perpetuum rata et firma permaneant, scriptum praesens ad evitandam omnem scrupulositatem in testimonium quoque et munimen omnium praedictorum memoratae ecclesiae sigilli mei et sigilli Aliciae uxoris meae appensione, cum testium, qui praemissis interfuerunt, subnotatione contuli roboratum. Testes Sygerus, abbas Ninivensis; Ingelbertus, prior; Gossuinus, praepositus; frater Willelmus de *Hallert*, et frater Johannes de *Leschines*; Annekinus, castellanus; Raso de Capella et Willelmus *Morant*, homines feodati de *Ledeberghe*, qui super praemissis submoniti fuerant; Willelmus *Hantsultere*, Walterus Cardinalis, Henricus *Marcolf*, Henricus *Joye*, Henricus de la *Hort* et Walterus, maritus *Adelae*, scabini de *Pamela*, qui similiter submoniti fuerunt super praemissis. Actum anno gratiae MCCXLVII, mense Novembri.

Original, sceau détruit.

CCVII.

G. de Perwez donne à l'abbaye les droits qu'il a sur les hommes de condition servile, qui demeurent dans son domaine de Hallut, à l'exception du droit de meilleur catel. — ROUSLAER.

1247.

Universis paginam praesentem visuris, G. dominus de *Pirweis* et de *Grimberge*, nec non *Aelis*¹, uxor sua, noscere veritatem. Noverint universi quod nos contulimus in eleemosynam de mera voluntate nostra ecclesiae Ninivensi et sancto Cornelio patrono ejusdem loci, omnes servos et ancillas quos apud *Hallut*, sub dominio nostro per nos seu per nuntium nostrum ad praesens vel in posterum venire contigerit, ad manendum tam liberos et exemptos ab omni exactione nostra, quamdiu in dicto manebunt dominio, ut in nullo nobis deinceps teneantur obnoxii, retento nobis tamen a singulis de bonis ipsorum, dum eos de praesenti vitae medio decedere continget, catallo meliori. Praedicti

¹ Ailleurs *Alicia*.

vero servi et ancillae memoratae Ninivensi ecclesiae duos denarios de censu capitis sui et sex ad maritagium et duodecim ad mortem dare et solvere tenebuntur. Actum anno Domini MCCXLVII.

Cartulaire de Malines.

CCVIII.

Othon de Contrecuer donne à l'abbaye pour l'anniversaire de son épouse, trois parties de pré et les droits qu'il y exerçait, excepté celui de haute justice.

— LOETSH.

A Ninove, 1247.

Ego Osto, dominus de *Contercuer* et de *Allodio*, omnibus praesens scriptum visuris in perpetuum. Notum facio quod cum bonae memoriae *Johanna*, quondam uxor mea, agens in extremis, de mera voluntate mea, legitimo consensu meo mediante, ob salutem animae suae ad anniversarium obitus sui diem in ecclesia *Ninivensi* cum debita solemnitate perpetuo recolendam, eidem ecclesiae in Domino voluntate in puram et perpetuam eleemosynam legasset quadraginta solidos alborum singulis annis de redditibus nostris apud *Merbecam* perpetuo recipiendos; ego liberaliori in Domino caritate circa dictam ecclesiam motus, utilitate et commodo ipsius ecclesiae provida pietate pensatis, ob salutem animae dictae carissimae uxoris meae, ad dictum anniversarium obitus ejus diem in dicta ecclesia singulis annis perpetuo celebrandum, loco dictae collationis et assignationis dictorum quadraginta solidorum, contuli dictae ecclesiae in puram et perpetuam eleemosynam tria pratella sive tres picias prati jacentes in parochia de *Apeltren*, inter castellum de *Contercuer* et vicum de *Loetch*, et ad plenioris roboris firmitatem easdem picias prati cum omni jure, quod in eis habui, nihil juris omnino in eis mihi et successoribus meis, excepta alta justitia, de caetero reservans, resignavi in manus venerabilis patris *Sygeri*, abbatis *Ninivensis*, ad opus dictae ecclesiae, et per librum a me in manus dicti abbatis porrectum investivi eandem ecclesiam de dictis tribus picis prati jure haereditario in perpetuum, ad censum quatuor denariorum *flandrensium* mihi et successoribus meis annuatim ad natale Domini in die sancti *Stephani* solvendorum, a dicta ecclesia tenendis et libere possidendis in omni jure, terminis et omnibus aientis suis, in quibus easdem picias prati hactenus tenui, et prout saepedictae piciae prati de speciali mandato meo per specialem servientem meum *Ingelbertum* de *Haghe* ballivum meum et per scabinos et legem villae de *Apeltren* praedictae ecclesiae existunt assignatae et legitime limitatae. In cujus prati possessionem per dictum *Ingelbertum* et dictos scabinos, et legem dictae villae de *Apeltren*, dictam ecclesiam feci mitti dictis scabinis ad monitionem dicti *J.* judicantibus quod dicta ecclesia in possessionem dicti prati legitime esset missa, volens quod de fructibus ex dicto prato provenientes plenaria et sollemnis pietantia singulis annis in perpetuum in dicto anniversario die conventui dictae ecclesiae splendide procuretur. Ut autem dicta collatio et assignatio praedicti prati firma et stabilis in aevum permaneat, et ne dicta ecclesia super dicto prato

de caetero aliquatenus molestetur, de eodem prato dictae ecclesiae contra omnes ad legem et diem venire volentes perfectam et legitimam warandisiam repromisi, eidem ecclesiae a me et successoribus meis quotiescumque necesse fuerit perpetuis temporibus exhibendam in testimonium omnium praemissorum, et munimen praesens scriptum conferens dictae ecclesiae sigilli mei appensione roboratum. Actum in claustro Ninivensi super sepulcrum dictae uxoris meae, statim post corpus ejus terrae commendatum, in praesentia dicti venerabilis patris Sygeri. Signum abbatis Ninivensis; Gossuini, prioris; Onulphi, supprioris, et totius conventus ejusdem loci; in praesentia virorum nobilium Philippi, domini de *Boular*; domini Arnoldi de *Crainem*; domini Arnoldi de *Aa* et domini Sygeri, scolastici de *Merbecca*, et aliorum multorum clericorum et laicorum. Anno Domini MCCXLVIII, mense Septembri.

Original, sceau en cire verte.

 CCIX.

Érasme de Gavre certifie qu'il a vendu à l'abbaye une terre située à Yderghem, avec tous les droits qu'il y possédait. — NINOVE.

 1248.

Ego Razo, dominus de Lidekerka, omnibus hoc scriptum visuris in perpetuum. Notum facio, quod cum unam piciam terrae arabilis allodii mei, jacentis contra villam de *Iderghem*, in cultura quae vocatur *Hova*, bene et legitime ecclesiae Ninivensi vendidissem, recepta ab eadem ecclesia certa summa pecuniae numeratae, ego in praesentia hominum meorum feodatorum et aliorum bonorum virorum, de consensu Margaretae, uxoris meae, dictam terram sicut liberum allodium meum, prout jacet immediate juxta terram dictae ecclesiae et sicut eam hactenus tenui, integraliter cum omni jure quod in ea habui, in manus venerabilis patris Sygeri, abbatis Ninivensis, ad opus dictae ecclesiae contuli, jure allodiali ab eadem ecclesia in perpetuum libere possidendam. Ne autem dicta ecclesia super dicta terra aliquam de caetero patiatur molestiam, eandem terram dictae ecclesiae contra quoscumque volo conservare et plenam ejus perfectam garandisiam super eadem terra dictae ecclesiae repromitto, quotiescumque necesse fuerit, a me et successoribus meis eidem ecclesiae perpetuo exhibendam, in testimonio praemissorum et munimine praesens scriptum sigilli mei et sigilli dictae uxoris meae appensione cum testium subnotatione qui dictae collationi interfuerunt dictae ecclesiae conferens roboratum. Testes Sygerus, abbas; Leonius, magister de Lidekerka; Willelmus, parochialis de Lidekerka; Willelmus de *Haltert*, Johannes de *Walren*, Balduinus *Bech*, canonici Ninivenses; Arnulphus, miles, frater domini Rasonis de Lidekerca; Annekinus, castellanus; Rambertus, clericus; Walterus *Wolen*, homines mei feodati et alii. Actum anno Domini MCCXLVIII.

Cartulaire de Malines.

CCX.

Jean, sire de Schendelbeke, approuve la donation d'une rente d'une mesure d'avoine et de quatre chapons, faite à l'abbaye par Gilles de Rideva, pour les frais de son anniversaire. — LOETSH.

—
1248.

Ego Johannes, dominus de Scendelbeka, tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Noverint universi, quod Aegidius de Rideva, homo feodalis meus, ob salutem animae suae conventui Niniensis ecclesiae de mea voluntate et assensu in eleemosynam contulit unum modium avenae, cum rasiris mensurandum, et quatuor capones annuatim ad natale Domini, de censu cujusdam bonarii prati, parum plus vel minus, jacentis in *Dombruc* inter *Ydeughem* et *Lothe*, quem a me idem Ae. tenebat in feodum, totum videlicet tam avenam quam capones sine contradictione aliqua recipiendum; ita dumtaxat quod in eadem ecclesia anniversarius depositionis suae dies a praedicto conventu debito servitio annis singulis recolatur, et eadem die eidem conventui de censu praedicto pietantia in refectorio competens provideatur. Ut autem haec eleemosyna stabilis et firma in posterum perseveret, eandem tanquam dominus feodi confirmo, laudo et approbo, dictum feodum unde dicta collata fuit eleemosyna restituens nihilominus libertati, salvo tamen dominio meo, alta videlicet justitia, quam mihi in his omnibus teneor reservare. In cujus rei testimonium dicto conventui praesentem cartam tradidi, sigilli mei munimine roboratam. Actum anno Domini MGCXLVIII, mense Junio.

Original, sceau en cire brune.

CCXI.

Baudouin, surnommé Zorgenloose, bailli de la comtesse de Flandre au pays d'Alost, déclare que Gérard de Beveren a reconnu en sa présence et en celle d'autres témoins, qu'il n'avait aucun droit à la terre de Hollebeke, et qu'il renonçait à toute autre prétention contre l'abbaye. — ROSLAER.

—
A Denderhauthem, 1248.

Ego Balduinus, dictus *Zorgenlose*, ballivus dominae comitissae Flandriae in terra de *Alost*, universis praesentes litteras visuris. Notum facio, quod cum Gerardus de Beverna, abbatem et conven-

tum Ninivensem super terra de Holbeka, quam dicti abbas et conventus emerunt erga Aegidium de *Landenghem* militem, coram me et hominibus dominae comitissae feodatis apud *Alost* traxisset in causam, idem G. postmodum ad cor reversus coram me in praesentia viri venerabilis domini Henrici, decani de Geraldimonte et in praesentia domini Henrici Ratyr militis, Gossuini dicti Ratyr et Rasonis de *Erboudenghem*, hominum dominae comitissae feodatorum, voluntarie recognovit quod iniquam querelam movisset contra abbatem et conventum praedictos et omne jus, siquid habebat tam in dicta terra quam in aliis possessionibus ecclesiae Ninivensis quibuscumque, eidem ecclesiae spontanee remisit et quitum clamavit, nihilominus renuntians omni juri et actioni, si quod vel si qua sibi competeat contra dictam ecclesiam, ratione alicujus contractus vel conventionis habiti hactenus inter ipsum et ecclesiam memoratam. Hoc facto ad instantiam dictorum abbatis et conventus, ego ex officio meo super praemissis submonui dictos homines dominae comitissae, sciscitans ab eis utrum post praemissa aliquid juris dicto G. recognoscentur contra dictam ecclesiam. Qui inter se consilio et deliberatione habitis judicaverunt quod ex quo dictus G. omne jus, siquid undecumque habebat contra dictam ecclesiam, eidem ecclesiae remisit et quitam clamavit, dicta ecclesia in nullo ipsi G. teneretur, sed esset ab ipsius in petitione et calumnia libera penitus et absoluta. In cujus rei testimonium et munimen praesentes litteras sigilli mei appensione cum testium qui praedictis interfuerint subnotatione duxi roborandas. Testes Sigerus abbas, Philippus praepositus, frater Willelmus de *Haltert*, frater Henricus de Lovanio, canonici Ninivenses; Henricus de *Welle*, miles, Gerardus major de *Vorde*, Henricus Wiman de Ninive, Walterus de *la Vort*, Sigerus de *Houthem*, et alii quamplures. Ego etiam Henricus, decanus de Geraldimonte, in testimonium praemissorum coram me et in praesentia mea factorum, sigillum meum duxi praesentibus apponendum. Actum anno Domini MCCXLVIII, infra quadagesima apud *Houthem* Tenerae in atrio.

Original, sceaux en cire brune endommagés.

CCXII.

Érasme, sire de Liedekerke, cède tous les droits qu'il a encore sur une pièce de terre à Yderghem, qu'il a vendue à l'abbaye. — LIEDEKERKE.

1248.

Ego Raso, dominus de Liedekerke, omnibus hoc scriptum visuris in perpetuum. Notum facio, quod cum unam partem terrae arabilis allodii mei jacentis contra villam de *Yderghem*, in cultura quae vocatur *Hova* bene et legitime ecclesiae Ninivensi vendidissem, recepta ab eadem ecclesia certa summa pecuniae numeratae, ego in praesentia hominum meorum feodatorum et aliorum bonorum virorum, de consensu Margaretae uxoris meae, dictam terram sicut liberum allodium meum, prout jacet immediate juxta terram dictae ecclesiae, et sicut eam hactenus tenui integraliter cum

omni jure quae in ea habui in manus venerabilis patris Sygeri, abbatis Ninivensis, ad opus dictae ecclesiae contuli, jure allodiali ab eadem ecclesia in perpetuum libere possidendam. Ne autem dicta ecclesia super dicta terra aliquam de caetero patiatur molestiam, eandem terram dictae ecclesiae contra quoscumque volo conservare, et plenam et perfectam garandisiam super eadem terra dictae ecclesiae repromitto, quotiescumque necesse fuerit, a me et successoribus meis eidem ecclesiae perpetuo exhibendam. In testimonium praemissorum et munimen praesens scriptum sigilli mei et sigilli dictae uxoris meae appensione, cum testium subnotatione qui dictae collationi interfuerunt, dictae ecclesiae conferens roboratum. Testes Sygerus abbas, Leonius magister de Lidekerka; Willelmus, parochianus de Lidekerka, Willelmus de *Haltert*, Johannes de *Malren*, Balduinus *Beth*, canonici Ninivenses; Arnulphus miles, frater domini Rasonis de Lidekerca, Annekinus castellanus, Lambertus clericus, Walterus *Wolen*, homines mei feodati, et alii. Actum anno Domini MCCXLVIII, mense Decembri, in curte monachorum.

Original, sceaux pendants à doubles queues de parchemin.

CCXIII.

La comtesse Marguerite accorde à l'abbaye la possession héréditaire de certains biens que les moines détenaient sans raison, à charge d'anniversaires et d'une redevance annuelle de six deniers de blancs. — CALPH.

1249.

Ego Margareta Flandriae et Hainoniae comitissa, notum facio praesentibus et futuris, quod ad voluntatem meam, a me inspectis et examinatis diligentius chartis, ecclesiae Ninivensi super bonis et possessionibus suis apud locum, qui dicitur *Calph*, a praedecessoribus meis eidem ecclesiae intuitu pietatis concessis, et eisdem chartis existentibus bonis et veracibus nec in aliqua sui parte vitiat, inventa est dicta ecclesia a nuntiis et servientibus meis apud dictum locum, prout eis videbatur, extra limites et mensuras expressas in dictis chartis tenuisse et tenere circiter quinquaginta bonaria, parum plus vel minus, tam mori quam terrae. Unde piis praedecessorum meorum vestigiis inhaerens, ad hoc quod anniversarius obitus mei dies et felicitis memoriae Balduini comitis patris mei, Mariae matris meae et Johannaе sororis meae, in dicta ecclesia cum debita solemnitate perpetuis temporibus celebretur, permisi et concessi praefatae ecclesiae dictum morum et terram, extra dictos limites et mensuram sic inventam, de caetero jure haereditario possidere, sub annuo concessu sex denariorum alborum de quolibet bonario mihi et successoribus meis perpetuo solvendorum. In cujus rei testimonium, confirmationem et munimen tradidi dictae ecclesiae praesens scriptum, sigilli mei appensione roboratum. Actum anno gratiae MCCXLIX.

Cartulaire de Malines.

CCXIV.

Godefroid, sire de Grimberghe et de Perwez, approuve et ratifie l'accord fait entre l'abbaye et le chevalier Gilles de Landerghem, touchant la chapellenie de Ledeborghe, d'après le conseil des arbitres. — PAMELE.

—
1249.

Ego Godefridus, dominus de Grimberges et de *Pyreweis*, universis praesentes litteras visuris. Notum facio, quod cum abbas et conventus de Ninive ex una parte, et Aegidius de *Landerghem*, miles, ex altera, super capellania de Ledeborga, unde idem Ae. pro Willelmo, domino de Ledeborga, cujus est tutor, querelam movit coram me contra ecclesiam Ninivensem, in viros discretos videlicet dominum Danielem, abbatem Grimbergensem, fratrem Gossuinum de *Elluite*, praepositum ejusdem loci, et Bernardum militem, fratrem dicti Ae., tanquam in arbitros compromiserint, et iidem arbitri dictum suum arbitrale rite protulerint. Ego, propter bonum pacis, dictam compromissionem et sententiam a praedictis arbitris latam inter dictas partes, prout in litteris dictorum arbitrorum super hoc confectis plenius continetur, laudo, ratam habeo et acceptam. In cujus rei testimonium et munimen praesentes litteras sigillo meo duxi consignandas. Datum anno Domini MCCXLIX, mense Februario.

Original, sceau en cire verte.

CCXV.

N., évêque de Cambrai, approuve et confirme la collation de la chapellenie de Ledeborghe, faite à l'abbaye par Gilles, seigneur de Ledeborghe. — PAMELE.

—
1249.

N., Dei gratia Cameracensis episcopus, universis praesentes litteras visuris salutem in Domino. Noverint universi, quod cum Aegidius, dominus de Ledeborghe, agens in extremis, capellaniam de Ledeborghe et omne jus quod habebat vel habere videbatur in ea vel in ejus collatione, quam capellaniam pater suus bonae memoriae Willelmus, miles, dominus de Ledeborghe, de bonis suis instituit et de parte quam possidebat in decima parochiae de Pamella, fundavit, pie et misericorditer ecclesiae Ninivensi contulerit, ita quod aliquis fratrum de conventu Ninivensi semper dictam capellaniam deserviret, et fructus exinde provenientes, seu de quibus dicta capellania fundata exstitit,

in emendationem praebendae dicti conventus deberent converti, sicut vobis per inquisitionem ad mandatum reverendi patris domini Gerardi, praedecessoris nostri, a viris religiosi et discretis priore et subpriore Haffligemensibus super praemissis factam, vobis constitit evidenter, et dilecti nostri abbas et conventus Ninivensis vobis supplicaverint ut praedictam collationem eis factam approbare dignaremur et etiam confirmare; tandem nos, habito super praemissis proborum virorum et juris peritorum consilio, dictam collationem eisdem abbati et conventui factam approbamus, et etiam auctoritate nostra confirmamus. In cujus rei testimonium praesentes litteras abbati et conventui praedictis sigillo nostro tradimus roboratas. Datum anno Domini MCCXLIX, mense Maio.

Original, sceau en cire brune.

CCXVI.

Les doyens de Hal, de Houthem et de Grammont, et tout le chapitre de Haeltert¹, déclarent que Sohier, écolâtre de Meerbeke, a fondé deux chapellenies, l'une à Ninove et l'autre à Meerbeke; ils indiquent les biens qu'il a assignés à leur entretien. — WOLPUT.

1249.

Universis praesentem paginam inspecturis, Nicholaus de *Hal*, Willelmus de *Houthem*, Henricus de Geraldimonte, decani, et totum capitulum Haltrensis ecclesiae, aeternam in Domino salutem. Quoniam omnia sunt hominum tenui pendentia filo, et subito casu quae valere ruunt², et qui non est hodie cras minus aptus erit, hinc est cur dominus Sygerus, scolasticus ecclesiae Merbeccensis, de proborum virorum consilio, subitum casum volens matura et provida rerum suarum ordinatione praevenire animaeque suae saluti salubriter praecavere, de bonis suis ad laudem et honorem Dei duas capellanas fundavit, unam in ecclesia conventuali Ninivensi, in honore Sancti Spiritus, et aliam in ecclesia Merbeccensi, in honore sanctae et intemeratae Virginis Mariae, quibus capellaniis bona subnotata assignavit. Ad opus capellaniae Sancti Spiritus assignavit domino abbati ecclesiae Ninivensis praedictae et ejusdem loci conventui annum censum, in quo tenentur eidem domino S., dictus dominus abbas et ejus conventus de uno bonario terrae; videlicet unum modium avenae et quatuor aucas

¹ Transféré à Alost en 1495.

² Ces doyens citent ici trois vers :

Omina sunt hominum tenui pendentia filo,

Et subito casu quae valere ruunt.

Qui non est hodie cras minus aptus erit.

et totidem gallinas; assignavit etiam eisdem vivarium suum cum omnibus appenditiis, quod quondam fuit Brantini, fratris sui; assignavit etiam eisdem quoddam pratum quod vulgariter *Vronemersch* appellatur, continens ad mensuram circiter quinque bonaria et decem et septem virgas; assignavit etiam eisdem quinque bonaria terrae arabilis et dimidium, quae jacet circum circa praedictum vivarium, a porta ejusdem domini S. usque ad vivarium, et ex altera parte vivarii versus locum qui dicitur *Dorneth*, et super haec quinque bonaria et dimidium contulit in eleemosynam Sophiae, sorori suae de *Anderlecht*, quadraginta libras alborum, liberis Ermengardis et uxori Gerini de Tilia viginti libras monetae praedictae; et hanc pecuniae summam debent dominus abbas et conventus Ninivensis persolvere eisdem, et dictus dominus abbas et ejus conventus ad aliquod altare constructum in honore Sancti Spiritus in ecclesia sua facient deservire capellaniam praedictam. Saepedictus vero dominus Sygerus assignavit capellaniae beatae Virginis in ecclesia Merbeccensi mansum suum cum universis aedificiis prope ecclesiam, duos solidos et duas gallinas; in quibus tenetur eidem Heiluidis annuatim de manso, in quo manet, duas aucas, de vicino domistadio praedicto manso ad mansum custodis duodecim denarios et duas gallinas; assignavit etiam ad servitium dictae capellaniae pasturam ad duas vaccas per circuitum cujusdam prati, quod vulgariter *Priestermersch* appellatur; ad Walterum de *Poleke* quinque sextaria avenae conferta ad mensuram de Leniaco ¹, et quatuor gallinas; assignavit etiam dictae capellaniae tria bonaria pasturae jacentis ultra rivum qui *Hunsbeke* ² appellatur ad Walterum, prope eundem locum de duobus bonariis octo aucas et totidem gallinas et duos modios avenae ad mensuram de Leniaco ³ confertam. Capellanus vero dictam capellaniam deserviens horis tenebitur interesse canonicis in ecclesia Merbeccensi, et in eadem ecclesia sicut capellanus ministrans in capella B. Petri villae praedictae in perpetuum servire. Et haec omnia contulit dictus dominus S. tam dicto abbati et ejus conventui quam ecclesiae Merbeccensi, ad opus dictarum capellaniarum, tam pacifice quam integraliter in perpetuum, libere et absolute possidenda, et omnia superius assignata ad capellaniam de Ninive in manus fratris Gossuini, prioris ejusdem loci resignavit. Omnia vero praemissa assignata ad capellaniam de Merbecca in manus Henrici, capellani ejusdem loci, et Adae de *Lifreghem* ⁴ presbyteri, libere et absolute resignavit in praesentia fratris Philippi, praepositi Ninivensis; fratris Onulphi, superioris; fratris Michaëlis de *Haltreth* ⁵; fratris Henrici, cellerarii; fratris Walteri, cantoris; fratris Willelmi de *Haltreth*; fratris Johannis de Gandavo; fratris Thomae de *Steynkerke* ⁶ et aliorum, quos omnes tam dictus S. quam dictus prior, necnon et capellanus praedictus et de *Lifreghem*, presbyter, in testes vocaverunt. Et licet dictus dominus S. ad cautelam de bonis suis sic ordinaverit, nihilominus retinuit sibi liberam potestatem ad dictam ordinationem addendi, et usum fructum quamdiu vixerit in eisdem percipiendi ⁷. In cujus rei testimonium saepedictus scolasticus praesentem paginam, veritatem facti sui continentem, humiliter et devote a nobis petiit cum sigilli sui et ecclesiae suae Merbeccensis, necnon et domini abbatis Ninivensis et ejusdem loci conventus sigillorum, nostrorumque sigillorum munimine roborari. Actum anno gratiae MCCXLIX, mense Maio.

Observation. — Il existe trois expéditions originales de cette charte aux archives provinciales à Gand; l'une d'elles présente les variantes désignées en notes. — La première expédition n'a plus de sceaux, la seconde et la troisième en ont encore quatre.

¹ Lyniaco. | ² Honsbeke. | ³ Lenyacho. | ⁴ Lyeffreghem. | ⁵ Halterth. | ⁶ Stopkerka. | ⁷ Recipiendi.

CCXVII.

Sentence arbitrale de Daniel, abbé de Grimberghe, de Gossuin, prévôt de la même abbaye, et du chevalier Bernard de Landerghem, qui adjuge à l'abbaye de Ninove la chapellenie de Ledeborghe. — PAMELE.

Dans l'abbaye de Grimberghe, 1249.

Universis Christi fidelibus praesens scriptum visuris, Daniel, Dei gratia abbas Grimbergensis, Gosuinus de *Elewite*, ejusdem loci praepositus, et Bernardus, miles de *Landerghem*, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium notum facimus quod cum Aegidius, miles de *Landerghem*, pro Willelmo puero, domino de *Ledeberga*, cui idem Aegidius datus fuit in tutorem et mamburnum. iudicio hominum feudatorum viri nobilis, G. domni de *Pereweis*, contra abbatem et conventum Ninivensem movisset querelam coram dicto Domino G., super collatione capellaniae de *Ledeberga* ab Aegidio tunc domino de *Ledeberga*, patre dicti W. pueri, agente in extremis, facta ecclesiae Ninivensi, tandem de bonorum virorum consilio et de consensu et voluntate Petri, clerici praedicti viri nobilis domini de *Pereweis*, quem ad hoc idem dominus loco sui specialiter deputaverat, eidem conferens potestatem per litteras suas omnia et singula faciendi quae ipse fecisset vel facere potuisset, si fuisset praesens, praedictae partes coram dictis hominibus feudatis in nos, tanquam in arbitros voluntarie compromiserunt, sub hac forma, quod quidquid nos, auditis et intellectis rationibus utriusque partis hinc inde propositis, inter dictas partes pronuntiarem arbitrando, hoc in omnibus inviolabiliter observarent, sub periculo querelae perditae et sub poena sexaginta librarum Lovaniensium, partim dicto viro nobili, partim arbitrium nostrum observanti, a parte resiliente ab arbitrio reddendarum. Nos vero, ad petitionem dicti P. clerici et dictarum partium proborumque virorum suscepto in nos onere arbitrandi, auditis rationibus hinc inde propositis, arbitrarie concorditer pronuntiavimus quod nos intelleximus quod Aegidius, pater dicti Willelmi pueri domini de *Ledeberga*, agens in extremis et compos mentis suae, capellaniam de *Ledeberga* et omne jus quod habebat vel habere videbatur in ea vel in ejus collatione, contulit ecclesiae Ninivensi, nihil juris sibi vel successoribus suis in ea de caetero reservando, ac per hoc diximus omnem controversiam a dicto Aegidio de *Landerghem* milite, pro dicto Willelmo puero domino de *Ledeberga*, contra dictam ecclesiam de *Ninive* super collatione dictae capellaniae motam, vel deinceps occasione dicti W. pueri vel ab ipso Willelmo movendam, penitus esse sopitam, et dictam ecclesiam praedicta capellania ad plenum in posterum debere gaudere. Ne autem super praemissis aliquis in posterum dubitationis scrupulus oriatur, in testimonium praemissorum et munimen, nos abbas et Bernardus miles, sigillis nostris et ego Gosuinus sigillo prioris de *Grimbergis* praesens scriptum cum subnotatione testium qui interfuerunt duximus roborandum. Testes Sigerus, abbas Ninivensis, Willelmus praepositus, Aegidius, quondam abbas Helencinensis, Henricus, cellerarius, Henricus de *Lovanio*, canonici *Ninivenses*; Gilbertus, prior, Amelricus, custos, canonici *Grimbergenses*; Johannes de *Landerghem*, miles, Sigerus de *Castro* et Paridanus de *Strombeke*, homines domini de *Pereweis* feudati; Johannes *Hundekin* et *Bauchon* et alii quamplures. Actum apud *Grimbergis*, in hospicio abbatiae, in vigilia circumcisionis Domini, anno Domini MCCXLIX.

Original, sceau en cire verte.

CCXVIII.

Simon, abbé de Tronchiennes, décide comme arbitre que la dîme d'un pré, situé dans la paroisse de Strypen, appartiendra par moitié aux abbayes de Mont-St-Martin et de Ninove. — BOUCHOUT.

A Bouchout, 1240.

Universis praesentes litteras inspecturis, Symon, Dei patientia abbas Trunciensis, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentis duximus intimandum quod, cum inter ecclesiam Montis S. Martini ex una parte, et ecclesiam Ninivensem ex altera, super decima cujusdam prati siti infra limites parochiae de *Stripes* supra Zualmam, quaestionis materia fuisset exorta, et eadem quaestio nobis auctoritate venerandi patris Johannis, Dei patientia Praemonstratensis abbatis, commissa fuisset audienda, tandem dicta ecclesia Montis S. Martini et ecclesia Ninivensis praedicta, ad parcendum partium laboribus et expensis per procuratores ad hoc habentes mandatum speciale in nos compromiserunt, promittentes, sub poena decem librarum Flandriae, parti observanti arbitrium sive dictum nostrum a parte resiliente reddendarum, quod quidquid super dicta causa ordinaremus dictae ecclesiae inviolabiliter observarent. Nos igitur, habito consilio, dictum sive arbitrium nostrum protulimus in hunc modum: quod quicumque et a quocumque de caetero dictum pratum cultum fuerit, sive ab ecclesia Ninivensi, sive ab alio quocumque fuerit, ecclesia Montis S. Martini medietatem decimae prati praedicti integraliter recipiet, et aliam medietatem ecclesia Ninivensis antea dicta. In cuius rei memoriam has litteras sigilli nostri appensione duximus roborandas. Actum anno Domini MCCL, feria secunda post nativitatem beati Johannis Baptistae, in curia de *Bochout*.

Cartulaire de Malines.

CCXIX.

Nicolas, évêque de Cambrai, approuve et confirme la fondation d'une chapellenie à Rideve. — PANELE.

1251.

Nicolaus, Dei gratia Cameracensis episcopus, universis praesentes litteras visuris salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod cum dominus Aegidius miles, dictus de Rideva, ob sui

suorumque salutem de propriis redditibus et possessionibus suis, usque ad valorem quindecim librarum alborum annuatim, in curia sua apud *Rideve* infra parochiam de Pamella, de consensu abbatis et conventus Ninivensis, qui sunt persona loci, capellaniam instituerit, tali intentione ac voluntate, sicut nobis insinuavit, quod abbas et conventus praedicti ad preces et praesentationem dicti militis, quoad vixerit, dictam capellaniam alicui idoneo conferant capellano, vel per canonicum suum, de consensu ejusdem militis, deserviant eandem; post mortem vero ipsius militis, dicti abbas et conventus pro liberae voluntatis suae arbitrio per aliquem de canonicis suis sive per aliquem idoneum capellanum vel vicarium secularem dictam capellaniam in dicto loco perpetuo faciant deservire, et praefati dilecti filii nostri abbas et conventus ex una parte et dictus Ae. miles ex altera nobis humiliter supplicaverunt, quatinus dictam capellaniam dignaremur approbare pariter et confirmare. Nos pia et devota in Domino voluntate cupientes in locis pastoralis curae nostrae commissis divini cultus obsequia et coelestis laudis organa ampliari, ut dilatato territorii sui loco famulos suos faciant longiores, ad devotam dictorum abbatis et conventus et dicti Ae. miles petitionem, dictam capellaniam et ejus institutionem, prout superius est expressum, salvo tamen in omnibus jure matricis ecclesiae de Pamella, praedictae approbamus, et auctoritate nostra dioecesis confirmamus; volentes quod si aliquis canonicus de Ninive ibidem instituat tanquam capellanus secularis, nobis in omnibus obediat et mandata nostra exequi teneatur. In cujus rei testimonium praesentes litteras sigilli nostri appensione duximus roborandas. Datum anno Domini MCCLI, mense Julio.

Original, sceau détruit.

CCXX.

Pierre, cardinal et légat du saint siège, exempte l'abbaye de quelques vexations au sujet de pensions ou de bénéfices accordés par lui. — NINOVE.

A Anvers, 1254.

Petrus, miseratione divina sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis, apostolicae sedis legatus, dilectis in Christo abbati et conventui monasterii Ninivensis, ordinis Praemonstratensis, Cameracensis dioecesis, salutem in Domino. Devotionis vestrae precibus inclinati, praesentium auctoritate concedimus, ut ad provisionem alicujus in pensionibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis per litteras nostras impetratas, per quas non sit jus alicui acquisitum vel etiam impetrandas quae de hac concessione plenam et expressam, seu de verbo ad verbum, non fecerint mentionem, compelli minime valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Antwerpiae, sexto nonas Octobris, anno Domini MCCLIV.

Original, fragment de sceau en cire brune.

CCXXI.

Le chapitre de Meerbeke atteste qu'un échange de terres a eu lieu entre l'abbaye et les frères de Scalchem, aux conditions exprimées dans la charte.

— WOLPUTE.

A Meerbeke, 1254.

Universis praesentem paginam inspecturis, canonicorum de Meerbeka capitulum universum salutem in omnium Salvatore. Universitati vestrae praesentibus innotescat, quod conventus ecclesiae Ninivensis, commodo mutuae utilitatis pensato, in nostra praesentia et aliorum voluntate unanimi et consensu, Johanni et Willelmo, fratribus, dictis de *Scalchem*, dederunt in concambium duo bonaria terrae arabilis, parum plus vel minus, jacentis partim juxta mansum ejusdem conventus apud *Scalchem* et partim juxta viam regiam, quae ducit de Winti ad Merbeccam, versus molendinum ventosum de Winti, pro quinque dietariis et viginti virgis prati vel eo circiter, jacentis juxta pratum dictae ecclesiae Ninivensis, quod dicitur *Stridmersch*; quod pratum dicti fratres Johannes et Willelmus eidem conventui pro dicta terra coram scabinis de Merbecca, et aliis testibus fide dignis inferius subnotatis, ad hoc in testimonium a dictis partibus evocatis iudicio dictorum scabinorum legitime et secundum ritum et legem patriae contulerunt jure haereditario possidendum. Recepta a dicto conventu modo simili dicta terra, siquidem adhibitis hinc inde super praelibatis omnibus adhibendis, dicti fratres Johannes et Willelmus ad hoc se ipsos conditionis nomine obligarunt, quod semitam illam quae dicitur *Manpat*, dirigentem ad aquam rivi juxta mansum praedictum currentis de manso praedicto dicti conventus per dictam terram dicto manso contiguam in concambio sic mutatam, quotiescumque et in quibuscumque necessitatem habuerint conventus memoratus seu mansionarii, qui ex parte ipsius ibidem moram fecerint, dicto conventui vel suis, ut dictum est superius, exhibebunt. Viam etiam per dictam terram dicto manso contiguam adeo latam, quod currus possit per eam commode pertransire, quotiescumque agricolae dicti conventus reliquam terram quam ibidem obtinet idem conventus firmare vel alio modo meliorare voluerint, dicti fratres Johannes et Willelmus, dum tamen eadem terra ipsorum terraneis fructibus et non serotinis onusta non fuerit, dicto conventui vel suis deliberare, ut dictum est, absque ulla calumnia tenebuntur, hoc nihilominus attentius proviso, quod dicti fratres Johannes et Willelmus dictam terram per concambium acquisitam sulcis eisdem et sementis vel similibus extollere debebunt, quibus a dicto conventu vel suis hactenus est exulta, nec aliquam aliam formam colendi dictam terram sibi assument dicti fratres quae meliorationem terrae dictus conventus praelibati, sicut dictum est, retardare valeat vel aliquatenus impedire. Ut autem haec firma et inconvulsa in posterum perseverent, ad preces partium praedictorum, quae in nostra praesentia acta fuerunt universa, sigillo capituli nostri munivimus praesens scriptum. Testes Sygerus, scolasticus, et Johannes de Volenbeka; Willelmus, plebanus, Henricus, capellanus, canonici de Merbecca; Walterus, villicus abbatissae, dictus *Storm*; Walterus de Monte, Arnulphus *Wenne*, Walterus *Wert*, Sygerus *Spikerman*, Gerardus *Rivecoman*, David de Ponte, scabini dictae villae; Raso de *Rost*; Willelmus de Volenbeka. Actum apud Merbeka in atrio, anno Domini MCCLIV, mense Aprili.

Original, sceau enlevé.

CCXXII.

L'abbesse de Marquette accepte la sentence arbitrale de l'abbé de Vaucelles et d'un frère convers de Baudeloo, qui rend à l'abbaye dix bonniers de terres incultes à Calph. — CALPH.

A Calph, 1255.

Universis praesentes litteras inspecturis, abbatissa et conventus de Marketa salutem et rei gestae cognoscere veritatem. Noverit universitas vestra, quod cum viri religiosi abbas et conventus Ninivensis, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, traxissent nos in causam et petissent a nobis tredecim bonaria wastinae praeter centum virgas jacentia prope curtem eorum, quae dicitur *Calf*, extendentia se in longum usque ad terminum qui dicitur *Stemwort*, versus occidentem, quae bonaria eo tempore, ut dicebant dicti abbas et conventus, nos detinuimus minus juste. Tandem sano usi consilio tam nos quam pars adversa in duos viros, videlicet in virum venerabilem dominum Willelmum, abbatem de Vacellis, et fratrem Willelmum conversum de Bodelo, tanquam in arbitros compromisimus, qui dictam causam fine debito terminarent; arbitrium quoque poena centum marcarum parisiensium vallavimus, cujus medietas domino terrae et alia medietas parti observanti arbitrium a parte resiliente ab arbitrio solvetur. Dicti vero viri, suscepto in se onere arbitrandi, tandem deliberatione praehabita, dictisque causae hinc inde diligenter auditis, die statuto in praesentia partium arbitrium suum protulerunt in hunc modum: videlicet quod ecclesia Ninivensis de dictis tredecim bonariis wastinae praeter centum virgas haberet decem bonaria et duas mensuras wastinae, ab occidentali parte wastinae ejusdem ac perpetuo libere possideret. Nos vero residuum wastinae ab occidentali parte haberemus, ac de caetero libere possideremus, et per hoc omnes querelae inter nos et partem adversam motae, vel quae occasione dictae controversiae moveri poterant, forent emortuae ac sopitae, hoc adjecto quod neutra ecclesia hospites in dicta terra domicilia habentes, et etiam successores eorum posset aliquatenus amovere, sed unaquaeque pro rata terrarum se contingente, censum suum perciperet annuatim. Nos igitur pro parte nostra dictum arbitrium acceptantes, praesentem cartam sigillo nostro duximus roborandum. Actum ad terram de qua lis erat, anno Domini MCCLV, in die animarum.

Cartulaire de Malines.

CCXXIII.

La sœur Ida, mère, les frères et sœurs de l'hôpital St-Jean, à Bruxelles, laissent à l'abbaye la dîme d'un pré que leur maison possède à Ninove. — NINOVE.

1255.

Universis praesentes litteras visuris, soror Ida, magistra, fratres et sorores hospitalis S. Johannis in Bruxella, salutem in Domino sempiternam. Universitati vestrae praesentibus innotescat,

TOM. II.

115

quod cum ecclesia Ninivensis nos traxisset in causam coram officiali Cameracensi super detentione decimae cujusdam prati sui infra limites parochialis ecclesiae Ninivensis, quae assignamenti nomine possidemus, nos omnem litis occasionem inter nos amputare volentes, de prudentum virorum consilio, pro bono pacis omnino liti cedimus supradictae, promittentes bona fide quod non impediamus, quominus ecclesia Ninivensis percipiet et habeat decimas dicti prati, quamdiu erimus in possessione dicti prati fructus percipiendi, praecipue cum prata circumjacentia infra limites dictae parochialis ecclesiae Ninivensis sint decimalia et solvant decimas parochiali ecclesiae memoratae; nos etiam de decimis ex dicto prato perceptis et retentis eidem ecclesiae satisfacimus competenter. In cujus rei testimonium praesentes litteras eidem ecclesiae contulimus roboratas tam nostro sigillo quam sigillorum virorum venerabilium: Aegidii de Brugis, praepositi S. Petri Duacensis, et magistri Thomae de Maghlinia, canonici Cameracensis, auctoritate episcopi, provisoris domus nostrae. Datum anno Domini MCCLV.

Cartulaire de Malines.

CCXXIV.

*Les échevins de Velsicque déclarent que l'abbaye a acheté la ferme d'Arnoul
De Smet à Bochout. — Воснот.*

A Velsicque, 1257.

T., allen den ghenen die deze letteren selen sien, de lantscepenen van Velseke, God houden in unsen here. Wi maken vercondegh dat dabt en convent van Ninivé hebben gecocht terwet eene hofstat met allen, gheleghen te Bochoute boven hare hof, ane de strate, jeghen Hugen ende Segeren, dewelke hofstat de vorgheseiden Huge ende Seghere hadden ghecocht terwet jeghen Arnoude De Smet van Bochoute. Ende ombe dat Arnout De Smet hadde en wif doe hi dat goet biaghede ane den here van Gavera, van der welker hi hevet en kint, dat na de wet es sculdech te delene ane dat goet bi dien dat si porteren waren, doe si dat goet biagheden, ende dat kint niet nes comen te sinen jaren, soe dat het dis goets mach worpen ter wet, soe hevet de vorgheseide Huge ende Seghere sin gheselle vor ons gheset den abt ende den convente en halph bunre lands, dat leght in Lettellen-Drisch, quite ende vri van alre bewisenessen ende van alre calangen, ocht dat zake ware dat de vorgheseide Hughe ende Seghere niet en brachten Arnouts kint te wetteleke worpinghene van dien goede, binnen eenen jare na dat kint veriart ware, dat dabt endet convent van dien halibunre lants mochten doen hare vrome als met andren haren goede tote derwilen dat si dat kind brachten ter wettelleker worpinghen alsoe alsi hebben ghelovet; ware oec dat sake dat kint storve ier het quame te wetteleker worpinghen, soe mochte Hughe ende Seghere van din halibunre lants dat dien van Ninive es bewist haren wille doen, alsi daden ier siit bewisden dien van Ninive. Ende ombe dat deze vorwarde vastblive ende ghestade, soe hebbe wi dese letteren ghegheven den abt van Ninive en den

convente, gheselt met onsent seghele. Dese vorwarde was ghemact vor ons ende vor vele goder lide te Velseke, 's donderdags vor de gheborde sant Jans Baptisch, int jar na de Incarnatie Ons Heren MCCLVII.

Cartulaire de Malines.

CCXXV.

Othon de Contrecuer et son fils donnent au couvent, à charge d'une redevance annuelle de deux deniers de Flandre, un moulin à vent situé à Apelterre.

— LOETSH.

1257.

Universis praesentes litteras visuris. Osto miles, dominus de *Contrecuer*, et Osto, ejus filius, salutem in Domino. Noveritis quod nos unanimi consensu pariter et assensu viris religiosi abbati et conventui Niivensibus molendini stadium ad ventum in villa nostra de *Apelterre* contulimus pro duobus denariis flandrensibus, nobis seu nostris ad natale Domini annuatim solvendis, in perpetuum libere et absolute jure haereditario possidendum, et quod nos eisdem concessimus et dedimus talem libertatem quod omnes manentes infra dominium sive advocatiam villarum nostrarum de *Apelterre* et de *Eighem* molere tenebuntur apud *Loetsh* ad molendina tam aquae quam venti praedictorum abbatis et conventus, et nos seu posteri nostri ipsos manentes compellere non poterimus, ut ad molendum alibi se transferantur, nec aliis quibuscumque de caetero poterimus talem concedere libertatem. Immo volumus et decernimus quod praemissa a nobis et posteris nostris in ipsis perpetuum inviolabiliter observentur. In cujus rei testimonium, ego Osto miles praesentes litteras sigillo meo roboravi, ego vero Osto filius, qui proprium non habeo sigillum, sub sigillo patris mei, militis praedicti, me comprehendo. Acta fuerunt haec in praesentia hominum nostrorum *Rasonis del Roest*, Davidis clerici, et magistri *Aegidii*, et aliorum quamplurium proborum virorum. Datum anno Domini MCCLVII, in crastino nativitatis beatae Virginis.

Original, sceau perdu.

CCXXVI.

Vidimus du testament d'Othon de Trasegnies, surnommé l'Oncle, donné par Guillaume, archidiaque de Cambrai pour le Brabant. — WOLPUTE.

1258.

Universis praesentes litteras inspecturis, *Willelmus*, archidiaconus Cameracensis in Brabantia, salutem in Domino. Universitati vestrae tenore praesentium significamus quod nos inspeximus tes-

tamentum viri venerabilis domini Ostonis de *Trasegnies*, dicti Avunculi, diligenter ordinatum et sigillatum sigillis venerabilium virorum domini Walteri; quondam decani de *Hal* et magistri Wilhelmi, quondam presbyteri parochialis de *Herines*, in haec verba: *Universis praesentes litteras inspecturis, W., decanus de Hal, et magister W., presbyter parochialis de Herines, salutem in Domino. Noverit, etc.* (voir la pièce marquée n° CLXIII). *Actum apud Wedergrete, anno Domini MCCXIII, in die beati Clementis.* In cujus rei testimonium et munimen praesentes litteras sigillo nostro necnon et sigillis venerabilium virorum, videlicet Johannis dicti Canis, canonici Magliniensis, officialis foranei domini Cameracensis, domini Nicholai, decani de *Hal*, et domini Johannis, decani de *Houthem*, qui praesentes litteras sicut et nos plenius inspexerunt, duximus roborandas. Datum anno Domini MCCLVIII, feria tertia post *Oculi*.

Original, sceaux en cire brune.

CCXXVII.

Jean, abbé de Prémontré, décide un procès pendant entre les abbayes de Ninove et de Bonne-Espérance, en accordant à celle-ci la dîme des terres en litige, situées à Seneffe. — REINIRSART.

1258.

J., Dei patientia abbas Praemonstratensis, universis praesentes litteras visuris, cognoscere veritatem. Noverit universitas vestra, quod cum inter ecclesiam Ninivensem ex una parte, et ecclesiam Bonae-Spei ex altera, quaestio verteretur super decima circiter quatuordecim vel quindecim bonariorum terrae novorum sartorum, in parochia de Seneffia consistentium, pertinentium ad ecclesiam Ninivensem, tandem de communi consensu Ninivensis et Bonae-Spei abbatum et conventuum eorumdem, in hoc convenerunt, quod ecclesia Ninivensis solvet dictae ecclesiae Bonae-Spei annuatim, nomine decimae dictorum sartorum, ratione juris parochialis ecclesiae de Seneffia, pertinentis ad ecclesiam Bonae-Spei, sex modios medietati bladi et medietati avenae, ejus bladi qui creverit in dicta terra, avenae ad mensuram nivellensem inter festum beati Remigii et sequentem proximo Domini nativitatem, quamdiu laici coloni excolunt dicta sarta et non amplius. Quod si dicta quatuordecim vel quindecim bonaria terrae legitime mensurata plus continent vel minus quam dictum est, dicta sarta plus vel minus solvere tenentur, ecclesia Ninivensis pro decima dictis Bonae-Spei, secundum quod plus vel minus de terra sartata contingeret inveniri, et nos dictae compositioni ad petitionem dictarum partium nostrum praebuimus assensum, dictam compositionem scriptam et sigillo nostro roboratam utrique parti in testimonium et confirmationem concedentes. Actum anno Domini MCCLVIII, feria sexta ante festum Barnabae, apostoli, in ecclesia S. Foillani.

Original, sceau perdu.

CCXXVIII.

Gilles, seigneur d'Arkene, donne à l'abbaye, comme seigneur du fief, dix-huit bonniers de terre à Arkene, que les propriétaires tenanciers ont vendus au couvent. — REINIRSART.

—
1250.

Ego Aegidius miles, dominus de *Arkene*, notum facio tam praesentibus quam futuris in perpetuum, quod cum viri venerabiles, abbas et conventus ecclesiae Ninivensis, decem et octo bonaria terrae arabilis, parum plus vel minus, ad mensuram nivellensem, sita in territorio de *Arkene*, erga virum nobilem Sygerum, militem de *Arkene*, et Drogonem, consanguineum dicti Sygeri militis, adquisierint justo titulo emptionis pro certa summa pecuniae numeratae, solutae dicto Sygero, militi, et dicto Drogoni, et in utilitatem ipsorum conversae, et dicti S. miles et D. dictam terram quam a me tenebant in feodum, secundum legem et consuetudinem approbatam dictae villae de *Arkene*, contulerint dictae ecclesiae Ninivensi sub annuo censu, dicto S. militi et suis successoribus a dicta Ninivensi ecclesia persolvendo, jure haereditario possidendam. Ego tanquam dominus feodi ob favorem qui religioni debetur, praesenti contractui emptionis, venditionis et collationis, ut dictum est, inter personas memoratas super dicta terra, seu etiam acquisitioni aliorum bonorum hactenus a dicta ecclesia possessorum, quae olim ad feodum meum pertinuisse dicebantur, consensum meum et assensum adhibeo, et omnia praelibata laudo, approbo et etiam ea ratihabitione confirmo. Ut autem praetaxata omnia successu temporis aliqua importunitate turbari nequeant vel infringi, praesens scriptum in munimen et testimonium praemissorum sigilli mei appensione dictae ecclesiae contuli roboratum. Datum anno dominicae Incarnationis MCCLIX, mense Martio.

Original, sceau détruit.

CCXXIX.

H., doyen de Hal, Henri, chanoine de Ninove, et A., curé de Liefringe, décident que la propriété et la dîme des terres en litige à Ledeborghe appartiendront désormais à l'hôpital St-Jean à Bruxelles, à charge d'une redevance annuelle au curé de Pamele de quatre mesures et demie, moitié seigle et moitié avoine. — PAMELE.

—
1260.

Universis praesentes litteras visuris, H., decanus de *Hal*, frater Henricus, dictus de Lovanio, canonicus Ninivensis, et A., presbyter de *Lifrenghem*, salutem in Domino. Cum inter virum religio-

sum fratrem Razonem, curatum de Pamella et canonicum Ninivensem, de consensu et voluntate abbatis Ninivensis et ejusdem loci conventus, et inter ipsum abbatem et conventum ejusdem loci ex una parte, et magistrum, fratres et sorores hospitalis S. Johannis in Bruxella, ex altera, super decimis novalium existentium infra dictam parochiam de Pamela, in curia Cameracensi, fuisset allegatum, tandem ad procedendum, laboribus et expensis hinc inde de consilio proborum dictae partis fide media, et sub poena sexaginta librarum parisiensium, partim curiae Cameracensi et partim parti observanti ordinationem nostram a parte transiliente reddendarum, ordinationi nostrae se spontanee supposuerunt, firmiter et inviolabiliter observare promittentes, sub praedictis fideidationibus et poena, quidquid per nos super dictis decimis novalium fuerit ordinatum. Nos igitur, onere dictae ordinationis in nos suscepto, de consilio proborum ordinavimus, omnes decimas novales jam ortas existentes infra portionem antiquarum decimarum et pertinentem ad hospitale B. Johannis in Bruxella, infra parochia de Pamella ad dictum hospitale cum decimis antiquis, quas dictum hospitale hactenus percepit in perpetuum pertinere, ita tamen quod dictum hospitale ratione perceptionis dictorum novalium curato de Pamella et suis successoribus quolibet anno in perpetuum, infra festum beati Andreae et natale Domini quatuor modios et dimidium, mediatim siliginis et mediatim avenae, ad mensuram de Pamella de proventibus decimae praedictae ad grangiam ipsius hospitalis, ubi dicta decima colligitur, persolvat. In cujus rei testimonium et munimen praesentes litteras praedictis partibus sigillorum munimine contulimus roboratas. Et quod ego Henricus, canonicus Ninivensis, sigillum perpetuum non habeo, utor sigillo reverendi patris mei abbatis Ninivensis in hac parte. Datum anno Domini MCCLX, mense Junij.

Cartulaire de Malines.

CCXXX.

Godefroid, sire de Perwez et de Grimberghe, confirme un accord fait par arbitres entre l'abbaye et le sire de Ledeborghe. — PAMELE.

A Pamele, 1260.

Ego Godefridus de *Pyerreis* et de *Grimbergis* dominus, notum facio tam praesentibus quam futuris in perpetuum, quod cum inter viros religiosos abbatem et conventum Ninivensem ex una parte, et Willelmum, dominum de *Ledeborghe* ex altera, super diversis querelis ex parte dicti Willelmi contra dictam ecclesiam Ninivensem motis, controversia difficilis et diutina moveretur, videlicet super quibusdam possessionibus, tam terrae arabilis et pascualis quam pratorum, in territorio domini de *Ledeborghe* jacentium, et ad ecclesiam Ninivensem spectantium, quae olim *Obstal* dicebantur, quas possessiones dicta ecclesia partim emptionis titulo erga certas ac legitimas personas, partim a tutoribus dicto Willelmo, cum orbatore patre adhuc in aetate pupillare existeret, legaliter deputatis, consensu etiam domini superioris bonae memoriae Godefridi quondam de *Perwes* et de

Grimbergis, domini quondam patris mei, a quo tunc dicta bona feodaliter tenebantur, sub annuo censu debito, haereditarie secundum legem et consuetudinem terrae, ut dicit dicta ecclesia, acquisivit, et super piscaria fluminis tenere, quam specialiter fratres dictae ecclesiae Ninivensis commorantes in curte de Pamella, in dominio de Ledeborgha, quia de jure sibi hactenus usurpabant, eo quod dicta ecclesia in eodem flumine infra terminos et limites sibi assignatos generaliter hanc piscariam et jurisdictionem domini de Ledeborgha in dicto flumine includatur, terminis sive limitibus dictae ecclesiae deputatis; et super cursu alvei cujusdam rivuli de quodam vivo fonte prope curtem de Pamella scatente derivati, et extra proprium cursum per mediam viam quae ducit *Sconarden*, retro dictam curtem in fossata dictae curtis per canalem minus juste, ut dictus Wilhelmus asseruit, influentes, licet hujusmodi cursum dicta ecclesia ut dicit, obtinuerit ab antiquo super permutatione etiam cujusdam viae communis quae juxta curtem de Pamella ducit ad ecclesiam, quia olim, antequam dicta curtis sita fuisset in eo loco in quo nunc est, per medium mansum dictae curtis ubi nunc est, duxit ad ecclesiam dicta via. Sed postquam translata fuisset in locum modernum dictae curtis consensu bonae memoriae Aegidii, quondam domini de Ledeborgha, patris dicti Wilhelmi, dicta ecclesia Ninivensis, pristina via prorsus obstructa, in suo allodio aequalem priori, communem sicut prius, quae nunc tendit ad ecclesiam viam dedit, quod tamen dictus Wilhelmus dixit in suae jurisdictionis praedictum attentatum; super quadam capellania nihilominus deservienda a fratribus dictae ecclesiae Ninivensis in ecclesia de Pamella ad altare positum ante crucem, cui capellaniae bona dixit idem Wilhelmus a suis antecessoribus assignata, nunc a dictis fratribus in servitio dictae capellaniae debitae deservita, quae tamen, ut dixit dicta ecclesia, nunquam dictus Wilhelmus sicut debuit, demonstravit, et super quadam elemosyna, quam bonae memoriae Wilhelmus, quondam miles et dominus de Ledeborgha, avus dicti Wilhelmi, qui nunc est dominus de Ledeborgha, ecclesiae Ninivensis contulit sub hac forma, quod ibidem ad portam in hospitio pauperum qualibet nocte tredecim pauperes reciperentur hospitio a fratribus dictae ecclesiae, et ab eisdem misericordiae operibus foverentur, quod dictus Wilhelmus a dictae ecclesiae fratribus tepide actum asseruit vel neglectum, dicta ecclesia Ninivensi in contrarium allegante. Sane super iis et aliis querelis dictae partes, consideratione habita diligenti, tandem pro bono pacis ad parcendum utrimque laboribus et expensis de prudentum virorum consilio de alto et basso omnium querelarum motarum vel quae earum occasione catenus easdem moveri poterant inter partes in viros idoneos et discretos, scilicet in *Rassonem*, dictum *Beyer*, tunc ballivum Ninivensem, et *Walterum*, dictum de *Lapidibus*, compromiserunt, tanquam in arbitros, tali modo quod, quum praedicti arbitri non potuerunt per se componere inter partes, earumdem partium consensu tres viros discretos, videlicet dominum *Reynerum*, presbyterum de *Hoves*, decanum de *Geraldimonte*, *Aegidium*, militem de *Rideve*, et *Nicholaum*, dictum de *Lapidibus*, secum loco tertii assumpserunt, quatinus praedicti quinque arbitri, ut dictum est, electi amicabile compositione controversiae dictarum partium finem darent. Igitur praedicti quinque arbitri, onere arbitrandi suscepto, paci et tranquillitati dictarum partium studuerunt, finem inter eas litibus imponentes, meritis causae diligenter intellectis, consensu earumdem partium composuerunt amicabiliter inter easdem, adeo quod dictae partes compositioni seu ordinationi arbitratorum stare volentes eandem compositionem seu ordinationem arbitrariam poena pecuniaria sexaginta librarum lovaniensium, partim parti arbitrium observanti et partim mihi, tanquam domino superiori, a parte resiliente ab arbitrio reddendarum vallaverunt. Unde dictarum partium instantia ordinem compositionis inter eas arbitraria jurisdictione poenae praetaxatae taliter protulerunt, videlicet quod dicta ecclesia Ninivensis dicto Wilhelmo nunc domino de Ledeborgha, si forte in detentione aientiarum et in acquisitione honorum dictorum temporalium, quibus nulla spiritualitas

est annexa, defraudando eundem tempore pupillari laeserit quoquo modo, in refocillationem hujus laesionis quinquaginta libras lovanienses plenarie persolvat, certis terminis solutioni deputatis, scilicet infra quindenam a die publicationis arbitrii viginti libras flandrenses novorum, et residuum in festo beati Remigii hyemali dicto Willemo a dicta ecclesia totaliter persolvetur, hoc proviso quod ante persolutionem dictae pecuniae dictus Wilhelmus praesentem cartam a me sigillari, et assensu meo placido approbati suis expensis propriis procurabit. Porro dictus Wilhelmus in recompensationem obventionis hujus, ut dictum est, a dicta ecclesia sibi factae detentiones et possessiones aisen-tiarum et bonorum omnium praedictorum et aliorum temporalium, et spiritualium quae saepedicta ecclesia in dominio de Ledebeghe noscitur possidere, quocumque modo et contra quoscumque eadem adquisierit, coram hominibus suis feodatis et scabinis de Ledebeghe et aliis fide dignis in testimonium super hoc evocatis inferius subnotatis spontanea voluntate laudavit, approbavit et quantum in ipso erat ratihabitione, confirmavit, salvo censu annuo sibi a dicta ecclesia debito ex eisdem, de quo censu taliter est discretum, quod de bonis illis quae olim *Obstal* dicebantur, superius expressis, unde dicta ecclesia de singulis bonariis quinque solidos lovanienses nomine annui census dicto Willemo hactenus persolvebat, deinceps decem persolvat eidem Willemo vel suis successoribus, certis temporibus solutioni annui census communiter deputatis, et iis tammodo dictus Wilhelmus et sui successores, qui sibi in dominio de Ledebeghe de jure successerint, contenti dictam ecclesiam omnibus bonis praedictis ut in aevum pacifica possessione promittent, praeterea cum collationem capellaniae de Ledebeghe, quam bonae memoriae Aegidius, quondam dominus de Ledebeghe, pater dicti Willemi agens in extremis, et in ultima voluntate constitutus sanae mentis et compos sui cum omni jure quod idem Aegidius in dicta capellania vel ejus collatione habebat vel habere videbatur, ad animae suae periculum evitandum de prudentum virorum consilio in puram eleemosynam ecclesiae Ninivensi, quae jus patronatus in capellania habuit memorata contulerit, sicut confecta super hoc dictae ecclesiae edocent instrumenta, et dictus Wilhelmus cum tempore pupillari decurso ad annos pubertatis devenisset, collationem dictae capellaniae, ut dictum est, dictae ecclesiae factae eidem resistendo altercatione diutina impugnarit. Tandem salutaribus monitis eruditibus, ad cor suum rediens salubri usus consilio, idem Wilhelmus in remedium animae suae et animae dicti Aegidii quondam patris sui, eleemosynam collationis dictae capellaniae dictae ecclesiae, ut dictum est superius, rite factam suo consensu adhibito approbavit, et omne jus, si quid in dicta capellania seu ejus collatione dictus Wilhelmus habebat vel habere poterat, hoc totum in puram et perpetuam eleemosynam offerens libera voluntate super altare beati Gaugerici in ecclesia de Pamella ad opus et utilitatem dictae ecclesiae Ninivensis cum effestucali verpitione manu propria reportavit, nihil juris sibi seu posteris suis in dicta capellania vel ejus collatione penitus reservans, sed in eisdem omni prorsus renuntians juri suo, unde dictus Wilhelmus fide et juramento interpositis certa stipulatione promisit quod nequaquam per se vel per alios super possessione pacifica dictae capellaniae, vel rerum ad eandem spectantium de caetero dictam ecclesiam molestabit, sed bona fide eandem ecclesiam contra turbatores quoscumque hujus tranquillae possessionis, quantum in ipso erit, tuitione debita defensabit. Ut autem praelibata omnia inconvulsa permaneant in futurum, ad preces et instantiam dicti Willemi praesentem cartam, quam ratam habeo et confirmo, dictae ecclesiae Ninivensi contuli, sigilli mei appensione munitam, cui etiam cartae dictus Wilhelmus sigillum suum apponet ad majoris roboris firmitatem. Testes qui praesentibus interfuerunt rogati: Aegidius de Rideve, miles, Walterus de Lapidibus, Wilhelmus de Polke, homines feodati dicti Willemi de Ledebeghe; Walterus, dictus Cardenal, Henricus *Marcolf*, Walterus, maritus Adelaë, scabini de Ledebeghe; Reynerus, decanus de Geraldimonte, qui similiter sigillum suum praesenti cartae apposuit in testi-

monium praemissorum, Johannes, Nicholaus et Walterus, dictus de Pomerio, fratres, et alii quamplures. Actum apud Pamellam, in ecclesia, anno gratiae MCCLX, mense Julio.

Original, trois sceaux en cire brune endommagés.

CCXXXI.

Le chevalier Gilles, sire d'Arkenne, déclare que lui et son frère ont donné à l'abbaye plusieurs bonniers de terre à Reiniersart, à charge d'une redevance annuelle. — REINIRSART.

1265.

A tous chaus ki ches lettres veront, jou Gillis, chevaliers, sires de Arkenna, salut en nostre Seignor. Nous faisons connisaule chose à tous chaus, ki ches lettres veront, ke nous avons à l'église de Ninive donet en iretage un bonier de terre pau plus, ki gist à le Spine, desous le cort de *Reiniersart*, et un bonier de preet, ki gist desous le molin dou rues, pau plus u mains, et si l'avons donet à l'église devant dite en iretage, à deux deniers par an, un à le Saint Jehan et l'autre à le Saint Remi, et s'ent est l'église aiereteie par les homes et par les eskevins ki jugier en dovent, et par les los Francon delle nueve rue, de cui je le tenoie. Et si faisons connisaule à tous ke Willames, me frères a vendut à l'église de Ninive devant dite onse boniers de terre et demi, pau plus u mains, seu gisent devant le molin de *Reiniersart*, sies boniers et demi pau plus, et sur le planiel de le Spinette iij boniers et j jornal, pau plus u mains, et sur le vivier Testart siet jornaux, pau plus u mains selon chou ke mesure ensaingnera par toutes le piches, et l'église devant dite en est bien aireteie par me los, de cui Willames devant dis le tenoit en fief. S'en paiera l'église devant dite chascun an de chascun bonier dues deniers Lov., un à le Saint Jehan et un à le Saint Remi, et l'église devant dite en est bien et loiamement aireteie et en est fait dou sif iritages par moñ los et par l'enseignement de mes homes et mes eskevins ki jugier en dovent, et par les los medame me mère, ke werpi par mambor ses hunuers, de ke elle avoit eu tote le terre devant nomée devant mes homes et devant mes eskevins. A chest airetement furent mi home : si lost a savoir : Frankes, mes frères, Johan Barin, Gillebiet des Saus, Agnes de Castick, Johan Dou Vivier, Adam de Nivelles et Willames mes frères, et si furent mi eskevins de Arkenna : Marins, Bauduins de Fluetines, Willames li Fevres, Soihier, Buege, Bauduin, Nicholes De la Roke, Lourens Delwarde et Nicholes il fu si commères, et por chou ke cheste chose soit ferme et staule a tousjours et pour oster toutes mases okisons, j'en ai donnet cheste chartre à l'église de Ninive, sailée de mon saiel. Che fu fait l'an del Encarnation Nostre Seignor MCCLX tercio el mois de Jun, en le vile de Arkenne.

Original, sceau détruit.

CCXXXII.

Othon de Contrecuer et son fils reconnaissent qu'ils n'ont aucun droit sur les biens de Guillaume de Ledeberghe, et particulièrement sur huit bonniers de bois, situés à Pamele. — PAMELE.

—
1267.

Universis praesentes litteras visuris, Osto, senior, de Contrecuer, necnon Osto, junior filius ejus, milites, salutem in Domino. Universati vestrae volumus esse notum, quod nos veritate cognita pleniori, omnem calumniam quam movimus adversus Willelmum, dominum de *Ledeberge*, seu movere intendebamus, et adversus bona ipsius maxime octo bonariorum nemoris, jacentis in territorio de Pamella, in loco qui dicitur *Bochout*, deponimus et penitus amovemus, nihil juris nos habere in eisdem octo bonariis nemoris vel circiter, voce libera confitentes. In cujus rei evidentiam ampliore praesentes litteras eidem Willelmo contulimus sigillorum munimine roboratas. Datum anno Domini MCCLXVII, feria secunda ante festum beatae Mariae Magdalenaec.

Cartulaire de Malines.

CCXXXIII.

Philippe, comte de Viane, seigneur de Perwez et de Grimberghe, reconnaît que l'abbaye a reçu, dans toutes les formes légales, l'investiture de huit bonniers de bois qu'elle avait achetés de son feudataire, à Pamele. — PAMELE.

—
A Grimberghe, 1267.

Ego Philippus, Dei gratia, comes Vyennensis, de Peruwes, et de Grimbergis dominus, et Maria, uxor mea, notum facimus tam praesentibus quam futuris, quibus praesens scriptum contigerit intueri, quod Willelmus, dominus de Ledebergha, homo noster feodatus, consensu nostro pariter et assensu super hoc requisito et obtento, vendidit legitimo contractu octo bonaria nemoris vel circiter, jacentis in territorio de Pamella, in loco qui dicitur *Bokout*, quod a nobis tenebat in feodum, ecclesiae Ninivensi, Praemonstratensis ordinis, pro certa et competenti summa pecuniae numeratae solutae et in utilitatem ejus conversae, et in dicti nemoris proprietate, prout est in quantitate sua, dictus Willelmusquadam die apud Grimbergis in atrio, in praesentia dictae Mariae, uxoris meae, eadem praesenti contractui annuente et assensum praebente, quae terram nostram vice mea in omnibus

agendis strenue gubernabat, me tunc temporis in captivitate Barrensis comitis existente, coram hominibus nostris feodatis inferius subnotatis et aliis quampluribus fide dignis ad hoc a dictis partibus in testimonium evocatis, iudicio dictorum hominum ad hoc ex parte dictae Mariae uxoris meae per Johannem dictum de Pensenghem, tunc ballivum nostrum, rite submonitorum dictam Ninivensem ecclesiam secundum ritum, legem et approbatam consuetudinem terrae, praemissis werptione festucali et protestatione quod nihil juris in dicto nemore deinceps sibi cognosceret, adhibitis omnibus solemnitatibus quae sunt de jure et consuetudine in hujusmodi adhibendae contractibus, investivit jure haereditario idem nemus a dicta ecclesia ad annum censum quatuor denariorum lovanien- sium de singulis bonariis dicto Willelmo certis terminis solvendorum in perpetuum possidendum. Hoc quidem notato quod hujus haeredationis contractus, quo dicta ecclesia in haereditate est dicti nemoris investita, celebratus est per ordinem, apud dictum locum de Grimbergis, iudicio scabinorum de Ledeberga subscriptorum, ad hoc rite submonitorum eisdem scabinis praedicto loco, consensu dictae Mariae uxoris meae, ad petitionem dicti Willelmi, a dicto Johanne ballivo meo concesso, ut de dicta haeredatione liberius et effectuosius judicarent. Itaque de omnibus praelibatis, videlicet de resignatione dicti feodi et mutatione seu translatione ejusdem in haereditatem et investitura, prout superius sunt expressa, taliter secundum juris ordinem processum est, quod nihil in eisdem de contingentibus est omissum. Unde ego Philippus, dictus comes, omnia praetaxata per consensum et regimen dictae Mariae uxoris meae inter dictas partes rite habita et contracta, quae scilicet uxor mea consensum meum de omnibus iis dictis partibus repromisit, laudo, approbo, et ea omnia, quia legitime sunt peracta, tanquam superior dominus, meo placido assensu, ratihabitione confirmo, cum plena et perfecta warandisia, quam dictae ecclesiae contra quoscumque ad jus et diem venire volentes super quieta possessione dicti nemoris ego et successores mei tenebimur in perpetuum exhibere. Ne vero omnia suprascripta per oblivionem a memoria hominum elabantur, aut eisdem successu temporis valeat quisquam ausu temerario contraire, praesentem paginam, ad instantiam et petitionem dicti Willelmi nostri hominis feodati, cum subnotatione hominum feodatorum nostrorum scabinorum, tam de Grimbergis quam de Ledeberga, ac etiam testium qui praesentibus contractibus interfuerunt rogati, nec non sigillorum nostrorum appensione, ad majoris roboris firmitatem duximus consignandam. Homines feodati sunt isti: Henricus, dominus de Ascha, Radulphus de Wilra, Hugo de *Sceplaken*, Balduinus de Eska, Johannes de *Gant*, Arnoldus de Lyra, Johannes de *Lent*, milites, Sygerus de *Damp*, Sygerus de *Maal*, Sygerus de Castro, Henricus de Lyra, Henricus de Nisela, Johannes *del Donck*. Scabini de Grimbergis sunt isti: Johannes *de Broder wellen de Vorder*, Arnulphus *Hofnaghel*, Walterus de *Boxem*, Arnulphus de Molendino, Henricus Porcus. Scabini etiam de Ledebergha sunt isti: Theodericus, dictus Morre, Paridanus et Willelmus de Berghem. Testes autem sunt isti: Gossuinus, abbas de Grimbergis, frater Symon, praepositus ibidem, frater Willelmus prior, frater Willelmus, plebanus, frater Walterus de Marcha, canonicus dicti loci, frater Rasso, frater Wibertus, frater Johannes, praepositus, canonici Ninivenses; Johannes de Castro, Goloy de Wilra, Johannes de Ascha, milites, et alii quamplures. Actum apud Grimberghes, in atrio, anno Domini MCCLXVII, mense Maio.

Original, deux sceaux en cire brune endommagés, pendants à doubles queues de parchemin.

CCXXXIV.

L'abbaye s'étant obligée à fournir chaque semaine à Arnoul d'Impenghem deux charges de pain blanc et quatorze lots de bière, et tous les ans un porc et mille harengs; en retour de ces dons viagers, elle devait recevoir de lui quatre bonniers de bois à perpétuité : Érasme, sire de Liedekerke, déclare qu'après avoir suivi toutes les formes légales, il ratifie cette convention.— LIEDEKERKE.

A Liedekerke, 1267.

Ego Rasso, dictus de Gavera, dominus de Lidekerka, miles, et Margareta, uxor mea, notum facimus universis, ad quorum notitiam praesens scriptum contigerit pervenire, in perpetuum, quod viri religiosi, abbas et conventus ecclesiae Niniveſis, ad preces et instantiam nostram nostri amoris intuitu unanimi consensu Arnulpho, dicto de Ympenghem, militi, fratri nostro et Margaretae, uxori suae, liberaliter contulerunt duas praebendas albi panis, talis qualis mitti solet fratribus suis in grangiis ipsorum commorantibus, et quatuordecim lotos cervisiae conventualis singulis septimanis, porcum unum decem solidorum vel decem solidos flandrenses pro dicto porco circa festum beati Cornelii persolvendos, et mille allecia, in adventu Domini mediatim et mediatim in proximo subsequente quadragesima, quotannis dictis conjugibus exhibenda; pacto hujusmodi mediante quod dicti conjuges quamdiu ambo superstites fuerint in hac vita omnia praelibata, prout superius sunt expressa, integraliter obtinebunt, altero vero ipsorum ab hac luce subtracto superstes eorum dimidiam tantummodo partem habere poterit praemissorum omnium, excepto porco vel ejusdem pretio memorato, quem quovis anno, ut dictum est, cum integritate habebit reliquum, parte dimidia omnino deducta et ad dictam ecclesiam devoluta, ambobus etiam dictis conjugibus viam universae carnis ingressis, quidquid in pensione omnium praedictorum, ut dictum est, a dicta ecclesia dictis conjugibus seu alteri ipsorum tenebatur, hoc totum ex conductu sopitum erit, nec quidquam cuiquam solvere deinceps tenebitur de eadem pensione ecclesia praedicta, sed totum in ipsius postmodum cedet usus. Praeterea dicti conjuges Arnulphus et Margareta, bonae voluntati dictorum abbatis et conventus erga ipsos exhibitae vicem recompensationis exhibere volentes, quatuor bonaria nec minus alneti ad mensuram de Lidekerka, jacentis in territorio de Ympenghem, in loco qui dicitur *Pladith*, versus villam de Lidekerka, secus viam quae ducit de Ympenghem apud Lidekerka, quod a nobis tenebant jure haereditario ad annum censum dictae ecclesiae Ninivensi, de nostra mera voluntate et gratia ac etiam de nostro assensu placido, in puram et perpetuam eleemosynam contulerunt, cum omni solemnitate juris et facti quae secundum consuetudinem approbatam et legem dictae villae de Lidekerka solet et debet in hujusmodi adhiberi, ita videlicet quod dicti conjuges, nemine compellente, sed proprio ducti spiritu quadam die quae praeteriit apud dictam villam de Lidekerka, in templo, coram Symone de Lewes, famulo et ballivo nostro, cui super hoc potestatem et speciale mandatum contuleramus et coram scabinis dictae villae de Lidekerka et coram hominibus nostris feodatis, necnon coram quibusdam canonicis dictae ecclesiae ad hoc ex parte ejusdem ecclesiae ibi missis, cunctis inferius subnotatis dicta quatuor bonaria alneti cum omni jure quod in eisdem qua-

tuor bonariis alneti habebant vel habere poterant, pari voto ac mutuo consensu iudicio dictorum scabinorum et hominum nostrorum ad hoc rite a dicto Symone submonitorum in manus dicti Symonis ad opus dictae ecclesiae reportaverunt debita effectuali werpitione mediante, scilicet dictus Arnulphus manu propria et dicta Margareta, uxor ejus, tam manu propria quam manu mamburni sui ad hoc legali iudicio sibi dati. Porro ad majoris roboris firmitatem, ut nihil omitti de contingentibus videatur, Sophia, dicti Arnulphi filia, quam de priori uxore sua susceperat cum marito suo Scalkino, clerico cum mamburno suo ad hoc iudicio dictorum scabinorum et hominum sibi dato, si quid juris in dictis quatuor bonariis alneti habebat vel habere videbatur, seu etiam habitura erat, sive dicti maritus et mamburnus ejus ex parte ipsius modo praedicto in manus dicti Symonis debita werpitione praemissa, una cum dictis marito et mamburno ad opus dictae ecclesiae reportavit, et juri suo, si quod fuit, cum eisdem marito et mamburno penitus renuntiavit, ita quod nec dicta Sophia nec sui videlicet maritus et mamburnus, nec etiam dicti conjuges Arnulphus et Margareta, neque mamburnus dictae Margaretae in dicto alneto et proprietate ejusdem sibi de caetero quidquam juris adscriberent seu recognoscerent, sed nec dicti scabini et homines sicut sunt ad hoc submoniti suo iudicio protestati. Caeterum praemissum omnibus rite peractis, dictis Symone scabinis et hominibus coram nobis et Rassone primogenito filio nostro domino de *Bouler*, milite, et aliis multis retractionem facientibus, omnium praemissorum ac singulorum eorundem nobis consensum, eisdem praebentibus pariter et assensum, iudicio dictorum scabinorum et hominum, ad hoc ex parte nostra a dicto Symone rite submonitorum, dictus Symonis dicta quatuor bonaria alneti ab omni calumnia, onere seu obligatione liberrima in manus ipsius, ut dictum est superius, a dictis partibus reportata de nostrae beneplacito voluntatis contulit fratri Henrico, priori dictae ecclesiae ad opus ejusdem ecclesiae jure haereditario ad annum censum quatuor denariorum flandrensium nobis et successoribus nostris a dicta ecclesia annuatim ad natale Domini solvendorum pacifice et quiete ab eadem ecclesia in perpetuum possidenda dictis scabinis et hominibus rite submonitis, iudicantibus quod ex tunc in proprietate haereditariae possessionis dictorum quatuor bonariorum alneti quidquam juris neminem habere cognoscerent, praeter dictam ecclesiam Ninivensem, excepto annuo censu qui nobis, ut dictum est, debetur a dicta ecclesia quovis anno; hoc nihilominus proviso, quod dicti conjuges Arnulphus et Margareta viam communem ad opus illorum qui in praedicto loco de *Pladith* alnetum similiter habere noscuntur extra limites dictorum quatuor bonariorum alneti dictae ecclesiae a dictis conjugibus, ut dictum est superius, assignatos supra fundum alneti sui, quod eis remansit dicto alneto dictae ecclesiae collato contigui, tantam quanta de jure debet esse exhibere debebunt, nec pro eadem via exhibenda, amplianda vel arcenda seu etiam obstruenda nequaquam dicta ecclesia occasione dictorum quatuor bonariorum alneti, de caetero a quoquam debite molestare poterit vel debebit. Nos igitur dictam eleemosynam dictorum quatuor bonariorum alneti, nomine recompensationis a dictis conjugibus Arnulpho et Margareta dictae ecclesiae secundum modum praehabitum rite factam, tanquam domini superioris laudamus, approbamus ac etiam ratihabitione confirmamus, bona fide dictae ecclesiae promittentes nos et successores nostros de dictis quatuor bonariis alneti et via praedicta contra omnes et singulos ad jus et diem venire volentes perfectam warandisiam exhibere. Ego vero Rasso, primogenitus filius dictorum Rassonis, domini de *Lidekerka* et Margaretae, uxoris ejusdem, dominus de *Bouler*, miles, ut abundans cautela in dubiis videatur successibus adhiberi dictae eleemosynae dictorum quatuor bonariorum alneti, a dictis Arnulpho et Margareta conjugibus dictae Ninivensi ecclesiae rite factae, et contractui ipsius secundum formam expressam superius, consensum et assensum meum adhibeo, et ea laudo similiter et approbo tanquam in praesentia mei facta atque ratihabitione confirmo, promittens bona fide eandem waran-

disiam, quam dicti parentes mei promiserunt de omnibus supradictis dictae ecclesiae exhibere, unde sigillum meum praesenti cartae apponere volui in omnium praemissorum testimonium et munimen. Ut autem omnia praelibata in perpetuum inviolabiliter perseverent, praesentem cartam dictae ecclesiae contulimus, sigillorum nostrorum munimine roboratam. Testes etiam qui praesentibus interfuerunt rogati sunt isti: Balduinus de *Bakren*, Walterus, constabularius, Johannes de *Lyebrughe*, Balduinus de *Kasekin*, Arnulphus *Bridre*, Walterus *Martin*, Jacobus *Faber*, scabini de Lidekerka; Symon de *Lewes*, Soykinus, frater ejus, Gossuinus *Wale*, Yvanus de Hunsenghem, Balduinus, major de *Lewes*, homines feodati nostri; frater Henricus, prior; Rasso, sacrista; Johannes, praepositus, Wibertus, Johannes de Hunebecca, magister de Scora, Johannes, presbyter de Lidekerka, Symon, magister ibidem, sacerdotes et canonici Ninivenses, et alii quamplures. Actum apud Lidekerka, anno gratiae MCCLXVII, mense Martio.

Original, sceaux détruits.

CCXXXV.

Guillaume de Ledeberghe déclare qu'il a vendu à l'abbaye le bois de Bouchout, et qu'il l'a mise en possession de ce bien avec toutes les formes légales.—PAMELE.

A Grimberghe et Pamele, 1267.

Ego Willelmus, dominus de Ledeberge, notum facio tam praesentibus quam futuris in perpetuum, quod ego in necessitatis articulo evidenti, meaque propria voluntate pensata, vendidi legitimo contractu octo bonaria nemoris vel circiter, parum plus vel minus, jacentis in territorio de Pamella, in loco qui dicitur *Bochout*, pro centum libris flandrensibus, novorum et decem libris lovaniensibus numeratae pecuniae, et pagabilis mihi usque ad summam centum librarum flandrensium solutae, et in utilitatem meam conversa, consensu et assensu domini mei superioris, videlicet nobilis viri Philippi, comitis Viennensis, de *Perweis* et Grimbergis domini, necnon Mariae, nobilis matronae uxoris ejus, a quo domino dictum nemus tenebam in feodum, cujus litteras rati-
habitationis super hoc meis expensis dictae ecclesiae procuratis, et penes se easdem litteras habet ecclesia memorata jam sigillatas sigillo dictae M., uxoris dicti Ph., comitis et domini de Grimbergis; cujus sigillum dictis litteris apponendum, sub poena centum librarum flandrensium, decem librarum lovaniensium a me dictae ecclesiae reddendarum, et sub poena amissionis et retentionis praebendarum uxori meae et mihi a dicta ecclesia debitarum, ac etiam restitutionis earumdem ad valorem perceptarum infra primum annum evasionis dicti comitis de captivitate dictae ecclesiae promisi, unde plegios dictae ecclesiae constitui competentes; qui plegii, si non fecero, quod promisi dictae ecclesiae remanebunt de dicta summa pecuniae obligati; hujusmodi conditione de contractu memorato inter me et dictam ecclesiam mediante, quod si dicti nemoris plus minusve quam octo bonaria

inventa fuerint in mensura secundum aestimationem viginti librarum flandrensium novorum de singulis bonariis dicti nemoris pro emptione taxandarum, de dicta summa centum librarum flandrensium mihi ab eadem ecclesia est soluta; prout mensura reperta docuerit plus vel minus, hoc salvo quod dicta ecclesia Ninivensis dictas decem liberas lovanienses solvere promisit ultra dictam summam centum librarum flandrensium mihi solutarum, ecclesiae de Pamela pro uno bonario dicti nemoris eidem a bonae memoriae Aegidio quondam patri meo pro tandem obligato in eleemosynam, quod et fecit, praeterea dictam ecclesiam Ninivensis in dicta octo bonaria nemoris vel circiter, prout mensura terminabit secundum ritum, legem et consuetudinem patriae approbatam, necnon secundum iudicium hominum feodatorum dicti comitis superioris, parium meorum. Ad hoc quodam die qui praeteriit, apud Grimbergam in atrio nobili matrona dicta M., uxore dicti comitis et domini de Grimbergis, in captivitate comitis Barrensis detenti praesente et terras suas et dicti comitis strenue procurante, ex parte ejusdem matronae per Johannem de Pensenghem, ballivum de Grimbergis, rite submonitorum dicto feodo, nemore scilicet memorato, in haereditatem secundum juris ordinem commutato, et ad iudicium scabinale translato, secundum iudicium scabinorum meorum de Ledeberghe, quos ad hoc apud dictum locum mecum adduxeram, eisdem scabinis eodem loco ad proferendum iudicium a dicto ballivo, Johanne de Pensenghem, ad meam instantiam accommodato, a me rite submonitorum legitime investivi et haeredavi sub annuo censu quatuor denariorum lovaniensium de singulis bonariis dicti nemoris, mihi annuatim ab eadem ecclesia statutis terminis solventorum; dictum nemus prout in sua quantitate extenditur sub dicto censu in perpetuum a dicta ecclesia Ninivensi pacifice possidendum. Porro ut omnem scrupulositatem super tranquillitate possessionis dicti nemoris a dicta ecclesia valeam in futurum penitus amovere, usufructum et omne jus, quod mater mea ad vitam suam et possessione dicti nemoris obtinebat apud Pamelam, coram hominibus meis feodatis et scabinis de Ledeberghe, non coacta, non compulsa, sed libera voluntate, aliis contenta bonis, iudicio tam hominum quam scabinorum praedictorum ad hoc a me rite submonitorum in manus meas libere reportavit, cum effestucali werpitione, fide et juramento interpositis, quod de caetero nihil juris in dicto nemore seu usufructu ejusdem penitus renuntiavit, et ego de manu mea tanquam verus dominus, dictae ecclesiae dictum nemus cum omni integritate juris contuli, ut dictum est, haereditarie possidendum. Jacobus etiam, frater meus, aliis bonis aequivalentibus a me eidem alias exhibitis pro portione dicti nemoris se contingente, coram hominibus meis feodatis et scabinis ac iudicio eorundem ad hoc rite submonitorum, similiter contentus et werpitione praemissa, omni juri quod in dicto nemore habebat vel habiturus erat omnibus modis renuntiavit, et dicti mater mea et frater meus coram multis fide dignis ad hoc a me in testimonium evocatis, dicto venditionis et emptionis contractui consenserunt nec eidem contraire in aliquo, vel dictam ecclesiam molestare super eodem contractu seu molestationem procurare in futuram certa stipulatione promiserunt. Unde ego tanquam immediate dominus dictae ecclesiae de dicto nemore et de contractu venditionis et emptionis ejusdem, qui contractus cum tanta solemnitate, juris peractus est, ut in eodem nihil de contingentibus omissum est, promisi et teneor cum omni posteritate mea mihi in dominio de Ledeberghe succedente, plenam warandisiam contra omnes ad jus et diem venire volentes in meis expensis propriis exhibere. Ut autem omnia praelibata inconvulsa in perpetuum perseverent et ad majorem roboris firmitatem, praesentem cartam cum subnotatione hominum feodatorum et scabinorum dicti domini superioris ac hominum feodatorum et scabinorum meorum, necnon testium qui praesentes interfuerunt rogati, et appensionibus sigillorum mei et scabinorum de Ledeberghe, dictae ecclesiae contuli roboratam. Homines feodati domini superioris sunt isti: Henricus de Ascha, Radulphus de Wilre, Hugo de *Sciplaken*, Balduinus de Eske, Johannes

de *Gant*, Arnoldus de *Lira*, Johannes de *Lent*, milites; scabini ejusdem: Johannes *Broderwellen* de *Vorde*, Arnoldus *Hofnaghel*, Walterus de *Boxem*, Arnoldus de *Molendino*, Henricus Porcus. Isti sunt homines mei feodati: Godefridus de *Pamella*, Johannes de *Landerghem*, Soymannus, Johannes *Buse*, Balduinus de *Ophem*, Walterus, dictus *Zoute*, de *Catthem*. Scabini mei fuerunt isti: Walterus Cardinalis, Walterus *Adele*, Theodoricus *Morre*, Soymannus, Paridanus, Willelmus de *Berghem*, Woitinus de *Polke*. Testes: dominus Gozuinus, abbas *Grimbergensis*, Willelmus, prior, Symon, praepositus, Willelmus, plebanus, canonici *Grimbergenses*; frater Willelmus de *Haltra*, Rasso, Wibertus, Johannes de *Haltra*, Henricus de *Wildebroch*, canonici *Ninivenses*, et alii quamplures. Actum partim apud *Grimbergham*, in atrio, et partim apud *Pamelam*, anno dominicae Incarnationis MCCLXVII, mense Maio et mense Julio.

Cartulaire de Malines.

CCXXXVI.

Léonien de Pollar renonce; pour un cens annuel, au droit qu'il avait de faire entretenir un manant aux frais de l'abbaye à Zanterghe. — LOESH.

A Pollaere, 1267.

Ego Leonius, dictus de *Aa*, dominus de *Poller*, miles, et *Ymaina*, uxor mea, notum facimus tam praesentibus quam futuris quibus praesens scriptum contigerit intueri, in perpetuum. Quod, cum *Ninivensis* ecclesia de bonis quae habet et jure haereditario tenet et possidet in dominio et districtu nostro de *Zamberghes*, secundum legem dictae villae per iudicium scabinorum de *Ronacho*, unde scabini dictae villae de *Zamberghes* iudicii sui formam accipiunt approbatam, nobis tenetur mortalem mansionarium sive hospitem exhibere, in cujusque morte alius substitueretur eidem et tunc pro relevatione dictorum bonorum nobis census duplicatus a dicta ecclesia solveretur, sicut ab omnibus personis publicis et privatis ecclesiasticis et secularibus, in dicto dominio et districtu bona jure haereditario possidentibus est consuetum, qui non ab hujusmodi de nostra speciali gratia sunt exempti. Nos primo et principaliter ob aeternam quae in Christo est salutem, in remedium animarum nostrarum et animarum praedecessorum ac patrum nostrorum, et secundo ob favorem qui religioni debetur et quem erga dictam ecclesiam et personales ejusdem gerimus et gessimus ab antiquo, mutuo consensu, deliberatione super hoc opus habita diligenti, quidquid juris in bonis dictae ecclesiae, quae in dicto dominio et districtu nostro dictae villae de *Zamberghes* haereditarie et sive quomodo alias tenet et possidet dicta ecclesia, quantum ad dicti mansionarii seu hospitis exactionem ex parte mea sive exhibitionem, ex parte dictae ecclesiae habere potuimus, vel habere videbamur, seu et in praesentiarum habemus, cum arriragiis relevationum dictorum bonorum nobis hactenus ab eadem ecclesia minime persolutis; totum in puram eleemosynam dictae

oblationibus sub poena decem librarum lovaniensium, rata nihilominus manente ordinatione nostra, si poena ab alterutra partium committatur. Cavit autem in jure coram nobis abbas S. Foyllani pro se, conventu suo et presbytero de Arkenna parochiali, quod ipsi compromissum et ordinationem quam faciemus ratam habebunt et firmam nomine ecclesiae de Arkenna supra dictae. Nos vero, abbas Praemonstratensis supra dictus, statuimus et ordinavimus, quod abbas et conventus Ninivenses solvant de caetero annualim in festo sancti Remigii, in capite Octobris, abbati, conventui S. Foyllani et curato de Arkenna, quatuor solidos lovanienses pro oblationibus de caetero pervenientibus in capella de *Reniersurt* supra dicta. In cujus rei testimonium praesentes litteras tradidimus partibus supradictis, sigilli nostri appensione roboratas, et nos abbas et conventus S. Foyllani et curatus ecclesiae de Arkenna antedicti, nomine ecclesiae de Arkenna et pro ipsa, dictum statutum et ordinationem praedictam, et nos etiam abbas et conventus de Ninive nomine ecclesiae nostrae ipsum statutum et ordinationem laudamus et approbamus, et sigilla nostra praesenti scripto duximus apponenda. Datum anno Domini MCCLXIX, in Lauduno, in aula episcopi Laudunensis, praesentibus multis, feria quarta infra octavas nativitatis sancti Johannis Baptistae, continuato die praecedenti.

Original, sceau détruit.

CCXLI.

Les échevins de Pamele et de Ledeberghe confirment un contrat fait entre l'abbaye et Gautier-le-Pêcheur et sa femme. — PAMELE.

A Pamele, 1270.

Universis praesentes litteras visuris, scabini de Ledeberghe et de Pamella, salutem et noscere veritatem. Universitati vestrae notum facimus praesentium testimonio litterarum, quod Walterus, dictus Piscator, et Christina, conjuges de Pamella, ob hoc in nostra praesentia constituti, pia devotione commoti animae suae consulere cupientes, libera voluntate viginti libras bruxellenses monetae publicae et pagabilis super dimidio bonario prati quod dicti conjuges habebant situm in loco qui dicitur *Bertenvoert*, in puram et perpetuam eleemosynam ecclesiae conventuali de Ninive liberaliter contulerunt. Ita quod dicta ecclesia dictum pratum integraliter, absque ulla calumnia, eatenus possidebit, velut proprium; quatenus ab haeredibus sive successoribus dictorum conjugum, qui de jure ipsis successerint dicta pecuniae summa viginti librarum totaliter una die in dicta moneta seu aequivalente dictae fuerit ecclesiae ad suum beneplacitum persoluta, et tunc dicta ecclesia dicta pecunia contenta, idem pratum libere transiet ad haeredes. Praeterea dicti conjuges omnia bona mobilia quae habent in praesenti, et sunt etiam in posterum habituri, prout poterunt post ambo- rum obitum reperiri, dictae ecclesiae in eleemosynam nihilominus contulerunt; certa stipulatione promittentes quod supra ipsorum necessitatem eadem bona non diminuent, sed augebunt pro posse

ipsorum, et conservabunt tanquam usufructuarii bona fide. Caeterum in recompensationem pie devotionis quam dicti conjuges circa dictam ecclesiam habere videntur, abbas et conventus dictae ecclesiae contulerunt dictis conjugibus tria jornaria prati siti trans Teneram, quod fuerat quoque Bernardi, dicti *Scotte* de Pamella, quoad ambo vixerint et non ultra. Hoc proviso, quod dicti conjuges unum jornarium ejusdem prati conducere debent erga Gertrudem, uxorem Willelmi Picha, qui usumfructum habuit ad vitam, in uno jornario dicti prati de *Bertenvoert*; sed si dicta Gertrudis ante dictos conjuges obierit, dictum pratum trans Teneram integraliter iidem conjuges possidebunt. Debent et dicti conjuges, tanquam familiares dictae ecclesiae, sub defensione esse ejusdem ecclesiae; et debet Christina, uxor dicti Walteri, in Augusto annuatim in campis nostris de Pamela, inter garbas et gavellas spicas colligere, ubi melius sibi visum fuerit expedire: ambobus quoque dictis conjugibus de hac luce subtractis, dictum pratum cum bonis mobilibus universis quae ipsorum fuerant, et in ipsorum quondam nomine post eorum obitum poterunt reperiri, dictae cedent ecclesiae, et ad eandem omnia libere devolventur, aliqua conditione inter dictos ecclesiam et conjuges prius habita non obstante. In cujus rei testimonium nos dicti scabini, sigillum nostrum rogati, praesenti scripto duximus apponendum. Actum coram nobis dictis scabinis videlicet: Waltero, cardinali; Waltero Adele; Balduino, dicto *Vurman*; Herbrando; Waltero *Paltre*; Bernardo et Waltero, dicto *Corph*; et aliis fide dignis, ad hoc in testimonium evocatis. Apud Pamellam juxta atrium, anno Domini MCCLXX, mense Martio.

Cartulaire de Malines.

CCXLII.

Les échevins de Pamele et de Ledebeghe déclarent que l'abbé de Ninove a acheté, argent comptant, de Paridan de Bunenghem, un bonnier de terre, avec faculté d'en faire tirer, quand il lui plaira, les pierres qui s'y trouvent.

— AFFAIRES DIV.

A Pamele, 1271.

Universis praesens scriptum visuris et audituris, scabini de Ledebegha et de Pamella, salutem cum notitia veritatis in Christo. Universitati vestrae notum facimus, praesentium testimonio litterarum, quod religiosus vir H., Dei gratia, abbas ecclesiae Ninivensis, ob hoc in nostra praesentia constitutus ad opus et utilitatem ecclesiae suae acquisivit contractu legitimae emptionis erga Paridanum de *Bunenghem*, dimidium bonarium terrae, de terra quam habet idem Paridanus, apud *Orthate*, ad mensuram dictae villae de Pamella, pro certa summa pecuniae numeratae solutae et in utilitatem ipsius conversae. Quam terram specialiter limitatam ad voluptatem et optionem dicti abbatis ubi meliores lapicidinae reperiri poterunt, dictus Paridanus dicto abbati exhibere debet quaecumque et quotiescumque ad fodiendos lapides ibidem dicto abbati necessitas se obtulerit, et facultas etiam, si dicta terra quam dictus Paridanus interim arare, seminare, metere et omnino ex-

colere et fructus ex ea colligere poterit, vacua fuerit vel onusta, nihilominus dictus abbas construet lapidinas suas in dicta terra tam ad lapides fodiendos et reponendos, quam ad eosdem revetendos, lapidinis dicti dimidii terrae bouarii durantibus at non ultra; cumque dictae terrae lapidinae extractae fuerint et lapidibus vacuatae, dicta terra possessioni et proprietati dicti P. cedit sicut prius, conditione inter dictos abbatem et Paridanum superius habita non obstante. In cuius rei testimonium nos scabini videlicet: Walterus Cardinalis, Walterus Adele, Balduinus, dictus de *Opphem*; Bernardus, Willelmus *Prater*, Walterus *Corph*, Herbrandus, praesentes litteras sigillo nostro fecimus roborari, ad hoc vocati a dictis partibus et rogati. Actum apud Pamellam in atrio, anno Domini MCCLXXI, mense Martio.

Cartulaire de Malines.

CCXLIII.

Les curés de Ninove et d'Okegem terminent, en qualité d'arbitres, un procès existant entre l'abbaye et les époux de Burste, qui refusaient de payer un legs fait au couvent par leur sœur. — NINOVE.

A Ninove, 1271.

Universis praesentes litteras inspecturis frater Rasso et Petrus de Ninive et de *Okenghem*, ecclesiarum rectores, salutem in Domino. Universitati vestrae insinuatione praesentium innotescat, quod cum olim Margareta, quondam filia bonae memoriae Arnoldi de Rideve, militis, uxor Gossuini de Houthem-Tenerae, agens in extremis, sanae mentis et in suprema voluntate constituta, in subsidium animae suae conventui ecclesiae Ninivensi legaverit decem solidos flandrenses, nomine perpetuae eleemosynae, annuatim ad natale Domini de proventibus cujusdam mansi, siti apud *Okenghem*, juxta Tiliam, quem mansum nunc tenet Walterus Mangonis, ad annum censum dicto conventui persolvendos; et dicta Margareta ab hac luce subtracta, Hugo de *Burste* et Ermengardis conjuges, soror dictae Margaretae, quondam in bonis dictae Margaretae jure excantiae¹ successerint ejus debita solvendo et credita recipiendo, et dicti conjuges Hugo et Ermengardis, ratione dictae excantiae in solutione dictae eleemosynae decem solidorum dicto conventui fuerint obligati et non solverint, imo solvere contradixerint dicto conventui seu ejus mandato eleemosynam sic legatam, ac per hoc inter dictos conventum et ecclesiam ex una parte, et dictos conjuges H. et Er. ex altera, occasione detentionis dictae eleemosynae in curia Cameracensi fuerit difficile controversia aliquandiu litigatum, et tandem ad parcendum hinc inde laboribus et expensis pro bono pacis de alto et basso totius querelae in nos dictis, rectores, fratrem Rasonem et Petrum, tanquam in arbitros compromiserint, fide et juramento interpositis, poena pecuniaria viginti librarum flandrensium dictum arbitrium vallantes, partem parti observanti ordinationem nostri arbitri et partem curiae Cameracensi a parte resi-

¹ Beaumanoir parle de ce droit qu'il appelle droit d'*échoite*, chap. XIV, pag. 79. Voy. Ducange, aux mots *escaanchia* et *escaeta*. C'est l'héritage en ligne collatérale.

liente reddendarum. Nos dicti rectores, R. et P., ad instantiam partium praedictarum, dictorum videlicet conventus et conjugum, quae partes in nos, ut dictum est, compromiserunt et se stare et parere per omnia nostrae ordinationi arbitrari sub fide et juramento praestitis et sub poena pecuniaria praetaxata certa stipulatione promiserunt, onere dicti arbitrii in nos suscepto, meritisque earumdem partium investigatis et diligenter intellectis, inter dictas partes de prudentum virorum consilio, composuimus seu ordinavimus sub hac forma, quam formam de jurisdictione nostri arbitri protulimus et decrevimus sub poena praedicta a dictis partibus inviolabiliter observandam. Videlicet quod dicti conjuges Hugo et Ermengardis dictos decem solidos ex nunc et deinceps quovis anno ad dictum terminum solutioni superius deputatum, supra assignamentum dicti mansi dicto conventui, seu ejus mandato, cum integritate persolvent; et sic de arragiis dictae eleemosynae decem solidorum, quae usque in hunc diem in quo nos protulimus dictum nostrum, a tempore retroacto fuerant non soluta, dicti conjuges H. et Er. erunt secundum nostrum dictum penitus absoluti. Hoc nihilominus proviso, quod si dicti conjuges aliud assignamentum de dictis decem solidis aequivalens ad voluntatem et beneplacitum dicti conventus, seu mandati ipsius, dicto conventui legitimo contractu assignaverint, et idem conventus vel ejus mandatus de hujuscemodi assignamento se habuerint contentis et de hoc plene constiterit, tunc demum nec prius dicti conjuges de dicto manso sint redempti, suam ad plenum facient voluntatem, non obstante quod dictus mansus dicto conventui pro dicta eleemosyna antea fuerat obligatus, sed aliud assignamentum quod loco dicti mansi assignabitur dicto conventui pro dictis decem solidis a dictis conjugibus simili obligatione remanebit obnoxium dicto conventui pro dicta eleemosyna, qua obligatione eidem conventui obnoxius fuerat dictus mansus, conditione seu permutatione qualibet dictorum assignamentorum inter dictas partes habita non obstante. In quorum omnium ampliorem evidentiam ac eorundem observantiam strictiorem nos dicti frater Rasso et Petrus de Ninive et de *Okenghem*, ecclesiarum rectores, arbitri in causa praedicta ad instantiam dictarum partium praesens instrumentum pro expeditione nostri arbitri atque sententia conscribi fecimus, dictis partibus conferentes sigillorum nostrorum appensionibus communitum. Actum et datum in abbatia Ninivensi inter claustrum et infirmitorium in consistorio coram multis probis et fide dignis ad hoc a dictis partibus in testimonium evocatis. Anno Domini MCCLXXI, mense Decembri.

Original, deux sceaux en cire verte.

CCXLIV.

E., abbesse de Nivelles, et H., abbé de Ninive, déclarent qu'ils admettent, comme arbitres d'un différend qui existe entre eux relativement à la dime de quelques terres, les curés de Goyaka, d'Okenghem et de Castre. — PAMELE.

1271.

Universis praesentes litteras visuris et audituris, E., Dei gratia Nivellensis abbatissa, ex una parte, et H., ejusdem patientia abbas Ninivensis, et ejusdem loci conventus humiliter ex altera,

salutem et cognoscere veritatem. Universitati vestrae notum facimus praesentium testimonio litterarum, quod cum controversia verteretur inter nos dictas partes, super quibusdam decimis terrarum, sitarum inter villam de Merbecca et villam de Pamella, versus rivum qui dicitur *Cranebeka*, quas decimas dicebamus dictae partes ad nos pertinere, ita quod in eisdem quaelibet partium jus clamabat, nos dictae partes pro bono pacis, ad parcendum hinc inde laboribus et expensis, mutuo consensu super dictis decimis et controversia praedicta in viros discretos Yvanum de Goyaca, Petrum de *Okeughem* et magistrum Walterum de Castris, dictarum villarum ecclesiarum rectores, compromisimus de alto et basso; dictum arbitrium vallantes poena pecuniaria viginti librarum Lovanensium parti stanti dictorum arbitrio arbitrorum a parte resiliente totaliter reddendarum. Debent etiam dicti arbitri cognoscere de causa nostrarum partium praedicta, cujus causa meritis diligenter investigatis et intellectis, si nos, dictas partes, amicabile compositione concordare nequiverint, eandem causam secundum ordinem juris decem pro oculis habentes sine debito terminabunt. Ita quod nos dictae partes quicquid dicti arbitri vel saltem duo eorum, si omnes tres concordare nequiverint, arbitrando, ordinando seu componendo, dixerint, sub intermutatione praedictae poenae tenebimur inviolabiliter observare. Caeterum ut nihil de contingentibus omitti videantur, dicti arbitri in signum suscepti in se oneris dicti arbitrii praesentibus litteris sigilla propria appenderunt. Nos quoque dictae partes ad majorem praemissorum evidentiam praesens scriptum sigillis nostris mutuo duximus roborandum. Datum anno Domini MCCLXXI, mense Septembri.

Original, quatre sceaux en cire brune. Celui de l'abbesse de Nivelles est perdu.

CCXLV.

Gui de Dampierre, comte de Flandre et de Namur, prend sous sa protection l'abbaye et tous les biens qu'elle possède et possèdera dans ses états. — NINOVE.

A Douai, 1272.

Nous Guis, cuens de Flandres et marchis de Namur, faisons à savoir à tous, ke nous nos boens amis en Nostre-Segneur, l'abei et le couvent de Nieneve, del ordene de Prémonstrei, le glise, les persones et tous lor biens qu'il ont orendroit et qu'il auront dès ore en avant, u ke il soient u seront dedens nostre seignorie et en nostre pooir, nous les avons pris et prendons en nostre protection et en nostre garde, comme drois avoies de le glise. Et mandons et commandons à tous nos homes et à tous ceaus ki desous nous sunt, ke nus ne lor face damage, destourbier ne anui, en lor persones, en lor maisons ne en lor biens, et se aucuns le faisoit, il le feroit contre nous. Si mandons et commandons à tous nos baillius, et especiaument à celui de Alost, kiconques le soit, se aucuns chevaliers u autres, kiconques ce soit, mesfait u mesprint contre aucune persone u contre les biens de cele

église, qu'il l'amende si tost après ce qu'il li sera moustrei depar le glise et si vighereusement à nostre honneur et al honneur et au proufit de le glise qu'il ne conviegne, ke le glise en reviegne u renvoie à nous par sa défaute, si chier comme il a nostre amour et nostre service. Ce fu dounei à Douwai, en l'an del Incarnation Nostre-Segneur Jhesu-Crist MCCLXXII, le joesdi après le jour de Paskes.

Original, sceau en cire brune, fortement endommagé.

CCXLVI.

Le sire de Rohingies se soumet à une sentence arbitrale qui met un terme au procès qu'il avait intenté à l'abbaye, relativement au vivier de Reinirsart.

— REINIRSART.

1275.

A tos chias ki ces lettres vieront et oront, Odris de Walehang, chevalirs, sires de Rohingies, salus et vériteit connoistre. Cum il fust ensi, qu'il ewist débat entre nos d'une part, et le glize de Ninneve d'atre, dou vuvir de Reinirsart; ke nos disins ke li vuvirs avoit entrepris de Scomont, et il disoient ke non avoit, et encor disins-nos atre coze ke il avoient par devers lor bos fosseit sor le nostre, et de tos ces débas furent diseur pris par le volenteit de nos et par le volenteit de le glize devant dicte, si loist à savoir: frères Huwes de Borngeval, et frères Henris li Maistres d'Obais et mesires Renars, par le grasse de Dieu, abbés de Saint Foellin, ki fut tirs, et il oirent les témongages et de l'une partie et de l'atre de quant ke nos en volimmes conduire, et après chou il disent lor dit en tel maniere, ke li vuvirs n'avoit point entrepris de Scomont et ke cil de le glize powoent tenir lor vuvir plain à plainne ventele, et nos puwons tallir le bos si avant come il s'estent devers Scomont et l'iawe, jaisoist chou ke li ewe do vuvir i gise, et do fosseit, k'il n'avoient nint chil de le glize devant dicte meffait envers nos. Et pour chou ke chis dis demeuret fermes et estaules a tosors mais, ne ke li glize n'en puist mais appressée iestre ne grevée de nos, ne de nos oirs, nos en avons ces lettres donées à le glize devant dicte, saielées de no saial et par le volenteit de Juwete, me femme. Chou fait l'an del Incarnation Nostre-Singeur MCCLXXIII, le jor saint Martin, en ivier.

Original, sceau perdu.

CCXLVII.

Arnoul de Lombeke et sa femme cèdent à l'abbaye de Ninove tous les droits qu'ils ont ou qu'ils ont cru avoir sur une dîme, à Lombeke. — PAMELE.

A Lidekerke, 1276.

Universis praesentes litteras inspecturis, Arnoldus dictus de *Lombeke*, miles, et *Machtildis*, uxor ejus, salutem in Salvatore omnium cum veritatis notitia in agendis. Universitati vestrae praesentium insinuatione pateat, quod nos ob aeternam quae in Christo est salutem, animarum nostrarum utilitati providere pietatis operibus cupientes, pari voto unanimique consensu mutua voluntate omne jus quod in decima de *Lombeke* habuimus vel habere videbamur hucusque, cujus decimae abbas et conventus ecclesiae *Ninivensis* jus obtinent patronatus, videlicet tertiam partem totius decimae dictae villae, decima novalium et animalium duntaxat excepta, quae curato presbytero soli cedit. Quam decimam a domino *Rassone de Lidekerke*, jure tenuimus feudali, de consensu, assensu et beneplacito ejusdem domini feodi, in puram ac perpetuam eleemosynam ecclesiae et conventui *Ninivensi* larga manu contulimus et conferimus propter Deum, et in eadem decima investiri fecimus abbatem dictae ecclesiae ad opus ejusdem ecclesiae conventus pleno jure, ita quod praedictus dominus feodi, divinae pietatis intuitu et precum nostrarum humili supplicatu, dictam decimam quam ab eodem tenuimus in feudum iudicio hominum suorum feudatorum ad hoc ab ipso domino R. rite subditorum inferius subscriptorum a nobis ad opus et utilitatem conventus et ecclesiae praedictorum in manus ipsius domini R. eandem decimam penitus resignando et effestucali werpitione mediante eidem et omni juri quod in ea obtinuimus vel potuimus obtinere omnimodis renuntiando cum debita solemnitate adeo reportatam, ut nihil juris in eadem decima seu in aliqua parte ejusdem ex tunc in antea cognovimus et cognoscimus nos habere, quod tam dictus dominus R. quam homines sui feodati supradicti rite submoniti confitendo similiter cognoverunt. Itaque dicta decima in manus dicti domini R., ut dictum est, libere reportata, idem dominus dictum feudum in haereditatem transferri cupiens et mutare eandem decimam cum omni jure quod in eadem unquam habuimus vel habere potuimus in manus suas reportatam dicto abbati ad opus et utilitatem conventus sui et ecclesiae tradidit jure haereditario, sub annuo censu duorum solidorum *flandrensis* monetae quae in terra et oppido de *Alost* publice et usualis existet sibi et successoribus suis quotannis ad natale domini solvendorum in perpetuum possidendam, pacifice et quiete. Caeterum ut abundans cautela videatur in omnibus supradictis plenius observari, notandum est et diligenter observandum quod in omnibus contractibus supradictis in singulis eorundem, videlicet in collatione dictae decimae et in resignatione feodi et in investitura haereditatis, prout superius sunt expressa, tam rite tamque solemniter cum omni observatione juris et facti est hinc inde processum, ut in aliquo praemissorum nihil omnino de contingentibus sit omissum. Ut autem omnia praelibata rata et inconcussa permaneant in futurum, et ne aliqua in posterum valeant tergiversatione turbari, nos dicti conjuges *Ar.* et *M.* praesentem cartam dictae ecclesiae et conventui contulimus, sigillorum nostrorum karakteribus consignatam. Praeterea ego R. dictus de *Gavera*, dominus de *Lidekerke*, miles, ad instantiam et petitionem tam dictorum conjugum *A.* et *M.*, quam dictorum abbatis et conventus, in ratihabitionem, confirmationem,

tanquam dominus a quo tenetur dicta decima, testimonium et munimen omnium praemissorum et quod omnia praemissa in mea praesentia rite fuerunt habita et peracta, sigillum meum una cum sigillis dictorum conjugum Ar. et M. praesenti cartae duxi fideliter apponendum. Actum apud Lidekerke, in domo dicti domini coram Symone de Lewes, Aegidio, qui habet filiam dicti Sy., Yvano de Hussinghem, Thoma de Landut, hominibus feodatis, et coram scabinis dictae villae de Lidekerke, videlicet Ae. et Y. praedictis, Arnolde Bridre. Testes qui praesentibus interfuerunt rogati, sunt isti: videlicet Johannes, abbas, Rasso, sacrista, Johannes, praepositus, Godefridus, curatus de Lidekerke, Jacobus de Valencenis, capellanus; fratres et canonici Ninivenses: Colinus, clericus, Colinus Bulstrinc, Henricus del Warde et Johannes de Wincle, et alii quamplures in testimonium evocati. Anno Domini MCCLXXVI, feria tertia post decollationem beati Johannis Baptistae.

Original, sceaux en cire brune d'Arnold et de sa femme; celui d'Érasme de Gavre est perdu.

CCXLVIII.

Jean, sire d'Audenarde, confirme les legs que sa fille Marie, dame de Ninove, a faits par testament à l'abbaye. — NINOVE.

1277.

Je Jehans, dis sires d'Audennarde, sires de Rosoit, fach à savoir à tous chiaus ke ces letres veront et ouront, que j'ai véu le tenor do testament de me chière fille Marie, jadis dame de Nineve, saelé de sen sael et sael mon segnor Jehan de Neela, qu'on dit de Falleni, ki parole en ceste forme: Je Marie, dame de Nineve, femme mon segnor Jehans de Neela, chevalier, considérans et attendans que honeste chose est et profitable à moi de penser au salu de m'ame, fas mon testament en me bon sens et en men bon memorie, et ordene de mes biens en tele manire: premierment, je voel que de mon fief de Lessines, ki vaut cent lib. de parisis par an, que je tieng de mon chier père mon segnor Jehan d'Audenarde, chevalier, le quinte partie ki vaut vint livres de parisis par an, en soit convertie par les mains de mes exécuteurs, l'abbait et li priens de Vau li Roi, del ordene de Cistiaux, et l'abbait et li priens de Nineve, del ordene de Prémonstré, en estor d'une chapelerie où on chantera messe à tous jors por le remède de m'ame et de mes anchiseurs, la quele chapelerie je voel et ordone que ele soit faite en l'abbie de Nineve et sera de valeur de vint lib. de parisis, cascun an, en tele manire que li abbés et li couvens del abbie devant dite renderont cascun an permanablement de ces vint lib. devant dis, dis lib. de parisis à l'hospital de Nineve par pitance, et li autre dis lib. seront luer par la raison de la chapelerie; et je Jehans, dis sires d'Audenarde, sires de Rosoit, devant només, met mon assentement au testament des vint lib. devant dis, que ma fille devant dite a fait, et je l'octroie

et agreie et confirme, comme sires de qui on tient che fief, et pour che que cheste chose soit à tous jors mais firme et estable, ai mis mon sael à cheste lettre. Che fu fait et doné en l'an del Incarnation Nostre-Segnor MCCLXXVII, semmedi après la feste de saint Luc l'évangéliste.

Original, sceau en cire brune endommagé.

 CCXLIX.

Jean, sire de Schendelbeke, déclare que la dime de quelques terres à Ydengem appartient à la dame de Zwynaerde. — LOETSH.

A Schendelbeke, 1279.

A tous chiaus ki ches présentes lettres verront et oront. Jehans, chivaliers, sires de Scendelbeke, salus et connoistre la vérité. Je vous faich à savoir, ke Gilles li Maires de Vordes est venus pardevant mi en ma court et devant mes hommes, s'a acatteet à Vistace le jovène de Ghundilighien une dime, ke il avoet en la parosse de Ydinghien, la quele hi tenoet de mi en fief, ch'est à savoir les deus pars de trestout les biens et de trestout les fruits, ki keyent en la parosse devant dite, en quele manire ke che soit, tout en tele manire ke li devant dis Vistaces le tenoit et avoit, et en chelle dime devant dite est li devant dis Gilles, entrées par ma sommonse et par loy de mes hommes desous escrits, et si a le devant dite dime teneet et leveet les fruits un an et un jour et plus sans contredict de nullui. Oire est venus Gilles devant nommeet par devant mi et mes hommes de sous escrits, si a donneet chelle dime devant dite à Margrite, sa fille, en ayuwe de sen mariage, ki feme est de Bernart de Suinardes, tout en tele manire ke hi et li devant dict Vistaces le tenoient et avoient, en la quele dime Margarite devant dite est entreie par loy, par ma sommonse et par jugement de mes hommes de sous escrits, et se tient Margarite devant nomeie ledevant dite dime de mi en fief et Bernars ses barons com avouées à ches convenanches faire et à recongnoistre, furent com mes hommes mesires Gilles de Scendelbeke, chivaliers, me frères, mesires Oliviers de Emelverdighien, chivaliers, Gossuin de Vordes et Clau Gailins. Et pour chou ke ches convenanches deseure escrites soient fermes et estables et bien tenues, ensi ke devant sunt dites et ordineies, ay cheste présente lettre sayleet de mon propre sayal pendant aveuc les sayaes de mes chirs hommes, devant nomées, et à devant dite Margarite donneye en non de verité. Ches convenanches furent faites et ordeneies à Scendelbeke, devant l'atre, desous le tilliers, en l'an del Incarnation Nostre-Seigneur MCCLXXIX, en le jour de boen devenres, devant le commencement des eures.

Original, cinq sceaux en cire brune endommagés.

CCL.

Le comte de Viane confirme la donation faite à l'abbaye par Gilles de Puttere, de six journaux et quarante verges de terre, à Herlinchove, et cède les droits qu'il y avait, sauf un cens annuel. — AFFAIRES DIV.

—
1280.

Ego Godefridus, comes Viennensis, omnibus has litteras visuris et auditoris in perpetuum. Notum facio, quod cum Aegidius dictus *Puttere*, de *Liebeke*, transtulerit in monasterium de Ninivè, ordinis Praemonstratensis, sex jornaria et quadraginta virgas aut circiter terrae arabilis, jacentis in districtu et dominio de *Herlinchove*, in cultura jacente inter villam de *Outre* et curtem de *Bubronck*, quam terram emerat idem Aegidius erga Petrum, filium quondam Cilini de *Asplaer*, ex qua quidem terra quinta garba et quidam census sive redditus debebantur annuatim dominae Mariae, dilectae matri meae, et successoribus ejus haereditario jure. Ego ob favorem, quem religioni et praecipue dicto monasterio Ninivensi gero, dictam translationem omnimodis approbavi et omne jus in dictis quinta garba ac censu sine reddito, quantumcumque fuerat, habui vel prout modum habere debui, dicto monasterio totaliter remisi, quitum clamavi et in perpetuum donavi. Salvo tamen dominio meo, et quondam censu haereditario, videlicet quatuor denariorum flandrensium de bonario annuatim, in natali domini Ninivensi Domino solvendae. In cujus rei testimonium sigillum meum praesentibus litteris duxi apponendum. Datum anno Domini MCLXXXIX, mense Septembri.

Cartulaire de Malines.

CCLI.

Le chevalier Olivier de Meldert déclare qu'il a donné à l'abbaye, avec l'assentiment du seigneur du fief, six bonniers de terre, à charge d'une redevance annuelle. — PAMELE.

—
1245.

Universis hoc scriptum visuris. Oliverus, dictus de *Meldert*, miles, et Beatrix, ejus uxor, filia domini Aegidii, quondam militis de *Rideve*, salutem et noscere veritatem. Noveritis, quod nos communi voluntate et assensu mutuo contulimus et dedimus monasterio Ninivensi in puram atque perpetuam eleemosynam, ob remedium animarum nostrarum et antecessorum nostrorum, sex bonaria terrae arabilis ad mensuram de *Alost*, sitae in extremis finibus terrarum de *Rideve*, versus Ninive, juxta

terram ipsius monasterii, via media utramque dividente; quam terram a Willelmo, domino de *Ledeberghe* tenuimus in feodum, de cujus domini consensu et voluntate eandem terram dicto monasterio contulimus sub annuo censu quatuor denariorum bruxellensium, de quolibet bonariorum praedictorum, in festo sancti Bavonis eidem Willelmo domino et ejus haeredibus a dicto monasterio annuatim solvendorum. In cujus rei testimonium nos, Oliverus miles, et Willelmus, dominus de *Ledeberghe* praedictus, sigilla nostra una cum sigillo domini Johannis, vicecurati de *Morsele*, duximus praesentibus litteris apponenda. Huic collationi interfuerunt Johannes, praepositus, Aegidius de *Lovanio*, canonici monasterii praedicti; Johannes, dictus *Senex*, clericus; Johannes, dictus de *Ghuchte*; *Steppo*, dictus de *Hove*, *Balduinus Faber*, *Mychaël*, dictus *Reffelghem*, et *Balduinus*, dictus de *Palude*. Datum et actum anno Domini MCCLXXXI, mense Martio.

Original, deux sceaux en cire brune, celui de Jean, vicaire de *Moorsele*, est perdu.

CCLII.

Guillaume de Ledeberghe declare qu'Olivier de Rideve a vendu à l'abbaye six bonniers de terre près de la Dendre. — PAMELE.

A Pamele, 1281.

Ego Willelmus, dominus de *Ledeberghe*, notum facio tam praesentibus quam futuris, quod dominus Oliverus, miles de *Rideve*, et domina Beatrix, uxor ejus legitima, unanimi consensu legitime vendiderunt ecclesiae de *Ninive*, Praemonstratensis ordinis, sex bonaria terrae arabilis, jacentis juxta terram ejusdem ecclesiae, via tantum media utramque terram dividente, quae terra a dicta via inferius versus *Teneram* se extendit, quam terram dicti conjuges, quia in feodum eam a me tenebant in manus meas ad opus dictae ecclesiae obtulerunt. Ipsique, scilicet Oliverus et domina Beatrix, uxor ejus, mediante ipso marito tanquam mamburno sibi a me ad hoc dato, secundum judicium hominum meorum feodatorum super hoc rite a me monitorum, adhibitis solemnitatibus quae in talibus adhiberi solent, videlicet secundum judicium *Gossuini de Rideve*, *Henrici Kegel*, *Sygeri de Bruccines*, *Walteri Zote*, de *Cathem*, *Soymani de Polke*, *Bernardi de Pamella* et *Johannis de Ophem*, omni juri quod in eadem terra habebant penitus renuntiantes effestucali jactione mediante, et ego dictam terram de manibus eorum sic suscepti, quod dictam ecclesiam adhaeredavi in eadem sub annuo censu quatuor denariorum lovaniensium, de quolibet dictorum sex bonariorum in festo sancti Bavonis mihi et haeredibus meis annuatim solvendorum. Ut autem praemissa omnia firma permaneant, sigillum meum praesentibus appendi, ac etiam scabinos de *Ledeberghe* rogavi ut sigillum suum similiter apponerent, videlicet *Gerardum dictum Stormp*, *Johannem de Ophem*, *Bernar-*

dum de Pamela, Herbrandum *Stormp*, Willelmum de *Berghen* et Walterum dictum *Pratre*. Actum et datum apud Pamelam, in atrio, anno Domini MCCLXXXI, mense Martio.

Original, deux sceaux en cire brune.

CCLIII.

*Les échevins de Meerbeke déclarent que Gilles d'Elsebeke a reçu d'une béguine, nommée Catherine, un demi-bonnier de terre labourable, aux conditions annexées à l'acte*¹. — MEERBEKE.

1281.

Universis praesentes litteras visuris et auditoris, scabini de Merbecca salutem et noscere veritatem. Universitati vestrae tenore praesentium significamus, quod Aegidius de *Elsebeke*, filius *Clarae*, dimidium bonarium terrae arabilis situm apud *Elsebeke* versus *Lamfringhem*, de terra quondam *Dionysii* de *Elsebeke*, in superiori parte versus Merbeccam, quam sub annuo censu duorum denariorum lovaniensium domina abbatissa *Nivellensis* tenuit, in nostra praesentia *Catherinae*, *beghinae*, apud *Bellum-Pratum* commoranti, filiae quondam *Johannis* dicti de *Cameraco* et *Ermegardis*, ejus uxoris, pro quadam certa pecuniae summa vendidit et ad opus ipsius *Catherinae* praedictum dimidium bonarium terrae in manus nostri villici resignavit, et secundum usum et legem patriae omni juri suo, quod in dicto dimidio bonario terrae habuit effestucando renuntiavit; deinde villicus praedictus, cum omni jure quo receperat dictum dimidium bonarium terrae contulit *Catherinae* praedictae haereditarie habendum et possidendum. Quo facto, dicta *Catherina* praedictum dimidium bonarium terrae reddidit praefato Aegidio pacifice et quiete colendum et possidendum, pro dimidio modio siliginis, ad duos denarios in foro communi melioris cum mensura *Ninivensi* ab ipso Aegidio vel ejus successoribus annuatim in festo omnium sanctorum praedictae *Catherinae* vel ejus successoribus ad *Bellum-Pratum* vel ad alium locum, aequae distantem, in proprio custu semper solvendis. Debet etiam dictus Aegidius solvere censum praedictum ipsi *Catherinae* vel suis successoribus cum siligine in festo praedicto, sed et alia debita ad quae dicta terra est obligata, solvet ipse Aegidius ex parte dictae *Catherinae* tempore opportuno: si vero contingeret quod praefatus Aegidius vel aliquis successorum suorum praefatum dimidium modium siliginis cum censu praedicto ipsi *Catherinae* vel suis successoribus termino praenotato, ut praedictum est, non solveret, quod absit, tunc ipsa *Catherina* saepedictum dimidium bonarium terrae tanquam haereditatem suam tractabit

¹ Cette chartre ne paraît pas appartenir à l'abbaye; la personne qu'elle concerne, l'avait sans doute déposée aux archives du couvent pour l'y mettre en sûreté.

et libere et quiete, et sine contradictione aliqua habebit et possidebit. In cuius rei testimonium et munimen praesentes litteras sigillo nostro communi, ad preces dictae Catherinae et dicti Aegidii, tradidimus sigillatas. Actum et datum anno Domini MCCLXXXI, mense Decembri.

Original, sceau en cire verte.

CCLIV.

Arnoul de Louvain, sire de Breda, déclare qu'il a donné à l'abbaye un revenu de dix livres tournois. — NINOVE.

1281.

Ego Arnoldus, dictus de Lovanio, dominus de Breda, miles, notum facio tam praesentibus quam futuris in perpetuum. Quod ego ob mei meorumque sempiternam, quae in Christo est salutem, libera in Domino voluntate in puram et perpetuam eleemosynam contuli monasterio Ninivensi, Praemonstratensis ordinis, decem libras parisienses bonorum legalium et computabilium assignans ad nemus meum quod dicitur nemus beatae Mariae, et nemus quod dicitur nemus beati Petri, quae nemora sita sunt in contiguo nemoris domini de *Audenarde*, avunculi mei, quod dicitur *Porshberch*, quae nemora a dilecto domino meo et avunculo meo Johanne, dicto de *Audenarde*, domino de *Rosoet*, milite, teneo in feodum, de lignis caeduis dictorum nemorum venditis et vendendis quovis anno in perpetuum recipiendas, et dicto monasterio seu mandato ipsius semper circa medium mensis Maii finaliter persolvendas, ita quod de dicta summa decem librarum septem librae dictae monetae converti debeant in augmentationem seu meliorationem pietantiae conventus dicti monasterii, et residuae tres librae in subventionem luminis in sanctuario ecclesiae conventualis dicti loci ardentis jugiter et lucentis. Sic utique et non alias dictas decem libras decernimus convertendas. Verum quia eadem nemora, supra quae dictam eleemosynam assignavi, a dicto avunculo meo teneo in feodum, ut dictum est, eandem eleemosynam a dicto avunculo meo tanquam a domino feodi supplico confirmari. Unde ego Johannes dictus de *Audenarde*, dominus de *Rosoet*, miles, ad preces et instantiam dilecti nepotis mei Ar. dicti de Lovanio, domini de Breda, milites supradicti, eleemosynam praedictam secundum formam expressam superius collatam, ut ejusdem eleemosynae particeps esse possim, laudo et ratihabitione approbo et sigilli mei huic scripto appensione confirmo. Nos vero, abbas et conventus praedicti monasterii Ninivensis, bonam voluntatem cum actibus dicti nobilis viri domini de Breda, prout experti sumus, saltem spiritualiter compensare volentes, omnium bonorum spiritualium quae fuerint et de caetero fient in ecclesia nostra ab omnibus nobis et singulis plenam participationem eidem concedimus pia in Domino caritate, recipientes eum in confratrem ad vitam pariter et ad mortem, et post ipsius decessum in ecclesia nostra ad unum altarium nostrorum

specialiter missa perpetuo per unum de nostris sacerdotibus pro anima sua et suorum celebrabitur debita pro defunctis. Ut autem omnia praelibata rata permaneant in futurum, praesentem paginam sigillorum nostrorum appensionibus, tam ego quam dictus avunculus meus, duximus roborandam. Actum anno Domini MCCLXXXI, mensi Octobri.

Original, sceaux détruits.

CCLV.

Marie, comtesse de Viane, et ses fils donnent à l'abbaye six bonniers, trois journaux et vingt et une verges de terre labourable, à charge d'une redevance annuelle de sept deniers tournois. — NINOVE.

1282.

Nos Maria, comitissa Vyennensis, domina de Grimbergis et de Perweys, et Godefridus, noster filius major natu, et Philippus junior, notum facimus universis, quod nos contulimus ecclesiae Ninivensi in puram ac perpetuam eleemosynam sex bonaria terrae arabilis, tria dietaria et viginti unam virgas per partes, in locis inferius assignatis sita, sub haereditario censu septem denariorum parisiensium nobis in natali Domini annuatim solvendarum; promittentes eidem ecclesiae de dictis bonariis warandisiam plenam et legitimam exhibere, nec aliquod jus de caetero per nos aut per successores nostros reclamare. Dicta autem bonaria sita sunt in his locis, scilicet tria jornaria, praeter xxix virgas, in cultura dictae ecclesiae versus *Nederwic*, semita in modum curtis per medium ducta. Item vj jornaria praeter xxvij virgas, parum plus vel minus, sita juxta locum qui dicitur *Amilii Crux*, ex altera parte versus *Ninive*. Item xv jornaria et lxij virgas, parum plus vel minus, sita ex altera parte *Crucis Amilii* versus *Okenghem*, inter duas vias conclusa. Item tria jornaria et xiiij virgas, sita in loco dicto *Viversbroch*. Huic quoque eleemosynae praedicto modo collatae interfuerunt *Francho*, clericus noster, *Balduinus de Mylbeke*, ballivus noster *Ninivensis*, *Aegidius Creeft*, *Jacobus Bake*, *Petrus de Eppenghem*, *Gerardus Sceppre*. Item *Walterus de Herlinchove*, *Wylloy Craye*, *Johannes*, dictus *Blic*, scabini de *Ninive* et alii plures, in cujus rei testimonium sigilla nostra duximus praesentibus litteris apponenda. Actum et datum anno Domini MCCLXXXII, in vigilia Symonis et Judae.

Original, trois sceaux en cire verte.

CCLVI.

Gérard d'Erembodeghem et ses échevins attestent qu'Avezote de St-Jean a donné, dans les formes légales, à l'abbaye, une terre qu'elle avait achetée de Soykin de Broec. — NINOVE.

—
1282.

Universis quibus praesens scriptum intueri contigerit, Gerardus de Erenbaldinghen et scabini ejusdem loci salutem et noscere veritatem. Universitati vestrae significamus quod Avezota de S. Johanne Gandensi, emit legitimo emptionis contractu erga Soykinum, dictum de *Broec*, pro duodecim libris flandrensium novorum solutorum et in utilitatem dicti Soykini conversorum, modium frumenti jure haereditario solvendi annuatim inter festum omnium sanctorum et quatuor dies natale Domini proximo succedentes, ad mensuram Ninivensem oppidi attingentis carius frumentum in duobus denariis, quod venale invenietur in foro Ninivensi. Quod frumentum dictus Soykinus vel sui successores infra abbatiam Ninivensem destinare tenebuntur suis custibus et expensis infra terminum ante dictum. Unde ad firmitatem solutionis praedictae faciendae et complendae, dictus Soykinus dictam Avezotam haereditavit in quatuor jornariis et dimidio terrae arabilis, sitae in duobus locis, tria jornaria et dimidium juxta *Scelekem Dalreputte*. Aliud jornarium situm est in medio campo, juxta viam quae tendit versus *Haltert*, de qua terra ipse Soykinus et sua uxor assumpto secum mamburno omni jure suo quod in dicta terra habere videbantur, se exfestucatione et trina werpitione exhaeredaverunt, ad opus dictae Avezotae secundum judicium et usum scabinorum praedictorum, quae terra dicto G. censualis est in tribus solidis et tribus gallinis, ad natale Domini annuatim solvendis; et istum censum dictus S. et sui successores tenebuntur solvere dictae Avezotae, et ipsa de manu sua iterum dictum censum solvere debebit dicto G., tanquam de sua haereditate. Porro dictam terram dictus S. vel sui successores tenebunt et excolunt tanquam suam, quamdiu dictum frumentum et censum solverint infra terminum antedictum. Sivero dictus Soykinus vel sui successores non solverent, quod absit, in termino superius sic expresso, nihil juris in perpetuum in eadem terra possiderent, sed libere et absolute dicta terra ad dictam Avezotam devolveretur. His omnibus rite et firmiter peractis, dicta Avezota in instanti dictum modium frumenti et terram praedictam et omne jus quod videbatur habere contulit et legavit in puram et perpetuam eleemosynam monasterio Ninivensi, se exfestucando trina werpitione et investiendo fratrem Balduinum conversum dicti monasterii, magistrum de *Scora*, praesentem existentem et recipientem eandem terram et dictum modium frumenti ad opus monasterii praedicti. Testium qui interfuerunt ista sunt nomina: videlicet Balduinus de *Capella*, *Raso*, frater *Gossini de Spieghelle*, *Johannes Clericus*, *Sygerus de Haga*, *Walterus de Buscho*. Item *Walterus dictus Stombe*, *Johannes de Bonterbeke*, *Henricus Waelraven*, *Henricus de Scoudebroec*, *Jacobus presbyter*. Item apud *Haltert* testes sunt isti: *Johannes de Velde*, *Lippinus Noddinai*, *Johannes de Vivario*, *Henricus Chacherart*. Datum anno Domini MCCLXXXII, mense Novembri.

Original, le sceau en cire verte endommagé de
Gérard est seul conservé.

CCLVII.

Francon Rathier, de Dender-Hauthem, et Mathilde, son épouse, donnent à l'abbaye, avec l'obligation d'en acquitter les charges, cinq journaux et dix-neuf verges de marais à Lebeke. — NINOVE.

—
1284.

Universis praesens scriptum visuris, Francho, dictus Rattier, de Houthem-Tenerae, et Maghtildis ejus uxor, salutem et notitiam veritatis. Noveritis, quod nos ob nostram nostrorumque salutem animarum, pari consensu contulimus monasterio de Ninive nomine purae atque perpetuae elemosynae quinque dietaria et novemdecim virgas, parum plus vel minus, paludis ad mensuram de *Houthem* jacentia apud *Lebeke*, terrae dictae ecclesiae sive dicti monasterii contigua, quae a domino Flandrensi comite hucusque tenuimus, sub annuo censu decem denariorum flandrensium et unius oboli, quem censum idem monasterium, eo quod res cum onere suo transeat, dicto domino comiti de caetero exsolvent; de qua collatione paludis praedictae dicto monasterio warandisiam plenam facere cupientes, si ipsum monasterium per calumniam vel molestationem quorumlibet futurorum vel praesentium dictam collationem nostram calumniantium vel molestantium dictae paludis possessione quietam et pacifica frui non posset, pro eadem obligavimus nomine pignoris et obligamus dicto monasterio bonarium terrae allodialis arabilis, sitae juxta ortum Henrici dicti *Moiere*, ad locum qui dicitur vulgari nomine *Terlinden*, prope publicam viam quae tendit a curia de *Rubroec*, versus Houthem-Tenerae. Quam terram volumus ut dictum monasterium quiete et pacifice possideat, donec idem monasterium ad fruitionem dictae paludis reduxerimus per quietam possessionem, postea dicta terra in manus nostras libere revertente. Praemissis autem interfuerunt vocati dominus Henricus, presbyter noster de *Houthem*, frater Johannes praepositus Ninivensis, Willelmus conversus magister, frater Henricus socius ejus. Item Gossuinus de *Warde*, Johannes *Witte*, Walterus de *Cambe*, scabini de *Houthem*, ut testes, Gossuinus *Blaubart*, Marcellus et alii quamplures. In cujus rei testimonium ego Franco praedictus, vice uxoris meae praedictae, sigillo proprio non utentis, una cum sigillo presbyteri praedicti sigillum meum duxi praesentibus apponendum. Actum anno Domini MCCLXXXII, mense Novembri.

Original, deux sceaux en cire verte endommagés.

==

CCLVIII.

Vidimus de la bulle du pape Urbain IV, donné par les abbés d'Afflighem et de Grammont. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1282.

Universis praesens scriptum visuris, Henricus, miseratione divina Haffliginiensis abbas, et eadem miseratione abbas S. Adriani de Geraldimonte, ordinis sancti Benedicti, Cameracensis dioecesis, salutem et noscere veritatem. Noverit vestra universitas nos audisse, vidisse et legisse privilegium Urbani, papae quarti, indultum ordini Praemonstratensi, quod continebat de verbo ad verbum per ordinem quae sequuntur, non cancelatum, non rasum, non oblitum, nec in aliqua sui parte vitiatum¹. Igitur ut veritas pateat universis, ad preces abbatis et conventus monasterii Ninivensis nostra sigilla praesentibus sunt appensa. Anno Domini MCCLXXXII, mense Aprili.

Cartulaire de Malines.

CCLIX.

Le chapitre de Nivelles et le chapelain Nicaise cèdent à l'abbaye onze journaux de terre à Arkenne, pour un cens annuel de treize rasières et demie de blé. — REINIRSART.

—
1282.

Capitulum ecclesiae Nivellensis et Nichasius, presbyter, perpetuus capellanus altaris B. Catharinae in ecclesia S. Andreae Nivellensis, cujus altaris dictum capitulum patronus existit, universis praesentes litteras visuris, salutem et cognoscere veritatem. Noverint universi, quod nos, considerata evidenti utilitate dicti altaris, undecim jornaria terrae vel circiter, sita in territorio d'Arkenne, spectantia ad dictum altare, haereditarie contulimus monasterio Ninivensi, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, tenenda in perpetuum pro tredecim rasiis bladi cum dimidia, reddendis capellano dicti altaris singulis annis in perpetuum, in festo beati Andreae. Quod universis et specialiter monasterio praedicto sub sigillis nostris significavimus. Datum anno Domini MCCLXXXII, mense Augusto.

Original, sceaux en cire verte, celui du chapitre est fortement endommagé.

¹ Voy. plus haut cette bulle du pape Urbain.

CCLX.

Renier, sire d'Arkenne, accorde à l'abbaye des droits sur le vivier de Rohignies. — REINIRSART.

1284.

A tous chiaus ki ches présens letres vieront et oront, Reniers, sires d'Arkenne, escuiers, salut et connoistre veriteit. Je sach à savoir à tous, ke jou, pour avoir part des biens fais et des orisons les religieux hommes, l'abbait et le covent de l'église Nienneves, pour l'arme de me père, de me mère et de mes anchisseurs, par le consent et par l'otroi ki à chou furent apeleit et assambleit : Jehan, maieur de Rohignies, Henri le Pesseur, Colai Lalemant, Jakemin dele Cambe, Gérard dou Masich et Robart le Corbisier, eschevins de Rohignies, signeur Remi, Jehan se fil, signeur Liebiert Masseit, frère Huon de le Vaul, Collai Pillerial, Oston le Monnier, Jehan Channial, Huon le Vial, Robiert le Pesseur, Henri le Couvreur, Colai Schevin, Jean le Carpentier, Severin, Jehan Centmars, Gérard Centmars et Rans Centmars, frères, Henri le Fevret, Jehan des Hossars, Jehan se fil et mout d'autres preudommes de che mimes liu, par lesquels on fait les besognes et l'utiliteit de le ville de Rohignies, ou les doit-on fer; leur ai donneit congiet et pooir à devant dis l'abbait et le covent par le conseil-maistre Jakemon de Wallehangh, chanonne de l'église de Nivelles, et Colart Buric de le Warde, escuier, ki à chou faire furent présent, de hauchier leur stanche¹ du grant vivier de Reniersart de chief en chief tant qu'ele s'estent, et dou tenir plain à point et à le mesure ke li hauteche at entre le huse et le ventele ki vat sour le moulin, et en manière ke les gens Renier devant dit de le Vaul et les autres gens de Rohignies poront poursivre le bos et le pasturage de chi à riu² dou devant dit vivier, si avant ke boien³ leur samblerat qu'il faire le voront et poront ens ou dit vivier, tant qu'il iert plains, et s'il avenoit ke li devant dit abbés et li covens vosissent leur vivier devant dit laier⁴ à sèches ou ahannéir, fer le puelent de chi à bonnes⁵ ki mis i furent un jour ki passés est, anchois ke ches choses fussent faites dont chis escriis parolent et nient plus avant. En tesmongnage de veriteit et pour chou ke ches choses soient fermes et estables, jou Reniers devant dis sires d'Arkenne ai as devant dis l'abbait et le covent de l'église de Nineves ches présens letres données, saielées de me propre saial awech les saials maistre Jakemon de Wallehangh, chanoine de Nivelles et Colai Buric devant dis, et jou, maistres Jakemes devant dis, ai à ces présens letres pendus me saial en tesmongnage de veriteit, et jou Colais devant dis, pour chou ke je n'ai point de saial, use-jou dou saial signeur Jakemon Thiebaut, chanoine de Nivelles. Ces choses deseure dites furent faites en l'an del incarnation Nostre-Signeur MCCLXXXIV, au mois de Novembre.

Original. sceaux détruits.

¹ Stanche, écluse, étang. | ² Riu, rive, ruisseau. | ³ Boten, bon. | ⁴ Laier, laisser. | ⁵ Bonnes, bornes.

CCLXI.

Des arbitres attestent que Jacques de Walchaing, chanoine de Meerbeke, a déchargé en leur présence l'abbaye de tous les procès qu'il lui avait intentés, notamment au sujet de quelques bonniers de terre situés à Arkenne.

— REINIRSART.

1284.

Universis praesentes litteras inspecturis frater Adam, canonicus Bonae-Spei, curatus ecclesiae de Seneffia, frater Georgius, praeceptor militiae templi domus de *Valionpont*, Jacobus de Montano vico, ecclesiae Nivellensis canonicus, Aegidius de Samma et Renerus, dominus de Arkenna, salutem et cognoscere veritatem. Notum sit universitati vestrae quod in nostri praesentia, nobis ad hoc vocatis et rogatis propter hoc constitutis, magister Jacobus de *Walchaing*, canonicus ecclesiae Nivellensis, fratre Aegidio de Hofstadio, canonico Ninivensi, procuratore virorum religiosorum abbatis et conventus ecclesiae Ninivensis praesente, quittas clamavit spontanea voluntate et remisit omnes actiones, causas et querelas dictis abbati et conventui, quas habebat seu habere poterat, ex quacumque causa, seu alius nomine suo, contra eosdem usque in diem hodiernum, et specialiter in quatuor bonariis terrae, parum plus vel parum minus, moventibus ex curia de Arkenna, olim assignatis seu assignandis in dotem capellaniae de *Rohingnies*, quarum etiam terrarum satisfactionem recepit dictus magister Jacobus a procuratore dictorum religiosorum, nomine dictae capellaniae, tanquam manburnus, si quod juris in eis dicta capellania habebat, habuerat seu habere poterat, et in duobus bonariis terrae arabilis uno bonario prati et dimidio, parum plus vel parum minus, moventibus ex eadem curia, libere et absolute conferens dictis abbati et conventui, per manus praedicti procuratoris, omne jus quod in dictis terris et pratis habebat, habuerat seu habere poterat, et promittens fide praestita corporali, quod contra praedictas quittas clamationem, remissionem et collationem per se vel per alium occulte vel aperte non veniet in futurum, renuntians etiam omni exceptioni, defensionis, juri et auxilio, quae possent in posterum eidem magistro Jacobo prodesse et dictis abbati et conventui obesse. In praemissis promisit etiam dictus canonicus quod, quam cito haeredes quondam domini Odrini militis fratris sui ad aetatem pervenire contingerent, eandem quittance quam fecit de praemissis facient et quittas clamabunt; ad quae facienda praedictus canonicus se obligavit per praesentes. In cujus rei testimonium nos praedicti Adam, frater Georgius, Jacobus de Montano vico, Aegidius de Samma et Renerus, dominus de Arkenna, ad requestam et supplicationem praedicti magistri Jacobi de *Walchaing*, sigilla nostra praesentibus una cum sigillo ipsius magistri Jacobi duximus apponenda. Datum anno Domini MCCLXXXIV, in vigilia Penthecosta.

Original, six fragments de sceaux en cire verte.

CCLXII.

Gilbert, curé d'Oultre, certifie que les biens qu'il a donnés à l'abbaye ont été exemptés formellement de toute servitude féodale par Gautier, sire de Pollar. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1285.

Universis *praesentis*¹ scriptum visuris, magister Ghiselbertus, praesbyter curatus de Outra, salutem in Domino. Noveritis, quod cum ego quintam garbam meam et censum annum ipsam concomitantem cum pertinentiis suis et juribus, quae tenebam de Waltero de Pollair, domino de Outra, in feudum, domino abbati et conventui monasterii Ninivensis vendere voluissem, et banni super hujus modi bonorum venditione prout juris est in ecclesia de Outra proclamati fuissent, personaliter accessi ad Walterum de *Pollar*, dominum de Outra, et eum attentius rogavi, quatinus pati vellet quod, amota servitute seu conditione feudali, praedicta bona ad dictum monasterium sub haereditaria possessione transferrentur. Unde dictus W., ob favorem monasterii me exaudiens, per iudicium hominum suorum feodaliū personaliter existentium, prius super hoc ab ipso rite monitorum, dicta bona feodalia de manu mea recepit cum werpitione ex festucali, et ea in manu Gerardi de *Boular*, ballivi sui, ad inhaerendum dictum monasterium in eisdem bonis reportavit, qui ballivus de mandato sui domini per iudicium scabinorum de Outra dictum monasterium in dictis bonis legitime inhaereditavit; et in una etiam pecia terrae jacentis super vivarium de Outra, sub annuo censu sex denarios flandrenses praedicto W. et successoribus suis dominis de Outra, in perpetuum ad natale Domini a dicto monasterio solvendos. Et haec fuerunt bene et legitime adhibitis solemnitatibus quae secundum legem et usum patriae in consimilibus fieri debuerunt. Homines feodati de Outra fuerunt isti: Walterus de *Belsbrouch*, Henricus Hallinc, Bonnetus de *Hasplaer*, Colinus de *Bouchoute*, et Petrus Tetanus. Item scabini qui interfuerunt sunt isti: Wedigo de *Lebeka*, Henricus dictus *Lanen Man*, et Aegidius de *Oesterzele*. In quorum testimonium praesentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXV, mense Januario.

Original, sceaux en cire brune endommagés.

CCLXIII.

Le sire d'Oultre, confirme la donation du curé Gilbert. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1285.

Universis praesentes litteras inspecturis Walterus de Pollaer, dominus de *Outre*, salutem. Noveritis quod cum magister Ghiselbertus, presbyter curatus de Outra, suam quintam garbam et

¹ *Sic, peut-être praesentis chartae.*

censum annum ipsam concomitantem cum pertinentiis suis et juribus, quae de me tenebat in feodum, domino abbati in conventui monasterii Ninivensis vendere voluisset, et banni super hujusmodi bonorum venditione, prout juris est, in ecclesia de *Outre* proclamati fuissent, dictus magister G. ad me accessit meque attentius exoravit, quod ego pati vellem quod, amota servitute seu conditione feudali, praedicta bona ad dictum monasterium sub haereditaria possessione transferrentur. Ego igitur ad favorem dicti monasterii, dictum magistrum G. exaudiens, in praemissis per iudicium hominum meorum feodaliū coram me personaliter existentium, prius super hoc a me rite monitorum, dictum feodum seu dicta bona feodalia de manu dicti magistri G. cum effestucali verpitione in manu mea recepi, et ea in manu Gerardi de *Boulaer* ballivi mei ad inhaerendum dictum monasterium ex parte mea in eisdem bonis reportavi, qui ballivus de mandato meo per iudicium scabiorum meorum de *Outre*, dictum monasterium in dictis bonis legitime inhaereditavit, et in una pechia terrae jacentis supra vivarium de *Outre*, quae fuit dicti magistri G., sub annuo censu sex denariorum flandrensium mihi et successoribus meis dominis de *Outre* in perpetuum ad natale Domini a dicto monasterio solvendorum. Et praemissa omnia facta fuerunt, bene et legitime adhibitis solemnitatibus quae secundum legem et usum patriae in consimilibus fieri debuerunt. Homines feodati mei qui interfuerunt sunt isti : Walterus de *Bettebrock*, Henricus Hallinc, Ronchus de *Asplar*, Colinus de *Bochoute* et Petrus decanus. Item scabini qui interfuerunt sunt isti : *Wedeghe de Lebeke*, Henricus, dictus *Lanenman*, et Aegidius de *Oesterzele*. In quorum omnium testimonium praesentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXV, mense Januario.

Original, sceau en cire verte.

CCLXIV.

Le comte de Viane confirme à l'abbaye la possession des biens qui lui appartiennent dans la seigneurie de Ninove et la lui garantit. — NINOVE.

Imprimée en latin dans Miræus, *Donat. Belg.*, lib. I, cap. CXXXIII, et dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCXXXIX.

1285.

Godefroes, cuens de Viane, à tous chiaus ki ches présentes lettres veront et oront salus. Cum il soit ensi ke li abbés de Ninive et li convent aient aquis à nous et à nous antecessurs et à autre gens dedens le seigneurie de Ninive, nos le confirmons à l'abbait et à convent de Ninive devandit, en queconque manire li abbés devant dis et li convent l'aient aqise, soit par achat u par amone, u par simple don, en terres hanaules, en bos, en preis, en ewes et en rentes, et en avons enconvent à warandir et à saver chu ki tienent maintenant et ont tenuit anchinement. Et pour chu ke cheste confirmations demure ferme et estaule, ensi ke deviseit est desure, et par l'assent de ma-

dame Aalis ma femme nous en avons doneit à l'abbait et à convent devant dit ches lettres, saillées de nostre saial, et ju dame Aalis conferme cheste confirmation, ensi ke deviseit est deseure. Che fu fait l'an del incarnation Nostre-Segnour MCCLXXXV, el mois de May.

Original, sceau en cire verte.

CCLXV.

Le sire de Seneffe renonce à toutes les prétentions qu'il avait formées sur la ferme de Reiniersart, propriété de l'abbaye. — REINIRSART.

A Seneffe, 1287.

A tous chiaus ki ces lettres veront et oront. Nos Watiers de Braine, chevaliers, sires de Seneffe, salut et connaissance de veriteit. Com il fust ensi ke nos clamissiens ¹ sor les masuiers de le court de *Reiniersart*, li quele cours et li queil masuier apartiennent à l'église de Nienneve, ki demeurent à par font rien sor hyretage de le devant dite court de *Reiniersart*, en le parroche de Seneffe, et quiddissiens ² avoir aucunes droitures, si com poulage, fourche en preit, moure à nostre molin, et autres choses ke nostre masuier, ki à lieu devant dit mainne, doivent à nos. Et nos ces choses vosissiens avoir as masuiers de le dite court de *Reiniersart*, par nostre signorie, pour chou ke li yretages muet ³ de nos et de nos ancisseurs, li abbés et li covens de Nienneve, à cui li cours de *Reiniersart* devant dite apent, se misent en contre et disent k'à choses devant dites à demander nos n'i aviens nul droit, si com nos avons bien apris, oit et entendut par predomes et par boins clers. Si ont projet à nos li abbés et li covens devant dit ke nos por Deu et por droit lors masuiers et lors droitures lor laissez-mes tenir en pais et sens nulle moleste; et nos, toutes ches choses considérées et regardées, reconnissons à le devant dite glise de Nienneve, ke nos en toutes les choses deseure escrites n'avons nul droit ne onkes n'euwismes, et pour chou ke nos soismes parchonnier des orisons et des bienfais de l'église de Nienneve devant dite, nos avons renonchiet à toutes les choses ke nos demandiens sor le devant dite glise ne sor lors masuiers devant dit, fust par forche fust par quecomques autres okisons, et tout le droit ke nos i avons ne avoir poons, nos lor quittons franchement à tenir et ne lor poons nul servage ne autre chose demandeir, fors ij s. et iij d. de Lovingnois, ke li cours de *Reiniersart* nos doit par an de rente, et ces deniers nos doivent-il paier chascun an à le feste saint Jehan Baptiste, et parmi chou sont-il quite de tout chou qu'il tiennent desous nos à Seneffe en nostre signorie, en bos, en preis, en terres, en aiwes, il et lor masuier devant dit, envers nos et envers nostres successeurs, ke nos ne autres de par nos ne lor poons rien demandier ne iaus ne lors masuiers, et lor devons faire avoir nostre eskevins et nostre maieur, toutes les fies qu'il en oront besoing por ayreteir et por désyreteir, à le requeste le maistre de le dite court de *Reiniersart* u d'autre persone ki venroit de par le glise de Nienneve; et por autre choses ausi, s'il besoing en avoient. Teile

¹ *Clamissiens*, réclamiens. | ² *Quiddissiens*, croyions. | ³ *Muet*, en lat. *movet*, dépend.

reconnaissance ke nos avons faite à le devant dite glise de Nienneve des choses deseure dites, avons-nos fait com sires poestiens¹ dou lieu, par l'otroi et le consentement nostre chière femme madame Jehanne, fille à connestable de Boulenois. Et pour chou ke ces choses deseure dites soient fermes et estables à tousjours, nos avons ces présens lettres données à l'abbait et al covent de le devant dite glise de Nienneve, saielées de nostre propre saial, ki furent faites et données à Seneffe, en l'an de l'incarnation Jhesu-Crist MCCLXXXVII, el mois d'Awoust.

Original, sceau en cire verte.

CCLXVI.

Marie, dame de Grimberge, et son fils déclarent qu'ils ont fait avec l'abbaye un échange de propriétés dans le bois de Rubroc. — NINOVE.

—

1287.

Ic Maria van Pirweis, vroue van Gremerghen ende van Ninive, ende ic Godevert hare ouste sone, grave van Viane, maken cont al den ghenen die dese lettren selen sien ende horen, dat wi hebben ghewisselt den abt van Ninive ende den covente tuee bunre bosch ende xlv roeden in den bosch van Rubroc, dat wi hen hebben ghepudt ende ghepaelt so dat ieghelyc tsine weet met den palen die ghesetd syn met onsen willecore in beeden siden. Ende ombe dat wi willen dat dese dinghe ghestade bliven, emmermer van ons ende van onsen oir, so hebbe wi dese lettren ghegheven den abt ende den covente van Ninive, beseghelt met onsen seglen, int jaer Ons Heeren MCCLXXXVII, omtrent achte daghe na sente Jhansdach, midden somere.

Original, deux sceaux en cire brune et verte, endommagés.

CCLXVII.

Vidimus et confirmation d'un contrat de vente par le comte Gui de Dampierre. — NINOVE.

—

1288.

Nous Guis, cuens de Flandres et marchis de Namur, faisons savoir à tous ke nous avons vues les lettres de nostre chier et foiaule dant² Eustasse, moine de Camberon, saines et entières en le

¹ *Poestiens*, seigneur de poosté. On donnait le nom de *Poesté* à toute réunion d'habitants jouissant de droits et privilèges avant l'établissement des communes.

² *Dant*, dam, dom, titre donné aux religieux, de *dominus*.

fourme ki ci après-s'ensuit : *Jou frère Eustaces, moines de Camberon, fach à savoir à tous ke je ai vendut à l'abbait de Nieveve et à son couvent, par le main Lamsin de Merlar, quatre cens verges de tière et sis gisans en le parroche de Ydderghem devant leur moulin de uwe, pour seze livres treze sols et quatre deniers de le mounoie de Flandre, des queils deniers je me tieng à bien paiïet en boene mounoie et bien contée par le tiesmoing de ces lettres saielées de men saiel, qui furent dounées en l'an de grâce MCCLXXXVI, le merkedi devant le nativiteit saint Jehan Baptiste. Et nous Guis, cuens de Flandres et marchis de Namur, devant noumeis, le vendage einsi k'il est fais, et toutes les choses einsi coume eles sunt desus escrites et devisées, loons, gréons, aprouvons et confremons, et les ferons tenir fermes coume sires de le tière, par le tiesmoing de ces lettres saielées de nostre saiel, faites et dounées en l'an del incarnation Nostre-Segneur MCCLXXXVIII, le mardi devant le annunciation Nostre-Dame, ou mois de March.*

Original, sceau en cire brune endommagé.

CCLXVIII.

Gautier de Pollar, sire d'Oultre, approuve une vente de terres faite à l'abbaye par Gérard de Schulfere, et les déclare libres de servitudes, tout en s'y réservant la haute et basse justice. — OULTRE ¹.

1288.

Ego Walterus de Pollaer, dominus de *Outre*, universis hoc scriptum visuris in perpetuum. Notum facio, quod cum viri religiosi Johannes, Dei providentia monasterii Ninivensis abbas, et ejusdem loci conventus emissent juste et legitime erga Gerardum dictum *Schulfere* de *Outre*, pro certa summa numeratae pecuniae eidem exsolatae, duo bonaria et viginti septem virgas paulo plus vel minus terrae arabilis ad mensuram de *Outre*, sitae in loco qui dicitur *Rubrouc*, et in districtu ac dominio meo de *Outre*, et cum de septem jornariis vel circiter praedictae terrae quintam garbam nomine census haereditarii habuissem, dictus Gerardus dedit mihi in concambium pro dicta garba unum jornarium et duodecim virgas vel circiter terrae arabilis, jacentis juxta portam meam apud *Outre*, pro qua terra remisi dictam garbam, exoneravi et liberam feci totam terram praedictam, de qua dicta garba mihi debebatur, quam terram etiam liberam feci ab omni jure quod in ea habebam vel habere debebam, praeter altam et bassam justitiam mihi ac successoribus meis retentam et praeter duos denarios flandrenses nomine annui et haereditarii census de dictis duobus bonariis et viginti septem virgis vel circiter mihi et successoribus meis debitos, et annuatim in natali Domini solvendorum, praeter quos denarios et justitiam praedictam, tam de septem jornariis vel circiter praedictis, quam etiam de jornario residuo, quod similiter liberum exstiterat et existit, nihil aliud

¹ Cette division n'existe point dans le cartulaire de Malines et paraît ici pour la première fois au dos des chartes.

omnino exigam super quibus omnibus dictis religiosis, abbati et conventui ac monasterio, promisi bonam warandisiam contra omnes ad jus et diem volentes venire, ad quam etiam warandisiam omnes successores meos quantum potui vel debui de jure obligavi. Praeterea dictos religiosos ac monasterium in tota terra praedicta ac etiam toto jure praemisso legitime haereditari et investiri feci per Gerardum de *Boenlaer*, ballivum meum, ac per scabinos meos de *Outre* subscriptos saepedicto Gerardo *Sculfere* totam terram praedictam cum omni jure quod in ea habebat in manus dicti ballivi mei reportante et festucali jactione renuntiante, adhibitis aliis solemnitatibus quae secundum legem et usum patriae in talibus solent ac debent adhiberi. Item notum facio quod, cum Henricus dictus *Koghe* dedisset seu contulisset dictis religiosis abbati et conventui ac monasterio eorumdem tria jornaria, parum plus vel minus, prati jacentis in loco qui dicitur *Viverbrouch*, in dominio meo in puram et perpetuam eleemosynam, ego tam hanc eleemosynam quam dictum contractum et omnia alia praemissa laudo, approbo et confirmo, salvis uno dimidio sextario avenae et uno capone mihi et successoribus meis, nomine annui ac perpetui census, de dicto prato a dictis religiosis abbate et conventu debitis et annuatim in natali Domini solvendis, et promisi etiam bona fide dictis religiosis quod contra praemissa seu aliquod praemissorum per me vel per alios quoscumque venirem vel attentarem nullo modo nec aliquid juris contra ea allegarem, salvis duntaxat justitia et censibus praedictis. Testes ad praemissa vocati fuerunt dominus Johannes, abbas praedictus, frater Gerardus, filius Johannis Barbitonsoris, subdiaconus Ninivensis, et frater Willelmus, conversus, magister curtis de *Rubrouch*. Item Colinus de *Asplaer*, Walterus de *Bettebrouch*, Woitinus de extra curiam, *Wedeghe* de *Liebeke*, Henricus, dictus *Hallinc*, Aegidius de *Oesterzele*. Isti omnes ut scabini, et Gerardus de *Boenlar* ut ballivus. Item, testes Gosuinus, dictus *Palmenare*, Thomas, dictus *Hoycart*, Aegidius, dictus *Hoycart*, et Henricus, dictus *Moyere*, ad quorum omnium testimonium et munimen ego Walterus de *Pollar*, dominus de *Outre* praedictus istam cartam dedi dictis abbati et conventui ac monasterio eorum, meo proprio sigillo sigillatam. Actum et datum anno Domini MCCLXXXVIII, mense Octobri.

Original, sceau en cire verte.

==

CCLXIX.

Érasme de Gavre et son fils approuvent et confirment la donation faite à l'abbaye d'une partie de pré, nommée Veroetmeersch.— AFFAIRES DIVERSES.

—

1288.

Ego Raso de Gavera, dominus de Liedekerke et de Breda, notum facio praesentibus et futuris, quod cum ob aeternam salutem quae in Christo est feliciter obtinendam, dominus Arnoldus, miles de Lombecca, castellanus, et uxor sua Machtildis, piaie moti devotionis affectu, bonarium prati et dimidium jornale aut circiter, quod pratum dicitur *Veroetsmerch*, quod jacet inter *Dornt* et *Spect*,

in perpetuam eleemosynam contulerint seu legaverint monasterio Ninivensi, quod pratum a me tenetur censualiter pro quinque denariis annuatim ad natale Domini solvendis, ad petitionem dictorum nobilium Ar. et M. ex una parte et monasterii praedicti ex altera, dictam eleemosynam approbo, laudo et appensione sigilli mei confirmo. Et ego Raso, dominus de *Boenlar*, filius domini Rasonis dicti de Gavere, domini de Liedekerke et de Breda, major natu, hanc praesentem confirmationem patris mei praedicti laudo et approbo, ac etiam sigilli mei eandem confirmationem duxi robore confirmandam. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Julio.

Original, deux sceaux en cire verte; celui d'Érasme de Gavre, le père, est fortement endommagé.

CCLXX.

Godefroi, comte de Viane, confirme la donation de six journaux de terre labourable, faite par Gilles de Puttere à l'abbaye de Ninove. — AFFAIRES DIVERSES.

1289.

Ego Godefridus, comes Viennensis, omnibus has litteras visuris et audituris in perpetuum. Notum facio, quod cum Aegidius, dictus Puttere, de *Leebeke* transtulerit in monasterium de Ninive, ordinis Praemonstratensis, sex jornaria et quadraginta virgas aut circiter terrae arabilis, jacentis in districtu et dominio de *Herlinchove*, in cultura jacente inter villam de *Outre*, et curtem de *Rubroc*; quam terram emerat idem Aegidius erga Petrum, filium quondam Colini de *Asplar*, ex qua quidem terra quinta garba et quidam census sive redditus debebantur annuatim dominae Mariae, dilectae matri meae, et successoribus ejus haereditario jure. Ego ob favorem quem religioni et praecipue dicto monasterio Ninivensi gero, dictam translationem omnimodis approbavi, et omne jus quod in dictis quinta garba ac censu sive reddito, quantuscumque fuerat, habui vel postmodum habere debui, dicto monasterio totaliter remisi, quitum clamavi et in perpetuum donavi, salvo tamen dominio meo et quodam censu haereditario, videlicet quatuor denariorum flandrensium de bonario annuatim in natali Domini Ninivensi domino solvendis. In cujus rei testimonium sigillum meum praesentibus litteris duxi apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Septembre.

Original, sceaux détruits.

CCLXXI.

Les échevins de Ledeberghe attestent que Marguerite de Hoesbeke et ses fils ont renoncé en leur présence à toute prétention qu'ils pourraient avoir sur les biens de Gautier Cardinal, leur grand-père, et qu'ils ont promis de ne jamais molester l'abbaye à ce sujet. — PAMELE.

—
1289.

Universis praesentes litteras inspecturis, scabini de *Ledeberghe* salutem et noscere veritatem. Noverint universi tam praesentes quam posteris, quod in nostra praesentia constituti, Margareta de Hoesbeka et quatuor filii sui Johannes, Aegidius, Paulus et Petrus omnem querelam vel calengiam, quam proposuerant, seu proponere intendebant, vel possent in posterum contra ecclesiam Ninivensem Praemoestratis ordinis ratione quorundam honorum mobilium, seu immobilium, quae quondam fuerant Walteri dicti Cardinalis, avi dictorum fratrum, quiti clamaverunt, renuntiantes penitus omni juri quod in eisdem nunc aut in posterum post mortem matris suae habere possent, ratione successionis in eisdem aut in aliis bonis, motis a praedicto avo suo, de quibus Ninivensis ecclesia posset postmodum molestari; promittentes fide et juramento interpositis contra dictam renuntiationem dictae calengiae vel querelae per se aut per alios consilio vel auxilio nullatenus contraire. De quibus praemissis omnibus precibus utrarumque partium inclinati, ad futurorum memoriam et praesentium litteris praesentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXIX, feria quarta post *Laetare Jherusalem*. Scabini et nomina eorum qui interfuerunt praemissis sunt hi: Gerardus, dictus *Storm*, Willelmus de *Berchem*, Johannes de *Ophem*, Walterus de *Fonte*, Johannes de *Vivario*; item alii, videlicet Henricus de *Mulhem*, Ivanus de *Volenbeke*, Gerardus de *Quercu* et alii quamplures fide digni. Datum, ut supra.

Original, sceau en cire verte endommagé.

CCLXXII.

Le sire d'Oultre approuve et confirme, comme seigneur du sol, la vente d'une pièce de terre sise à Oultre, acquise par l'abbaye de Gérard Brulant et de son frère Corneille. — OULTRE.

—
1289.

Ego Walterus de *Pollar*, dominus de *Oultre*, omnibus hoc scriptum visuris vel auditoris in perpetuum. Notum facio, quod viri religiosi domnus Johannes, Dei providentia Ninivensis monasterii

abbas, et ejusdem loci conventus, ordinis Praemonstratensis, acquisierunt titulo emptionis legitime erga Gerardum, dictum *Brulant*, de *Eyghem* et Cornelium fratrem ipsius sex jornaria partim terrae arabilis, partimque prati parum plus, jacentia in dominio meo de *Outre*, in loco qui dicitur *Eluinuenbergh*, pro viginti libris parisiensibus, eisdem venditoribus a dictis religiosis totaliter solutis, in quibus terra pratoque praedictis frater Petrus de Geraldimonte, canonicus ac pitantiarius Nivivensis, legitime haeredatus est sive investitus, nomine dictorum abbatis et conventus, et ad opus pitantiae eorumdem per judicium scabinorum meorum subnotatorum, a ballivo meo subnotato ad hoc rite submonitorum. Quo facto, dictus frater Petrus, vice dictorum abbatis ac conventus fungens, tradidit ac recognovit dicto Gerardo praedictas terram ac pratum tenendas sub haereditario censu quadraginta solidorum parisiensium, dictis religiosis infra quatuor dies natale Jhesu Christi proxime subsequentes finaliter et totaliter solvendum; qui census hoc anno infra quatuor dies natalis Jhesu Christi proximo venturos solvi incipiet, et deinceps singulis annis futuris infra praescriptum terminum a dicto Gerardo vel ejus haeredibus persolvi debet religiosis antedictis. In cujus census solutione si dictus Gerardus vel ejus haeredes infra dictum terminum defecerint, extunc ipsi in dictis terra ac prato nihil juris habebunt, dictique religiosi ad dictas terram ac pratum manum mittere poterunt, eisdem extunc perpetuo libere fruituri. Simili quoque modo saepedicti religiosi abbas ac conventus acquisierunt titulo emptionis legitime erga Gerardum filium Addae de *Eyghem* et Aegidium fratrem ejus, sex jornaria vel circiter partim mansorum cum omnibus sitibus suis partimque terrae arabilis sitae retro ipsos mansos, quos quidem mansos ac terram dicta mater eorum antea tenuerat, jacentes in dominio meo de *Outre* praedicto, pro triginta libris parisiensibus eisdem fratribus a dictis religiosis seu nomine ipsorum exsolutis a pitantiario praedicto, in quibus mansis ac terra praedictis saepe dictus frater Petrus nomine dictorum abbatis et conventus et ad opus pitantiae eorumdem legitime haeredatus est sive investitus judicio scabinorum meorum inferius nominatorum a ballivo meo subnotato ad hoc rite submonitorum secundum legem et usum patriae et loci, adhibitis etiam tam in isto contractu quam in alio superius expresso renuntiationibus et solemnitatibus quae solent ac debent in talibus adhiberi. Quibus ita factis, tradidit ac recognovit dictus frater Petrus, vice dictorum abbatis ac conventus fungens, dicto Gerardo filio Addae praedictae dicta sex jornaria vel circiter mansorum ac terrae praedictorum tenenda sub haereditario censu trium librarum parisiensium in purificatione beatae Virginis singulis annis dictis religiosis totaliter solvendarum, ita quod, si ipse Gerardus vel haeredes ipsius dictum censum dicto termino non solverint, extunc nihil juris in dictis mansis et terra de caetero habere debebunt, et dicti religiosi dictis mansis ac terra velut suis bonis propriis gaudebunt. Primus autem terminus solutionis dicti census incipiet hoc anno, scilicet in purificatione proximo sequenti, ac deinceps annis singulis futuris termino praenotato dictis religiosis a dicto Gerardo vel ejus haeredibus persolvi debet. His autem contractibus praenominatis interfuerunt videlicet Gerardus de *Boulur*, famulus meus, ut ballivus, Colinus de *Asplar*, Oliverus de *Ertbrugghè*, Woytinus de *Opstalle*, Wedegha de *Lebeke*, et Walterus de *Betsebrock*, ut scabini de *Outre*. In quorum omnium testimonium et in signum approbationis necnon confirmationis eorumdem, ego Walterus de *Pollar*, dominus de *Outre*, praedictus, sigillum meum duxi ut dominus superior praesentibus litteris apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Julio.

Original, sceau en cire brune.

CCLXXIII.

Le sire de Liedekerke donne à l'abbaye divers revenus pour la fondation d'une chapellenie dans l'église paroissiale de Liedekerke. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1289.

Ego Raso de Gavera, dominus de Liedekerke et de Breda, omnibus hoc scriptum visuris in perpetuum. Noverint universi tam praesentes quam posteri, quod ego ob mei dilectaeque uxoris meae Margaretae memoriam salutarem, contuli libere et absolute Ninivensi ecclesiae, Praemonstratensis ordinis, ad opus capellaniae, deservendae in ecclesia parochiali de Liedekerke per aliquem de canonicis Ninivensis ecclesiae, decem libras flandrenses novorum, bonae et usualis monetae, annuatim recipiendas de primis redditibus pervenientibus ad castrum de Liedekerke, ad natale Domini singulis annis, ita quod praedictae Ninivensi ecclesiae de decem libris praedictis sit semper penitus satisfactum. Item, omnem decimam meam, et quintam garbam quam hucusque recepi inter *Oestgat* et *Bacrem*, scilicet in his locis de sex dietariis terrae Ninivensis supra *Huene*, decimam de uno bonario supra molendinum ecclesiae Ninivensis, decimam de tribus dietariis vel circiter de terra quondam *Wicards*, decimam de dietariis et dimidio haeredum Michaëlis de *Bacrem*, item de dimidio dietario eorumdem, decimam de dimidio bonario pauperum de *Okenghem*, decimam de dimidio bonario filiae Willelmi *Chammels*, decimam de dimidio bonario et dimidio dietario haeredum Willelmi dicti *Heins*. Item de dimidio bonario *Brekepots*. Item de sex dietariis terrae Ninivensis ecclesiae quintam garbam et decimam, ita quod ista decima et quinta garba de locis omnibus praedictis aestimata est ad valorem quadraginta solidorum flandrensium novorum, excepta tertia garba decimae quam habet in praedictis locis omnibus curatus de *Lewes*. Et ut dicta collatio maneat rata cum effectu, praesentem cartam sigilli mei robore dignum duxi roborandam. Item, ego Razo, dominus de *Boenler*, major natu in filiis dilectissimi patris mei praedicti, de Liedekerke et Breda domini, dictam collationem et donum approbo, laudo et confirmo testimonio et appensione sigilli mei praesentibus his annexi. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Martio.

Cartulaire de Malines.

CCLXXIV.

*Marie, comtesse de Viane, confirme à son tour la donation de Gilles de Puttere*¹. — AFFAIRES DIVERSES.

—
1289.

Ego Maria, comitissa Vyennensis, domina de Grimbergis et de Ninive, omnibus has litteras inspecturis et audituris in perpetuum. Notum facio, quod cum Aegidius, dictus *Puttre* de *Leebeke*,

¹ Voir la charte n° CCLXVIII.

sex jornaria et quadraginta virgas, parum plus vel minus, terrae arabilis jacentis in districtu et dominio meo de *Herlinghoves*, in cultura sita inter villam de *Outre* et curtem *Rubroch*, paulo inferius versus ipsam villam de *Outre*, per cujus terrae partem semita quaedam protracta est, quae a dicta villa de *Outre* recto tramite tendit versus curtem *Rubroch* praedictam, quam terram idem Aegidius emerat erga Petrum, filium quondam Colini de *Asplar*, in qua terra quintam garbam jure haereditario habui et censum sive redditum quemdam mihi cum ipsa garba annuatim debitum in monasterium de Ninive transtulerit, noveritis quod ego ob favorem quem religioni et praecipue dicto monasterio gero, dictam translationem approbavi et ratam habui. Insuper dictam garbam et censum sive redditum praedictum, qualiscumque seu quantuscumque fuerit, dicto monasterio ac conventui ejus remisi, quitam sive quitum clamavi ac in perpetuum donavi sub annuo censu in natali Domini solvendo in hunc modum, scilicet de bonario quatuor denarios flandrenses, et sic de reliqua parte terrae praedictae reliquam partem census estimandam. In cujus rei testimonium sigillum meum duxi praesentibus litteris apponendum; ego etiam Philippus de *Vyennes* dictam translationem ratam habens, sicut dicta domina mater mea, dictam garbam cum censu sive reddito praedicto debitam dicto monasterio remisi ac donavi modo praedicto, et in hujus rei testimonium etiam sigillum meum his litteris appendi. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Augusto.

Original, le sceau de Marie, en cire brune, est seul conservé.

CCLXXV.

Le chevalier Jean de Liedekerke déclare que l'abbaye a acheté des frères Gérard et Gilles d'Eyghem une maison et un verger qu'elle leur a cédés ensuite à charge d'un cens annuel; le chevalier confirme la transaction comme seigneur de la terre. — WOLFUTE.

1289.

Ego Johannes de Liedekerke, miles, tenens dominium de *Apeltren* et de *Eyghem*, universis hanc paginam inspecturis in perpetuum. Notum facio quod viri religiosi abbas et conventus de Ninive, ordinis Praemonstratensis, emerunt legitime erga Gerardum et Aegidium fratres, filios Addae de *Eyghem*, pro decem libris parisiensibus eidem a dictis religiosis exsolutis, videlicet mansum unum cum pomerio adhaerenti et cum toto situ suo, jacentem contra atrium de *Eyghem*, et unam peciam sive particulam prati jacentem in loco qui dicitur *Langbroch*, in quibus quidem manso ac prato frater Petrus de Geraldimonte pitantiarius Ninivensis legitime fuit investitus, sive haereditatus, nomine dictorum abbatis et conventus et ad opus pitantiae eorundem per judicium scabinorum de *Apeltren* et de *Eyghem* inferius nominatorum a villico subnotato ad hoc rite submonitorum, adhibitis renuntiationibus et solemnitatibus debitis et consuetis. Quibus ita factis, dictus frater Petrus,

vice dictorum abbatis et conventus tradidit et recognovit praefato Gerardo, filio Addae praedictae, praedictum mansum et pratum sub haereditario censu viginti solidorum flandrensium, ad proximum natale Domini ac deinceps singulis annis futuris ad dictum natale Domini dictis abbati ac conventus a dicto Gerardo aut ejus haeredibus totaliter solvendorum, ita quod, si ipse G. vel haeredes sui defecerint in solutione dicti census termino praenotato, ex tunc dicti abbas et conventus manus suas mittere poterunt ad dictum mansum et pratum tanquam ad suam legitimam haereditatem, dicto Gerardo vel haeredibus suis aut aliis quibuscumque ex tunc nihil juris in dicta haereditate habituris. Praemissis omnibus interfuerunt Petrus, dictus decanus, ut ballivus, Johannes de *Cromphout*, ut villicus, Walterus de *Nokerstocke*, Johannes *Wandel*, Johannes, filius Cornelii, Johannes de *Elst*, Henricus de Piro et Johannes de *Dilebeke*, ut scabini. In cujus rei testimonium et approbationem, ego Johannes, miles praedictus, tenens dominium praedictum, duxi sigillum meum praesentibus litteris apponendum. Datum anno Domini MCCLXXXIX, mense Julio,

Original, sceau en cire verte.

CCLXXVI.

Le sire de Liddekerke et de Breda déclare que l'abbaye a acheté plusieurs parties de terre de Jean Vander Beken, et qu'elle les lui a rendues après pour un cens annuel. — ROUSLAER.

1290.

Ic Rase here van Liddekerke, van Boular ende van Breda, ende vrou Allise mijn wijf, maken cont allen den ghenen die dese lettren selen sien ende horen lesen, dat Jan dabt van Ninive ende sijn convent hebben ghecocht tien dachwant scoeflants, over twe buijnre vrijs erves, gheleghen in onse heerscap van Asplar, jeghen Janne Vander Beken om dertech pont niewerpenninghe; de welke penninghe Janne Vander Beken wel vergouden sijn te sinen wille, int welc erve dabt van Ninive ende sijn convent sijn gheervet bi onsen consente ende bi onsen wille, bi wette, bi wijsdoeme, ende bi vonnesse van scepenen van Asplar: van welken erve men hout twe buijnre, van den vorseiden Janne te tsense, elc buijnre om viertien penninghe niewe, ende omtrent een dachwant ende een half van Gillise van den Borcheline om de drie deel van ere ¹ viertelen evenen ende, om enen tornoisenn penninc ende van den abt van Geroutsberghe men dan een halfdachwant om alse sulken tseens alser hute gaet, ende dit erve hevet bekent ende ghegheven dabt van Ninive ende sijn convent Janne Vander Beken ende sinen oer, tenen jarliken tsense van drien ponden niewer vlaemsche; ende om den tseens die voere ghenoeft es jaerlijcs vergouden te sine in Palmesondaghe ofte dsabs ents convents ghemuede der ave alselcs paiments alse ghinghe ende ghave sal sijn telken

¹ Peut-être enc.

paimente int lant van Aelst, ende ware dat sake dat Jan of sijn oer dese tente ende den tseens die ute den lande ghaet niet ne goude ten daghe die ghenoeft es, so soude dabt van Nieneve ende sijn convent hantslaen an dit vorseide lant, alse an hare erve, met allen vruchten diemenre up vonde, ende dit erve es ghelegghen in desen sticken : in de coutre then Hake j halbunre, lettelt men of meer; ter Catbeken een halbuynre of daeromtrent; een dachwant ende een half lettelt min of meer neven deke Haghe, ende omtrent vijf dachwant neven sijn hues in de coutre t'Asplar weert. Ende ware dat sake dat an al dese sticken iet ghebrake emmer eist Jan schuldech te veldoene die ghebreken in de coutre te sinen waert daer de vijf dachwant in ghenoeft sijn emmer tien dachwant scoeflants over twe buynre vries erves. En om dat wi willen dat dese chartre vast si ende wel ghehouden, heb wine gheseghelt met onsen seghelen; den abt ende sinen convent van Nieneve ende waerscap ghelovet, alse goet here over dese sticken waren Gillijs Spikinc, alse onse knape, ende Gherart de meier van Hasselt, ende onse scepenen van Asplar, Heinrec van den Apeltre, Jan Calais, Wouter Soete, Heinrec van Ophem, Jan de Clerc, Jan Vander Haghen ende Woutre van Hegie, ende ander goeder liede vele. Int jaer ons Heren MCCXC, in de maent van Meie.

Original, sceaux en cire verte, le premier endommagé.

CCLXXVII.

Sohier de Braine, sire de Seneffe, reconnaît qu'il n'a aucun droit à des servitudes quelconques sur la ferme de Reinirsart, et déclare qu'il renonce d'avance à toute prétention sur ce point. — REINIRSART.

1290.

Nous Sohiers, dis de Braine, chevaliers, sires de Seneffe, faisons savoir à tous chiaux ki ces lettres veront et oront, ke nos de nostre greit et de nostre spaingne (?) volenteit en tens et en lieu ke faire le poons, reconnissons et affermons ke nos n'avons nul droit ne onkes n'euwismes ens ès demandes, ne ens ès calenges ke nos faisens et faire poiens encontre religieux homes l'abeit et le covent de Nienneve, sor lor maison de Reniersart et lors masuiers de *Perfontriu*, si com en deman-deir contre iaus cerkemanage, poulage¹ à dis masuiers, fourche en preit², moure³ à nostre moulin, faire corvées u autres services, quel qu'il fuissent; et se nos nul droit avons ne onkes euwismes, ne avoir poismes ens ès choses devant dites, nos le quittons à devant dit abeit et covent et lor donnons par Deu et en ausmoune por faire lor volenteis en toutes les manières qu'il lor plaira. Si lor loons, gréons et otroions tous les poins et toutes les choses ki sont contenues en ceste présente

¹ *Poulage*, redevance en poulets.

² *Fourche en preit*, obligation qu'avaient certains tenanciers de fournir *fourche* et *râteau* pour la récolte du foin.

³ *Moure*, moudre.

chartre, parmi le quelle nostre présentes lettres sont enfichiés. Si avons encovent par foit fianchié ke mais par nos ne par autrui de nulle des choses ki sont contenues en ces présentes chartres ne lor ferons débat ne calenge, mais les tenrons à tous jours fermes et estables. Si prions à noble dame et sage madame Mahaut, castellaine de Bruxelles, et à noble damoisial Gérard de Marbais, fil à ledite castellaine, des quies nos tenons nostre fiet de Seneffe, qu'il toutes les choses ki sont contenues en ces présentes chartres loent, gréent et otroient à dis religieux, et pendent lors saials à ces présentes lettres en signe de confirmation, avec le nostre saial, le saial Jakemin nostre frère, escuier, et avec les saials de lor homes Buenon Bousart et Jehan Dytrene. Et nos li devant dite Mahaus et Gérars, por chou ke nos soions parechonier des orisons des dis religieux, loons, gréons et consentons toutes les choses ki en ces présentes chartres sont contenues, et i avons pendus nostre saials avec les saials ledit Soihier, Jakemin son frère, Buenon et Jehan devant nomeis, et jou Jakemins devant dis i ai pendut mon saial en signe de tesmoingnage et de gréance, et nos Buenes et Jehans devant dit i avons mis nostre saials, si com home à devant dis madame Mahaut et Gérard son fil. Che fut fait en l'an de grasse MCCXC, ou mois d'Awoust.

Original, six sceaux en cire brune endommagés.

CCLXXVIII.

L'archidiacre de Cambrai, Bethon, ordonne à l'abbé de Grammont de faire une enquête sur les biens dont l'abbaye de Ninove et l'église de St-Martin à Mons se proposent de faire un échange. — LOETHS.

1291.

Magister B., archidiaconus Antwerpensis, in ecclesia Cameracensi, dilectis suis et fidelibus viro venerabili et discreto domino abbati Geraldimontensi, decanoque christianitatis ejusdem loci, salutem in Domino et sempiternam. Cum, prout intelleximus, ecclesia Ninivensis et ecclesia S. Martini Montensis, quaedam jura personatus, terras et proventus exinde provenientes sive redditus, in quibuscumque consistant, sibi invicem intendant in perpetuam emphytheosim permutare, mandamus vobis quatenus ad locum in quo dicta bona sita sunt accedentes, super valore eorumdem et utrum in profectum utriusque cedat ecclesiae diligenter inquiratis. Quam inquisitionem a vobis factam et in scriptis redactam nobis Cameraci infra festum beati Andreae remittatis, sub sigillis vestris fideliter interclusam. Ita tamen quod litterae vestrae patentes remaneant domino episcopo Cameracensi breviter, cum venerit, ostensurae. Datum anno Domini MCCXCI, dominica post Dionysium.

Cartulaire de Malines.

CCLXXIX.

Enquête exécutée par l'abbé de Grammont et autres, d'après l'ordre qui précède. — LOETSH.

—
1291.

Viro venerabili ac discreto domino B., archidiacono Anwerpiensi, in ecclesia Cameracensi, Thomas, Dei patientia abbas de Geraldimonte, necnon Johannes, decanus loci ejusdem, presbyter curatus de *Flinghem*, salutem et obedientiam in mandatis. Noverit vestra discretio, quod nos, secundum formam vestri mandati, videlicet anno Domini MCCXCI, in die beati Clementis, martyris, personaliter accessimus ad ecclesiam de Fordis et de bonis patronatus, terris et redditibus et juribus universis, quae spectare noscuntur ad ecclesiam Montis S. Martini, et utrum permutatio emphytheosis perpetuae inter ecclesiam de Ninive ex una parte, et ecclesiam Montis S. Martini praedictam utrique expediat, inquisivimus diligenter. Unde dominus Johannes, presbyter curatus de Fordis, primus testis super his requisitus, sub suo juramento dicit quod jura patronatus, terrae et proventus inde pervenientes et redditus valent annuatim quadraginta libras parisienses, communiter aestimando, prout Ninivensis ecclesia ecclesiae Montis S. Martini se obligavit se in perpetuam emphytheosim annuatim; requisitus insuper dicit sub suo juramento permutationem emphytheosis utrique ecclesiae cedere ad profectum. Dominus Henricus, capellanus ibidem, secundus testis, requisitus sub suo juramento, concordat in omnibus articulis cum presbytero antedicto, dicens et dictam emphytheosim utrique ecclesiae expedire. C. Gossuinus, dominus de Fordis, tertius testis, sub suo juramento dicit quod bona omnia et singula, prout spectant ad patronatum ecclesiae de Fordis, valent annuatim quadraginta libras parisienses, communi aestimatione. Dicit et quod emphytheosis permutatio utrique ecclesiae expediat. Aegidius, major villae praedictae, concordat in omnibus cum presbytero antedicto: requisitus sub suo juramento, utrum emphytheosis permutatio utrique ecclesiae expediat, dicit quod sic. Custos ecclesiae de Fordis, requisitus sub suo juramento, dicit quod permutatio emphytheosis utrique ecclesiae expedit, sicut clamat communis fama totius villae ubi bona consistunt. Gerardus de *Wassenhove*, clericus, sub juramento requisitus, concordat in omnibus cum testibus antedictis. Gerardus de *Hagha*, Johannes *Faber* et Petrus de *Nederwic*, scabini de Fordis, jurati et requisiti diligenter, dicunt permutationem emphytheosis utrique ecclesiae expedire. Requisiti insuper de valore bonorum, dicunt bona patronatus et jura universa ejusdem valere quadraginta libras annuatim Parisi monetae. Item, communis fama villae praedictae et viciniae, ubi praedicta consistunt bona, clamat vulgariter dictae emphytheosis permutationem utrique ecclesiae cedere ad profectum, quod nobis praesentibus litteris sigillis nostris roboratis, studuimus intimare. Datum anno et die praedictis.

Cartulaire de Malines,

==

CCLXXX.

L'archidiacre Bethon approuve, au nom de l'évêque de Cambrai, l'échange qui a donné lieu à l'enquête précédente. — LOETHS.

—
1291.

Universis praesentes litteras inspecturis, magister Betho, archidiaconus Antwerpiensis, in ecclesia Cameracensi, vicarius reverendi in Christo patris domini Guillelmi, Dei gratia Cameracensis episcopi, salutem in Domino sempiternam. Cum nos per venerabilem virum et discretum dominum abbatem Geraldimontensem, decanumque christianitatis ibidem, inquisitionem fieri fecerimus super valore quorundam bonorum juris personatus et proventuum, sitorum in parochia de Fordis, quae ecclesia Ninivensis et ecclesia S. Martini Montensis sibi invicem in perpetuam emphytheosim permutarunt, publicataque inquisitione praedicta omnia invenerimus rite acta, dictamque permutationem emphytheosis utrique ecclesiae expedire, eandem permutationem auctoritate praedicti domini nostri Cameracensis in remotis agentis roboramus, laudamus, et quantum in nobis est, confirmamus praesentium testimonio litterarum. Datum anno Domini MCCXCI, in die beati Andreae, apostoli.

Original, sceau en cire verte.

CCLXXXI.

Guillaume, évêque de Cambrai, consent à nommer des religieux de l'abbaye à la cure et à la chapellenie de Voorde, à condition qu'ils ne blessent en rien ses droits ni ceux de l'archidiacre. — LOETSH.

—
1292.

Guillermus, Dei gratia Cameracensis episcopus, dilecto filio suo abbati monasterii seu ecclesiae Ninivensis, Praemonstratensis ordinis, Cameracensis dioecesis, salutem cum dilectione sincera. Placet nobis quantum in nobis est, quod quamprimum parochialem ecclesiam de *Vordes* et capellaniam loci ejusdem Cameracensis dioecesis, quae ad vestram collationem seu praesentationem pertinere noscuntur, per mortem vel liberam resignationem Johannis, nunc rectoris dictae parochialis ecclesiae, et Henrici, capellani capellaniae praedictae, vel alias quocumque modo legitimo vacare contigerit: quod tam ad dictam parochialem ecclesiam quam capellaniam, canonicos ecclesiae seu monasterii vestri praedicti idoneos, de quibus videritis expedire, praesentare possitis, et etiam si

volueritis praesentatis : hoc ad praemissa specialiter intellecto, quod canonici praedicti, quos per vos ad easdem ecclesiam de *Vordes* et capellaniam loci ejusdem praesentari contigerit, cum admissi fuerint ad easdem, in omnibus juribus nobis et archidiacono loci debitis nobis et eidem archidiacono ac nostrae jurisdictioni sicut rectores et capellani seculares ecclesiarum parochialium et capellaniarum nostrae dioecesis, in omnibus et per omnia obnoxii maneant et adstricti. In cujus rei testimonium praesentibus litteris sigillum nostrum duximus apponendum. Datum anno Domini MCCXCII, in festo assumptionis beatae Mariae Virginis.

CCLXXXII.

Érasme de Gavre et son épouse donnent à l'abbaye vingt-huit bonniers du bois d'Espouth. — LIEDEKERKE.

1292.

Imprimée dans les preuves du tom. II des *Annales ord. Praem.*, col. CCCXL.

Original, le sceau d'Alice en cire verte est seul conservé.

CCLXXXIII.

Vidimus et confirmation donnés par le comte Gui de Dampierre de la charte précédente. — LIEDEKERKE.

1292.

Guido comes Flandriae et marchio Namurcensis, universis Christi fidelibus ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem in Domino. Noveritis quod nos litteras dilecti et fidelis nostri, Rasonis de Gavera, domini de *Liedekerke* et de *Breda*, et Alisiae uxoris ejus vidimus in haec verba, vitio et suspicione carentes : « In nomine sanctae et individuae Trinitatis, ego Rasso de *Gavere*, dominus de *Liedekerke* et de *Breda*, et Allisia uxor mea, omnibus hoc scriptum visuris, salutem in Domino. Notum sit tam modernis quam posteris, quod, ob aeternam quae in Christo est salutem feliciter consequendam, contulimus religiosi viri abbati et conventui monasterii Ninivensis, in puram et perpetuam eleemosynam, viginti et octo bonaria nemoris aut circiter, cum omnibus pertinentiis suis, quod

nemus dicitur *Esphout*, et contiguum jacet nemori monasterii praedicti juxta viam quae se extendit de *Liedekerke* versus *Ledeberghe*, in quo nemore dictos religiosos inhaeredavimus legitime coram scabinis nostris inferius nominandis, adhibitis solemnitatibus quae in hujusmodi inhaeredatione solent adhiberi; mediantibus duodecim denariis flandrensiū novorum nobis et nostris successoribus solvendorum ad natale Domini censualiter annuatim, quam eleemosynam et collationem petimus et supplicamus, nos praedicti R. et A., a vobis, nobilis princeps comes Flandriae et marchio Namurcensis, roborari, ratificari et per vestras litteras patentes confirmari in robur et evidentiam perpetuae firmitatis. In cujus rei memoriam praedictis religiosi praesens scriptum contulimus sigillis nostris roboratum. Actum apud *Liedekerke*, coram scabinis nostris, videlicet Soikino de *Lewes*, Ivano de *Lewes*, Thoma de *Landuyt*, Jacobo Fabro, Ingelberto Carnifice et Arnouldo, dicto *Lokebout*, anno Domini MCCXCII, mense Junio. » Unde nos Guido, comes Flandriae et marchio Namurcensis, ad preces dictorum feodalium nostrorum dictam collationem et eleemosynam per appensionem sigilli nostri roboramus et confirmamus. Datum anno Domini MCCXCII, mense praedicto.

Cartulaire de Malines.

CCLXXXIV.

Testament d' Alice, dame de Liedekerke. — LIEDEKERKE.

1294.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. Ego Alicia, domina de *Liedekerke* et de *Breda*, compos mentis meae et cupiens providere saluti animae meae, proborum usa consilio, de libera voluntate mea, et hortatu dilecti mariti mei Rasonis de Gavera, domini de *Liedekerke* et de *Breda*, de consensu quoque filiorum meorum, Rasonis natu majoris et Philippi, testamentum meum seu voluntatem meam condo, ordino ac facio in hunc modum. In primis igitur lego et relinquo, nomine testamenti, conventui monialium de Belloprato, ordinis Cisterciensis, unum modium avenae annuatim, apud quos moniales eligo meam sepulturam, salvo in omnibus jure parochialis ecclesiae. Item lego conventui dictarum monialium curram meam. Item lego conventui monachorum sancti Adriani in Geraldimonte unum modium avenae. Item conventui de Ninive modium avenae ad opus pitanciae annuatim, quos tres medios dictis conventibus assigno ad redditus meos apud *Boular*, capiendos ad natale Domini et singulis annis in perpetuum exsolvendos. Item lego capellae de *Boular*, quinque solidos et capellano ibidem quinque sol. Item pauperibus de *Overboular*, v sol. Item pauperibus de Inferiori *Boular*, v sol. Item pauperibus de *Defhtinghem*, v sol. Item pauperibus de *Flusinghem*, v sol. Item pauperibus de *Ydinghem*, v sol. Item ecclesiae de *Scendelbeke*, xx den. Presbytero curato ibidem, xx den. et pauperibus ibidem, xx den., pro anniversario meo faciend. Item ecclesiae de *Smerhabe*, xx den. Curato ibi xx den., et pauperibus ibidem xx den. similiter pro anniversario meo faciend. Item pauperibus de *Onkersele*, v sol. Item pauperibus de *Wartbeke*, v sol. Item pauperibus de *Niewenhove*, v sol. Item pauperibus de *Asplar*, v sol. Item pauperibus de *Ophasselt*,

Том. II.

122

v sol. Item pauperibus de *Liedekerke*, v sol. Item ecclesiae de *Liedekerke*, ad opus fabricae, v sol. Item pauperibus de *Leve*, v sol. Item pauperibus de *Lumbeke*, v sol. Quos omnes et singulos solidos personis ac locis praedictis assigno super pratum meum apud *Boular*, annuatim et in perpetuum in nativitate beati Johannis Baptistae recipiendos. Item lego cuilibet sacerdoti, in locis seu villis praedictis manenti, quinque sol. in die funeris mei. Item tribus fratribus Ninivensibus apud *Liedekerke* commorantibus, videlicet cuilibet eorum decem sol. torn. Item fratri Aegidio de Lovanio decem sol. parisienses in die obitus mei. Item plebano de *Leve*, vi sol. torn. Item presbytero de *Lumbeke*, v sol. et socio suo, v sol. Item capellano de Curia, v sol. Item cuilibet capellano manenti in Geraldimonte, v sol. torn. Item curato ibidem xx sol. torn. Item cuilibet custodi omnium villarum praedictarum duos sol. torn. Item lego hospitali in Geraldimonte unum latum lectum et duo lata linteamina cum uno albo culcitro. Item leprosis ibidem unum bonum lectum et duo linteamina. Item hospitali de Viana unum meliorem lectum de parvis lectis et duo linteamina. Item hospitali de Nive parvum lectum de melioribus et duo linteamina cum uno sargio. Item hospitali in *Alost*, xx sol. torn. Item domicellae *Ydes* vestes meas mixtas et unum sarcotium blodii coloris cum uno caputio forrato de *cameloth*¹. Item domicellae Margaretae meas vestes mixtas de parura integraliter. Item Clementiae unum viride *wardecors*² forratum. Item Margaretae, ancillae meae de *Boular*, unum blodium *warandecors*. Item Margaretae ancillae mae de *Liedekerke*, pellicium meum de cuniuo et quatuor ulnas linei panni. Item *Heyle Cende*, quatuor ulnas linei panni. Item Goskino senescaldo unum lectum, et uxori suae mantellum meum deterius. Item communi familiae meae mihi servienti duodecim lib. par., qui aliquid speciale non habuerit dividendas inter dictam familiam de consilio executorum meorum. Item Aliciae sorori meae xx sol. Item fratri Waltero de Hameyda, v sol. Item Aegidio dicto *Smeth*, unum lectum et duo linteamina. Item cuidam nomine Saris duos sol. Item Petro *Ocre*, xx sol. Item fratribus minoribus in Bruxella mantellum meum bonum de vario subtili et duas cappas meas, unam de sindone et aliam de grisio. Item lego dictis fratribus coopertorium meum bonum de vario subtili, de quibus peciis jamdictis volo quod frater Daniel de *Houdenake*, habeat specialiter xx sol. par., frater Yvanus, x sol. par. et frater Gerardus de *Rurmunde*, x sol. par. Haec omnia lego dicto conventui Bruxellensi ut anniversarium meum de caetero ac anniversarium dilecti R. de Gavera, domini de *Liedekerke* et de *Breda*, mariti mei cum obierit celebrare debebit. Item fratribus beatae Mariae in Geraldimonte xl sol. Item lego centum lib. pro restitutione eorum quae recepi a lombardis qui manserunt in domo mea apud *Boular*, et volo ut dictae centum lib. per manus executorum meorum restituantur illis quibus restitui debent secundum canonicas sanctiones. Item sex lib. quas minus juste recepi de custodia de *Overboular*, quas vero centum lib. et sex lib. assigno ad molendinum meum apud *Flursinghem*, volens et obligans dictum molendinum meum ad restitutionem plenariam omnium et singulorum quae probata fuerint legitime quod ea minus juste acceperim quoquo modo, ita tamen quod per meam occasionem extorta fuerint et in meos usus conversa, hoc observato quod si haeredes seu illi quibus extorta reddenda essent non inveniantur, tunc volo quod ipsa extorta per executores meos in pios usus ubi eis visum fuerit distribuantur et convertantur. Item lego et assigno centum lib. in manus executorum meorum recipiendas apud *Flursinghem*, supra garbam meam, pro quibus centum lib. mei executores recipere debebunt decem lib. annuatim, quousque dictae centum librae fuerint persolutae ad satisfaciendum omnibus de me conquerentibus, et coram executoribus meis juste ostendentibus; hoc autem testamentum, meum lego,

¹ *Cameloth*, étoffe brune, dont le nom s'est conservé jusqu'aujourd'hui.

² *Warandecors*, *wardecors*, garde-corps.

condo et facio, salva mihi potestate addendi et minuendi, si necesse fuerit; ad haec autem omnia et singula praelibata fideliter et efficaciter exequenda et adimplenda, eligo, constituo et ordino executores meos legitimos videlicet virum venerabilem dominum, Dei permissione abbatem Ninivensem, dominum Gerardum de Aa, dilectum fratrem meum, ac virum discretum presbyterum curatum de Geraldimonte, volens et ordinans quod ipsi executores circa executionem praemissorum utantur et procedant secundum consilium et adjutorium domini R., dilecti mei mariti praedicti, et sub hac forma, ita quod si dicti omnes executores simul interesse nequiverint, duo vero eorum ad executionem praedictorum procedant et effectum habeant, dummodo fiat de consilio dicti R. mariti mei, super hoc specialiter requisito, nullo vero alio exspectato; quorum adjutorum et executorum et coadjutoris fidei committo, ut praemissa fideliter exequantur. Et nos praedicti executores promittimus, ad instantiam dictae testatrix, praemissa exequi, prout sunt legata et ad manus nostras provenerint, bona fide. Nos vero Raso de Gavera, dominus de *Liedekerke* et de *Breda*, ac Raso de *Liedekerke*, filius noster primogenitus, promittimus omnia et singula praedicta, prout superius sunt expressa, inviolabiliter et absque aliqua contradictione bene et legitime observare, et ad hoc obligamus nos et bona nostra, sub cujuscumque districtu domini existant. In cujus rei testimonium sigilla nostra una cum sigillo dictae Alisiae testatrix, et cum sigillis dictorum executorum praesentibus sunt appensa. Datum anno Domini MCCXCIV, dominica post octavas beati Martini hyemalis.

Original, les sceaux d'Alice, d'Érasme de Gavre, de son fils, de Gérard de Aa et du curé de Grammont, en cire brune, sont seuls conservés.

CCLXXXV.

Jean, sire de Pamele, reconnaît qu'il a vendu à l'abbaye huit bonniers de terre à l'endroit nommé Ter Spreedt. — LOETSH.

A Pamele, 1295.

Universis praesentes litteras inspecturis, Johannes de Pamela, dominus de Pamella et de Leideberghe, salutem in Domino et rei gestae cognoscere veritatem. Noveritis universi, quod ego in magna et evidenti necessitate mea, propinquorum meorum et aliorum proborum usus consilio, legitime vendidi viris religiosi abbati ac conventui monasterii de Ninive, Praemonstratensis ordinis, ipsique religiosi emerunt erga me octo bonaria nemoris, parum plus aut minus, jacentia in loco qui dicitur *Ter Spreedt*, dictorum religiosorum nemori contiguo; et recepi a dictis religiosi pretium certum et competens pro dicto nemore vendito, videlicet de quolibet seu pro quolibet bonario nemoris praedicti viginti et quinque libras turonenses nigrorum bonorum ac pagabilium in terra Brabantiae, et loco seu villa praedicta communiter currentium. Verum quod dicta octo bonaria nemoris, parum plus aut minus, a Johanne, villico de *Papinghem*, avunculo meo, tenebam in feodum, reportavi feodum ipsum in manus avunculi mei praenominati, et per trinam effestucationem eidem feodo re-

nuntiavi publice et solemniter; adhibitis quae in talibus solent et debent adhiberi, praesentibus hominibus feodatis inferius nominandis, ad hoc specialiter adhibitis et vocatis. Et rogavi dictum Johannem, avunculum meum, ut feodum praedictum, amoto ab eo feodali servitio, transferret in haereditatem, et dictos religiosos legitime adhaeredit in eadem. Quam quidem avunculus meus, praedicti feodi dominus, amoto ab eo feodali servitio, feodum ipsum in haereditatem transferens, ad hoc sibi concessis loco et scabinis, dominum Johannem, Dei gratia abbatem Ninivensem nomine, et ad opus praedicti conventus seu monasterii Ninivensis per judicium scabinorum subscriptorum, in dicto feodo in haereditatem, ut dictum est, translato, rite adhaeredit et investivit sub annuo censu quatuor denariorum bruxellensium veterum dicto Johanni, villico de *Papenghem*, avunculo meo, et haeredibus suis, in festo beati Remigii, de quolibet bonario praedicti memoris a dicto monasterio solvendo. Cui quidem contractui et translationi feodi in haereditatem, necnon adhaereditationi seu investitioni praedictae, omnia ac singula adhibita fuerunt, quae in talibus solent et debent secundum legem et usum patriae ac loci adhiberi. Super quo quidem nemore dictis religiosis vendito, warandisiam bonam super me et super omnia mea ipsis religiosis repromitto praemissis omnibus et singulis. Interfuerunt vocati ut homines feodati, videlicet Willelmus dictus Coqus, Johannis de *Ophem*, Petrus de *Sunen*, Bernardus, senior de Pamela, Walterus de Pomerio, Johannes filius Yvani, Henricus *Buse* et Jacobus Piscator; item, interfuerunt ut scabini, Willelmus Coqus, Bernardus de Pamela, senior; H. *Buse* et Jacobus, Piscator, et alii quamplures fide digni. In quorum omnium et singulorum praemissorum testium ac munimentum, ego Johannes, dominus de Ledeberghe et de Pamella, ego etiam Johannes, villicus de *Papinghem*, praedicti, praesentes litteras dedimus dictis religiosis sigillis nostris sigillatas. Actum apud Pamelam, anno Domini MCCXCV, mense Maio.

Cartulaire de Malines.

CCLXXXVI.

Le sire d'Oultre et sa femme déclarent qu'ils ont renoncé, pour une somme d'argent reçue, à tout droit de gerbe dans leur domaine d'Oultre. —

OULTRE.

1295.

Allen den ghenen die syn ende die te comene syn, die dese letteren selen sien ende horen. Ic Woutere van Pollar, riddere, here van Outre ende van Zamberghen, ende Machtelt, myn wyf, vrouwe van Weldine, salut ende kinnesse van wareiden. Wi maken cont, dat wi hebben vercocht al onse recht van scovene, dat wi hadden binnen onsen heerscape van Outre ombe ene summe van peninghen die welke ons es wel ende weteleke vergouden, in diere manieren dat wi noch onse oer ne moghen hebben noch eeschen noch doen eeschen nemmermeer enech recht van scovene binnen

den heerscape van Outre, ende des si wi goet warant ende gheloven te sine over ons ende over onse oer in kenlecheden van desen letteren die wi gheseghelt hebben met onsen propren segheleu uthanghende, die waren ghegheven in den jare Ons Heren alsoe men scryft MCCXCV, inde maent van Meie.

Original, sceaux en cire verte.

CCLXXXVII.

Les échevins d'Aspelaere attestent que Renaud de Wolfsdale a vendu à l'abbaye un vivier et un journal de terre labourable, et qu'il les a ensuite reçus d'elle comme censitaire. — LOETSH.

1296.

Nos, scabini de *Asplar*, notum facimus universis praesens scriptum visuris in perpetuum, quod Reynotus de *Wolfsdale* et domicella Alicia, uxor sua, in praesentia nostra reportaverunt, rite et legitime, in manus villici subnotati vivarium suum apud *Wolfsdale* et locum ipsius vivarii et etiam jornarium terrae suae arabilis, parum plus vel minus, jacentis juxta ipsum vivarium ad opus virorum religiosorum, domini abbatis et conventus de Ninive, dictique religiosi in eisdem vivario, loco suo et terra rite et legitime adhaereditati fuerunt et sunt, sub haereditario censu trium denariorum quos ipsi religiosi debent Nicholao, filio Soykini de Pomerio, qui tres denarii debentur de dicto vivario ac loco suo ac etiam sub censu unius oboli quem dicti religiosi debent dicto Reynoto de terra praedicta, salvis etiam quinque solidis annui census qui inde debentur capellano de *Asplar*. Quibus omnibus ita factis, dicti religiosi concesserunt dictis conjugibus dictum vivarium, locum ipsius ac terram praedictam ad firmam haereditariam sub annua pensione triginta solidorum flandrensium et trium denariorum et unius oboli, in epiphania Domini annuatim dictis religiosis solvenda, et debent etiam conjuges, quamdiu tenebunt dictam firmam, solvere annuatim praedictos quinque solidos capellano de *Asplar* praedicto absque aliqua diminutione pensionis praedictae, conditione tali praedictae firmae adjecta, quod si dicti conjuges vel haeredes eorum defecerint in solutione dictae pensionis, scilicet triginta solidorum et trium denariorum et unius oboli, ex tunc videlicet a termino solutionis, et deinceps dicti religiosi manus suas apponere poterunt ad haereditatem suam praedictam, et inde facere voluntatem suam, salvo censu haereditario qui debetur ex bonis praedictis, nisi dicti religiosi dictis conjugibus vel haeredibus eorum sine solutione dictae pensionis dicto termino defecerint et misericordiam specialem in hanc parte duxerint faciendam. Testes qui praemissis interfuerunt vocati: Henricus de *Apeltren*, Johannes *Calays*, Aegidius *Spikinc*, Johannes de *Tortelbome* et Johannes de *Hasselt*, clericus, ut scabini de *Asplar*; item, Gerardus, villicus de *Hasselt*. In cujus rei testimonium sigillum nostrum commune praesentibus litteris est appensum. Actum anno Domini MCCXCVI, feria tertia ante festum beati Marci, evangelistae.

Original, sceau en cire brune.

CCLXXXVIII.

Gui, évêque de Cambrai, renouvelle la concession faite à l'abbaye par Guillaume, son prédécesseur, au sujet de la cure de la chapellenie de Voorde.

— LOETSH.

—
1297.

Guido, miseratione divina Cameracensis episcopus, dilecto nobis in Christo abbati monasterii seu ecclesiae Niniensis, Praemonstratensis ordinis, nostrae dioecesis, salutem in Domino. Placet nobis, quantum in nobis est, quod quamprimum parochialem ecclesiam de *Vordes* et capellaniam loci ejusdem Cameracensis dioecesis, quae ad vestram collationem seu praesentationem pertinere videatur, per mortem vel liberam resignationem Johannis, nunc rectoris dictae parochialis ecclesiae, et Henrici, capellani capellaniae praedictae, vel alias quocumque modo legitimo vacare contigerit, quod tam ad dictam parochialem ecclesiam, quam capellaniam canonicos ecclesiae seu monasterii vestri praedicti idoneos, de quibus videritis expedire in perpetuum praesentare possitis, et etiam si volueritis praesentetis. Hoc ad praemissa specialiter intellecto, quod canonici vestri praedicti quos per vos ad easdem ecclesiam de *Vordes* et capellaniam loci ejusdem praesentari contigerit, cum admissi fuerint ad easdem, in omnibus juribus nobis et archidiacono loci debitis, nobis et eidem archidiacono ac nostrae jurisdictioni, sicut rectores et capellani seculares ecclesiarum parochialium et capellanorum nostrae dioecesis, in omnibus et per omnia obnoxii maneant et adstricti. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum anno Domini MCCXCVIII, die Mercurii post Trinitatem. Concessionem superius factam, videlicet ut in perpetuum praesentare possitis, approbamus. Datum, ut supra.

Original, sceau en cire rouge endommagé.

CCLXXXIX.

Les doyens de Grammont et de Halle attestent que Gilles de Puttere a fait à l'abbaye les legs et les donations qu'ils indiquent dans cette charte. — OULTRE.

—
1299.

Universis praesentes litteras inspecturis, Johannes, presbyter de Bracla inferiori, et Jacobus, presbyter de *Galmardes*, de Geraldimonte ac de *Hal* christianitatum decani, salutem in Domino et notitiam veritatis. Noveritis, quod Aegidius, dictus *Puttre* de Lebeke, propter hoc coram nobis ac

testibus infra scriptis constitutus, recognovit sufficienter se dedisse seu legasse, ac etiam dedit seu legavit in puram eleemosynam viris religiosis domino abbati ac conventui Ninivensi, ordinis Praemonstratensis, et eorum monasterio quatuor libras flandrenses in terra de *Alost* usualiter currentes, annui et perpetui redditus; quas quatuor libras sibi debent annuatim inter natale Domini et Epiphaniam ejus proximo sequentem, domicella Agnes, dicta de *Cudelbroc*, et ejus liberi de quinque bonariis terrae arabilis, parum plus vel minus, jacentis ante portam dictae domicellae, apud *Cudelbroc*, et juxta campum qui dicitur *Scellincsvelt*, ac etiam quidquid juris habet dictus Aegidius in terra praedicta necnon reddito memorato. Item, recognovit ac dedit seu legavit idem Aegidius in puram eleemosynam religiosis antedictis, et monasterio eorum unum modium frumenti ad mensuram de *Alost*, annui similiter ac perpetui redditus, quem emit, jamdiu est, erga Walterum dictum *Coester* de *Lebeke*, assignatum supra unum bonarium terrae ipsius, jacentis apud *Lebeke* in loco qui dicitur *Calvervelt*, et, quidquid juris habet dictus Ae. in eadem terra; hoc adjecto quod si contingat quod aliquis vel aliqui dixerint sibi aliquid juris in terris praedictis et superius distinctis, ita quod dicti religiosi dictis redditibus sibi datis seu legatis, ac etiam jure suo praedicto frui vel gaudere libere non possent, assignavit et assignat dictus Ae. dictis religiosis et monasterio eorum ducentas libras dictae monetae in eleemosynam supra praedicta quinque bonaria terrae de *Cudelbroc*, et centum libras ejusdem monetae, in eleemosynam supra praedictam quinque bonaria terrae de *Cudelbroc* et centum libras ejusdem monetae in eleemosynam supra dictum bonarium terrae jacentis in *Calvervelt*, et supra omne jus quod habet idem Ae. in terris praedictis absque aliqua deductione fructuum perceptorum, quos etiam si perceperint, confert similiter dictus Ae. in eleemosynam religiosis antedictis. Testes qui praemissis interfuerunt vocati: dominus Johannes, Dei patientia Ninivensis abbas; fratres Johannes, prior, Lucas, subprior, Johannes, plebanus, Aegidius de Lovanio, Johannes *Scermer* et Gerardus de *Berlinghem*, sacerdotes et canonici ibidem; item, Leonius et Symon de Allodio et de *Okenghem* presbyteri; Johannes dictus *Goedertier*, presbyter, et Henricus de *Wassenhove*, presbyter, Johannes Coqus, capellanus, Henricus, presbyter de *Lyefreghem* et alii plures fide digni. In quorum omnium testimonium etiam nos decani praenominati duximus sigilla nostra praesentibus litteris apponenda. Actum et recognitum anno Domini MCCXCIX, dominica ante diem Cinerum.

Original, deux sceaux en cire brune endommagés.

A cette pièce est attachée une bande de parchemin, où on lit : Item, nos presbyteri seu capellani praenominati ac testes ad praemissa testificanda vocati, sigilla nostra una cum sigillis virorum venerabilium decanorum christianitatis praedictorum duximus praesenti cedulae litteris praedictis infixae apponenda, in testimonium ac munimen omnium praemissorum. Actum et recognitum, anno Domini ac die praedictis.

Original, trois petits sceaux en cire brune.

CCXC.

Les échevins de St-Antelincx attestent que l'abbaye a légitimement acquis la propriété de Beverne dans leur village. — BOUCHOUT.

1299.

Wi scepenen van Sent Antelins maken cont allen den ghenen die dese cyrografe zelen zien ocht horen lesen ; dat min here d'abt van Ninive ende zyn convent zyn wel ende wettelike gherft in tgoet van der Beverne , dats te verstane in xiiij dachwant ende in lxx roeden , lettelt men ocht lettelt meer , gherfnessen die behoeren ter borgh van der Bevernen in onse parochie van Zent Antelins , ende in xxxvij scellinghen ende vij capone erflics cheins , die te desen vorseiden goede van der Beverne toe- hoert van deser vorseider gherfnessen soe leghet in die vorseide borgh , ende die borgh , stede in watre . in bongarde ende in alle ghelaghe ; dat thof van der Beverne ghelegghen es omtrent twe bunre lettelt men ocht lettelt meer ; voert soe leghet een dachwant meersch xiiij roeden , men ocht daer omtrent , bi Dipenbroc ter Biest , ende een dachwant mersch ende xij roeden , lettelt men ocht lettelt meer , dat ghelegghen es tusschen den hove van der Bevernen ende Mailus van der Beverne , ende een bunre lants lettelt men ocht lettelt meer , dat leghet in therscap van Asplar ende in scependom van Asplar , war bi dat wi scepenen van Zent Antelins up dat bunre lants en ghene wysdom en daden , voert soe es te wetene dat dien vorseiden erfliken cheins zyn schuldech dese liede : Mayhu van der Bevernen es schuldech x sol. ; Henric Massieus , zone , x s. ; Heyle Gossuins van der Bevernen iiij s. ; Adela van der Beverne iiij capone ; Marcolf v s. , ende Matcha van Ransbeke viij s. ende iij capone , dese vorseide gherfnesse ende dit vorseide goet van der Beverne houdt men van der capitlen van Zente Gherdren¹ van Nivele , ende men es hier af schuldech der vorseider capitlen iiij s. jarlics cheins ende der kerken van Zent Antelins xl s. , ende den pape van Zent Antelius xl s. , utghenomen tvorseide bunre lants van Asplar dat men houdt van Janne van Scoutbroc ; voert soe doe wi te wetene wi scepenen van Zent Antelins , dat Jan die gheheten es Vander Borgh van Asplar dies dat vorseide goet van der Beverne was wel ende wettelike verkinnt heft vor ons dat dit vorseide goet van der Beverne al ende ghelike es wettech erve des vorseits abts ende convents van Ninive , ende dat hi Jan vorghenoemt an dat vorseide goet van der Beverne ende ghene houdensse meer en heft no en gheen recht hen ware bi ghedoghe ende bi ghenaden des vorseits abts ende convents , want die houdensse ende dat recht dat die vorseide Jan dar an hadde ende alle die vorwarden die te voren waren tus- schen hem ende den vorseiden abt ende convent zyn doet ende te niute , ende dit heft di vorseide Jan wel verkinnet in dit vorseide goet van der Beverne soe zyn ghedaen die vorseide abt ende zyn convent bi maninghen van Janne van Walbosch , als mins heren sgraven knape van Vlaendren , die welc Jan des wel maghtich was ende bi wysdome van scepenen van Zent Antelius , ende hir toe was ghedaen al dat men schuldech was te doene , hir over was die vorseide Jan van Walbosch als knape mins heren sgraven ende voert Willem van Tortelbome , Vroenhoven , Mayhu van der Beverne , Merthin die Smet van Hughenvelde , Willem van den Noertgate , Pieter Dekoc , Daniel Ruthoren ende Jan die Olslaghere , als scepenen van Zent Antelins . Dit was ghedaen ende verkinnet in den jare Ons Heren MCCXCIX , sonnedaghes na Zente Pieters daghe .

Original.

¹ De Ste-Gertrude.

CCXCI.

Les curés de Ninove et de Neygem attestent que Gilles de Beveren a donné à l'abbaye, par forme de testament, un revenu annuel de dix sols de Flandre, pour son anniversaire et celui de son frère, de son fils et de sa femme. —
WOLPUTE.

—
1299.

Universis praesentes litteras visuris, frater Johannes de Ninive et Leonius de Alodio, presbyteri curati, salutem in Domino et notitiam veritatis. Noveritis, quod Aegidius de Beverna, in nostra et aliorum fide dignorum praesentia constitutus, mentis suae bene compos, testamentum suum faciens, contulit et assignavit viris religiosi conventus Ninivensis ad usum pitantiae suae decem solidos Flandrensium monetae annui et perpetui redditus, supra mansum Nicholai, quondam dicti *Cupre* de Alodio, jacentis ibidem juxta forum et supra totum situm suum cum domibus et aliis appenditiis, recipiendos et habendos a dicto conventu post mortem dicti Ae. testatoris, ut idem conventus anniversarium ejusdem Ae., cum decesserit, item fratris Aegidii, quondam filii ejus et Heilewigis uxoris suae, perpetuo debeat celebrare. Retinuit antedictus testator potestatem addendi, minuendi et praemissum assignamentum, si necesse sibi fore videtur, in parte aut in toto penitus revocandi. In cujus rei testimonium sigilla nostra ad preces dicti Ae. testatoris praesentis litteris sunt appensa. Datum anno Domini MCCXCIX, mense Octobris.

Original, sceau détruit.

CCXCII.

Le comte de Viane confirme à l'abbaye la possession de la dîme de Menz et des autres biens qu'elle a dans cet endroit. — LIEDEKERKE.

—
1299.

Notum sit universis praesentes litteras inspecturis vel audituris, quod nos Godefridus, comes Viennensis, dominus de Grimbergis, viros religiosos, abbatem et conventum de Ninive ordinis Praemonstratensis, quos clamamus de omnibus ac singulis querelis, calumniis seu causis, quos nos pro nobis vel pro quibuscumque aliis contra dictos religiosos habemus vel habere potuimus usque ad praesens. Insuper decimam eorum de *Menz*, seu bona alia, si qua sunt quaecumque dicti religiosi seu alii nomine eorundem in dicta parochia de *Menz*, et in toto dominio seu terra nostra Grimber-

Том. II.

123

gensis, hactenus tenuerunt et possederunt, et ad praesens tenent ac possident, omnino libera fore et esse volumus et liberamus, ac etiam quita clamamus ab omni servitio et exactione, quibuscumque nominibus censentur vel censi poterunt, et ad hoc nos ac haeredes seu successores nostros obligamus praesentium testimonio litterarum sigillo nostro roboratarum. Actum anno Domini MCCXCIX, mense Junio.

Original, sceau en cire brune endommagé.

CCXCIII.

Philippe, fils du comte de Viane, souscrit à la charte octroyée par son père.

— LIEDEKERKE.

1299.

Notum sit universis praesentes litteras inspecturis vel audituris, quod nos Philippus, filius domini Godefridi, nobilis viri comitis Viennensis et domini Grimbergensis, viros religiosos abbatem et conventum de Ninive ordinis Praemonstratensis, quitos clamamus de omnibus ac singulis querelis, calumniis seu causis quas nos pro nobis vel pro quibuscumque aliis contra dictos religiosos habemus vel habere potuimus usque ad praesens. Insuper decimam eorum de *Menz* seu bona alia, si qua sunt quaecumque dicti religiosi seu alii nomine eorundem in dicta parochia de *Menz*, et in toto dominio seu terra Grimbergensi hactenus tenuerunt et possederunt, et ad praesens tenent ac possident, omnino libera fore et esse volumus et liberamus, ac etiam quita clamamus ab omni servitio et exactione quibuscumque nominibus censentur vel censi poterunt. Et ad hoc nos ac haeredes seu successores nostros obligamus praesentium testimonio litterarum sigillo nostro roboratarum. Actum et datum anno Domini MCCXCIX, mense Junio.

Original, sceau en cire brune.

CCXCIV.

Les échevins d'Aspelaere et autres fonctionnaires déclarent que l'abbaye de Ninove a été mise légalement en possession d'un bonnier de terre à Aspelaere. — LOETSH.

1299.

Het si cont allen den ghenen die dese cirografe selen sien ocht hoeren lesen, dat min here d'abt van Niveve ende syn convent syn wel ende wettelike gherft in een bunre lants, nettel men ocht net-

tel meer, dat men houdt van Janne van Scoutbroc, tbunre op vyf penninghe, dat gheleghen es int herescap van Asplar, tote der Bevernen, tuschen der borgh van der Bevernen ende den broeke; die welk broec wileer was Jans Clercs van Hughenvelde ende welc bunre lants behoert ten goede van der Bevernen; te desen vorseiden lande syn comen die vorseide abt ende convent bi wette bihetene ballius sheren van Bonler, bi maninghen dies meyers van Asplar ende bi wysdome der scepenen van Asplar, die hir na ghenomt syn al te gader: ende es oec te wetene dat Jan, die gheheten es Van der Borch van Asplar, dies dit vorseide lant was, heft wel ende wettelike verkind, dat die vorseide abt ende convent van Nineve moghen met dien lande haren wille doen ende dat hi Jan vorghenomt en ghene houdenesse no en gheen recht meer en heft an dat vorseide bunre lants, nettelen ocht nettelen meer, ten si bi ghedoghe ende bi ghenaden des vorseits abts ende convents van Nineve. Want die houdenesse die di vorseide Jan an dat vorseide lant hadde ende alle dat recht dat hir an hadde ende alle vorwarden die voer waren, syn doet ende afghedaen ende te niute worden. Hir over waren Arnoudin Vanden Planken van mins heren halven van Bonlar, Gherart de Meyer van Hasselt, ende van Asplar Henric Colins sone van Asplar, Soyken van den Borgline, Jan Calays, Mayhu van Tortelbome, Henric van den Apeltren, Wouter Soete van Middelhoven ende Jan die clerck van Hasselt, dese waren hir over als scepenen van Asplar. Dit was ghedaen in den jare Onsheren dat men scryft MCCCXIX, sdonredaghes bennen der octaven van der Terniteit.

Original.

CCXCV.

Jean, sire de Pamele, lègue à l'abbaye une rente de vingt sols pour son anniversaire et celui de sa femme et de ses parents. — PAMELE.

A Pamele, 1299.

Universis praesentes litteras inspecturis, Johannes de Pamela dominus, salutem in Domino cum notitia veritatis. Noverit universitas vestra, quod ego in remedium animae Godofridi, quondam patris mei defuncti, necnon in remedium animae meae et animarum domicellarum Margaretae, dilectae matris meae, et Ymaniae, uxoris meae, ad anniversarium nostrum postquam decesserimus a conventu Ninivensi perpetuo celebrandum, legavi ac lego, reliqui et relinquo eidem conventui in puram eleemosynam viginti solidos flandrenses vel monetae quae communiter curret tempore solutionis in villa Ninivensi, assignans eosdem annuatim et haereditarie dicto conventui Ninivensi accipiendos et habendos in epiphania Domini, supra mansum meum cum totis appenditiis suis, situm super Teneram fluvium, inter mansum Elgheri Piscatoris, et ipsum fluvium, semita quadam ducente versus *Sconarden* mansum utrumque dividente, retro curiam canonicorum Ninivensium ibidem. Quem mansum meum praedictum oblige in pignus ad solutionem pleniorum dictorum viginti

solidorum annuatim et haereditarie in dicto termino praefato conventui faciendam. Quam eleemosynam praefatam ego Johannes, dominus de Pamela praedictus, rite ac legitime feci dicto conventui, adhibitis quae in talibus solent ac debent adhiberi. Testes frater Petrus de Geraldimonte, presbyter, noster curatus; Bernardus de Pamella, frater meus; item Bernardus, custos; Arnoldus *Byvoit*, Willelmus, filius et Soymanni de *Poelke*, Johannes, filius *Perone*; Walterus, dictus Carnifex, et alii plures. In cujus etiam rei testimonium sigillum meum una cum sigillo dicti curati nostri praesentibus litteris est appensum. Actum apud Pamellam, anno Domini MCCXCIX, mense Januario.

Original, sceaux en cire brune endommagés.

CCXCVI.

L'abbé Jean et tout le couvent de Ninove reconnaissent qu'ils doivent à l'abbé de S'-Adrien de Grammont une rente annuelle de trente sols tournois. —

AFFAIRES DIVERSES.

1511.

Universis praesentes litteras inspecturis, Johannes, Dei gratia abbas monasterii Ninivensis, ordinis Praemonstratensis, Cameracensis dioecesis, totiusque dicti loci conventus salutem et rei gestae noscere veritatem. Quum a memoria hominum cito elabatur quod scripturarum serie aut subscriptione testium non fulcitur, sciant igitur universi, tam praesentes quam posteri, quod nos tenemur, et efficaciter sumus obligati ac nos teneri recognoscimus venerando in Christo patri, domino abbati monasterii S. Adriani Geraldimontensis, ordinis sancti Benedicti, dictae dioecesis, seu ipsi monasterio in triginta solidos parisienses nigrorum fortis et antiquae monetae in grossis turonensibus de moneta regia Franciae antiqua, et a suo legitimo pondere non fraudata, quolibet grosso turonense praedicto pro decem denariis et obolo parisiense praedictorum aestimato, annui et perpetui redditus praedicto domino abbati aut monasterio jam dicto a nobis et nostris successoribus in perpetuum ad natale Domini annis singulis persolvendis, pro quibusdam decimis in parochia de *Okenghem* in patronatu dicti domini abbatis Geraldimontensis jacentibus, quasque decimas a praedicto domino abbate seu monasterio supradicto jure haereditario tenemus et tenere debemus perpetuo pro summa pecuniae memorata ad natale Domini, ut praemittitur, annis singulis persolvenda; pro qua pecunia dicto domino abbati aut monasterio praedicto solvenda, ut est dictum, sibi dictas decimas monasterium nostrum nos et successores nostros, et certa scientia solemniter et expresse obligamus. In cujus rei testimonium praesentes litteras dicto domino abbati contulimus, sigillorum nostrorum munimine roboratas. Datum anno Domini MCCCXI, decima die mensis Julii intrantis, indictione nona.

Cartulaire de Malines.

CCXCVII.

Acte d'un échange de terres entre l'abbaye et Henri de Haffleghem et ses frères.

— AFFAIRES DIVERSES.

A Ninove, 1511.

In nomine Domini amen. Pateat ac notum sit omnibus et singulis, tam posteris quam modernis, per hoc praesens publicum instrumentum, quod anno nativitatis ejusdem MCCCXI, indictione nona, mensis Julii intrantis die decima, pontificatus sanctissimi patris ac domini, domini Clementis, divina providentia papae quinti anno sexto, in praesentia mei notarii publici infrascripti, et testium subscriptorum ad hoc vocatorum et rogatorum constitutus, Jacobus dictus de *Bochoute*, quasdam conventiones et contractus celebratos et habitos inter venerabilem patrem in Christo, dominum Johannem, divina permissione abbatem monasterii Ninivensis, ordinis Praemonstratensis, ex una parte, et Henricum de Haffleghem, Aegidium, Johannem, Willelmum, Petrum, Arnoldum et Jacobum, ejus fratres, ex altera, super permutatione quorundam bonorum in parochia de Fordis jacentium, addictum dominum abbatem Ninivensem, ratione monasterii sui Ninivensi pertinentium; necnon super permutatione quarundam decimarum in parochiis de Okenghem et de Yderghem jacentium ad ipsos fratres pertinentium, quas quidem decimas dictus Henricus de Haffleghem principaliter a religioso viro venerando patre in Christo, divina permissione domino abbate monasterii S. Adriani Geraldimontensis, tenebat in feodum, recitavit. Quo facto, dictus dominus abbas Geraldimontensis per dictum Jacobum de *Bochout*, cui vices suas coram hominibus suis feodalibus commiserato in hac parte homines suos feudales, qui de consuetudine patriae super dicto feodo judicare tenentur et habent, moneri mandavit et fecit quomodo et per quam viam ipse dictum dominum abbatem Ninivensem propter liberam resignationem et exhaereditationem dictarum decimarum a dicto Henrico de Haffleghem et ejus fratribus factas, posset et deberet dictum dominum abbatem Ninivensem secundum patriae consuetudinem in dictis bonis feodalibus investire et adhaerere. Qui quidem homines feudales ad submonitionem dicti Jacobi, tum vices dicti domini abbatis Geraldimontensis, ut dictum est, gerentis, et sibi super hoc concessas specialiter ab eodem, judicaverunt, quod dictus Henricus homagium, dominium, proprietatem et omne jus quod haberet in dictis decimis, in manus dicti Jacobi ad opus dicti domini abbatis Ninivensis reportaret, et similiter ejus fratres. Quo facto, dicti homines feudales ulterius judicaverunt, quod dictus Henricus una cum fratribus suis praedictis, dictis bonis renuntiare deberet et ea werpire primo, secundo et tertio ad opus dicti domini abbatis Ninivensis, et similiter domicella Gertrudis, eorum mater, usum fructum quem in medietate dictarum decimarum habere dicebatur, libere resignaret et quitaret ad opus dicti domini abbatis Ninivensis, et juri suo, si quod in eisdem bonis haberet, renuntiaret. Quibus sic actis ab eadem, per judicium dictorum hominum feudaliū, dicta domicella Gertrudis juravit fide, et juramento super hoc corporaliter praestitis ab eadem mihi notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine, et ad opus dicti domini abbatis Ninivensis et omnium quorum interesse potest, quod in dictis decimis nihil juris de caetero reclamaret, recognoscens se fore per alia bona competenter restitutam et restauratam. Quibus sic actis legitime per judicium hominum feudaliū dicti domini abbatis Geraldim-

montensis secundum usum patriae et consuetudinem, dictus Jacobus ulterius monuit homines feudales utrum dictus dominus abbas Geraldimontensis de dictis bonis feodalibus facere posset bona haereditaria, et ad haereditatem reducere. Qui homines feudales judicaverunt prius super hoc moniti quod secundum usum et consuetudinem patriae et secundum quod hactenus exstitit observatum et fieri viderunt, dictus dominus abbas Geraldimontensis bene posset, si sibi placeret, dicta bona feodalia haereditaria bona facere et ad haereditatem reducere, et ab hujusmodi feodali onere ea liberare. Quo iudicio sic ab hominibus feodalibus praefato, dictus dominus abbas Geraldimontensis dicta bona feodalia haereditaria fieri mandavit per Jacobum memoratum et a servitio et onere feodali esse voluit liberata. Quibus sic factis, dictus dominus abbas Ninivensis, nomine et ad opus monasterii sui Ninivensis, per iudicium scabinorum seu hospitem juratorum dicti domini abbatis Geraldimontensis inferius expressorum, et per dictum Jacobum, fuit et est in dictis decimis secundum patriae consuetudinem bene et legitime adhaeredatus et investitus pro certa pecuniae quantitate dicto domino abbati Geraldimontensi et ejus successoribus a praedicto monasterio Ninivensi in perpetuum ad natale Domini annis singulis persolvenda, super qua pecunia solvenda aliae tres sunt confectae. Adhibita etiam fuerunt circa praemissa omnia et eorum quodlibet omnia et singula quae solent, debent et consueverunt de patriae consuetudine in talibus adhiberi. Acta sunt haec in Ninive juxta atrium, hora quasi missae, anno, indictione, mense, die et pontificatu praedictis, praesentibus ibidem venerabilibus viris dominis Henrico, divina permissione S. Adriani Geraldimontensis, et Johanne, Ninivensis monasteriorum abbatibus; Jacobo de Bochoute, superius nominato; Johanne *Delewarde*; Henrico, dicto *Wayte*; Johanne Yderi, aurifabro; Johanne, filio quondam Lambini *Delwarde*, et me notario infra scripto; hominibus feodalibus dicti domini abbatis Geraldimontensis; Johanne *Scoude Harine* et Petro dicto de Brocho, scabinis, seu hospitibus juratis ipsius, necnon Theoderico, dicto *Keude*, et Waltero de *Lede*, clerico, ac aliis pluribus testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis. Praemissa etiam omnia et singula, coram me notario infrascripto et testibus suprascriptis, dictus dominus abbas Geraldimontensis laudavit, approbavit et rata habuit, et his suum consensum praebuit et assensum, mediantibus triginta solidis nigrorum parisiensibus, fortis et antiquae monetae, in grossis turonensibus regis Franciae antiquis et a suo legitimo pondere non fraudatis, quolibet pro decem denariis et obolo parisiensi nigrorum aestimato, annui et perpetui redditus, dicto domino abbati Geraldimontensi et ejus successoribus ad natale Domini annis singulis a praedicto monasterio Ninivensi persolvendis.

Cartulaire de Malines.

CCXCVIII.

Vidimus de Robert de Béthune, comte de Flandre, qui confirme la donation qu'Érasme de Gavre a faite à l'abbaye du bois d'Espout. — LIEDEKERKE.

—
1517.

Robertus, comes Flandriae, universis fidelibus ad quos praesentes litterae pervenerint salutem in Domino. Noveritis quod nos litteras dilecti et fidelis Rassonis de Gavera, quondam domini de Liedekerke et de Breda, et Alisiae, uxoris ejus, vidimus in haec verba vitio et suspicione carentes in haec verba : « In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Rasso de Gavera, dominus de Liedekerke et de Breda, et Alisia, uxor mea, omnibus hoc praesens scriptum visuris salutem in Domino. Notum sit tam modernis quam posteris, quod ob aeternam quae in Christo est salutem feliciter consequendam, contulimus religiosus viris abbati et conventui monasterii Ninivensis in puram et perpetuam eleemosynam viginti et octo bonaria nemoris aut circiter, cum omnibus pertinentiis suis, quod nemus dicitur *Esphout*, et contiguum datur nemori monasterii praedicti juxta viam, quae se extendit de Liedekerke versus Ledebeghe. In quo nemore dictos religiosos inhaeredavimus legitime, coram scabinis nostris inferius nominandis, adhibitis solemnitatibus quae in hujusmodi inhaeredatione solent adhiberi, mediantibus duodecim denariis flandrensibus novorum, nobis et nostris successoribus solvendorum, ad natale Domini censualiter annuatim. Quam eleemosynam et collationem petimus et supplicamus nos praedicti R. et A. a vobis, nobilis princeps, comes Flandriae et marchio Namurcensis, roborari, ratificari et per vestras patentes litteras confirmari, in robur et eorundem perpetuae firmitatis. In cujus rei memoriam praedictis religiosus praesens scriptum contulimus, sigillis nostris roboratum. Actum apud Liedekerke coram scabinis nostris, videlicet : Soykino de *Lewes*, Yvanus de *Lewes*, Thoma de *Landut*, Jacobo Fabro, Inghelberto Carnifice et Arnolde, dicto *Lokebout*. Anno Domini MCCXCII, mense Junio. » Item, vidimus patentes litteras nobilis et potentis principis, domini Guidonis bonae memoriae, patris et progenitoris nostri, etiam comitis Flandriae, sigillo suo sigillatas confirmatorias super hoc constans, tenorem praedictarum litterarum domini Rassonis de Gavera, domini de Liedekerke et de Breda, et uxoris ejus de verbo ad verbum continentes. In cujus rei testimonium sigillum nostrum praesentibus litteris est appensum. Datum anno Domini MCCCXVII, vigilia Paschae.

Cartulaire de Malines.

==

SUPPLEMENTUM

AD SERIEM ABBATUM NINIVENSIIUM.

(Vid. pag. 746.)

Salutari regimini immortalus est Dionysius *Freysers* 13 maii, 1712.

Exceptit eum Ferdinandus *Vander Haeghen*, Gerardimontensis, ex provitore electus et inauguratus abbas, die 5 Julii anno 1721, ad Flandriae comitia deputatus primarius ex parte cleri. Anno 1723, insignem et vere augustam abbatiae ecclesiam, inchoatam sub regimine abbatis Joannis David, perfectam gaudet, solemnique pompa in sancti Jacobi festivitate benedicit. Anno 1741, quinquagesimum religionis annum celebrat, diemque supremum obit die prima Aprilis 1754.

Huic in abbatali successit dignitate Ferdinandus *Vander Eken*, Ninoviensis. Is abbatiae ingressus die 29 Junii 1725, vota religionis emisit 27 Maii 1727 et abbas inauguratus est 11 Augusti 1754. Celebrato quinquaginta religionis annorum jubileo, vita functus est die 6 Octobris 1783.

Post hunc ad praelaturam evehctus est Joannes *Pamelerrc*, ex Pamele Aldenardensis, qui conatus adhibuit multos ut incepta coenobii nova aedificia perficeret, sed luctuosis temporibus impeditus eo pervenire non potuit. Pendebant opera interrupta, ubi deletum est monasterium ejusque bona fisco addicta ex decretis reipublicae francicae. Obiit subito ultimus Ninivensium abbas, anno 1809. Anno autem 1813 ecclesia abbatalis facta est parochialis, paucisque post annis venditae et solo aequalatae monasterii vix constructi aedes nobilissimae.

TABLE DES NOMS DE PERSONNES.

- Ackerman (François)*, tome I, pages 240, 243, 245, 343, 344, 345, 346.
- Adam-le-Bossu*, II, 156.
- Adelbalde*, roi de Wessex, I, 55, 56; II, 52.
- Adèle de Flandre*, mère de Charles-le-Bon, I, 6, 66; II, 47.
- Adèle de France*, femme de Baudouin de Lille, I, 45, 46, 48; II, 34, 35, 36, 498.
- Albert (Saint)*, II, 715.
- Albert de Saxe*, I, 637.
- Alostains*, I, 24, 224, note 223, 324.
- Amand (Saint)*, I, 30, 440, 460, 461, 465, 467; II, 6, 7, 490, 641, 645.
- Antoine*, forestier de Flandre, I, 11, 26, 30, 31, 468.
- Arnoul*, savant religieux, II, 703, 715.
- Arnoul-le-Vieux*, I, 2, 7, 9, 12, 59, 40, 42, 271, 272, 443, 444, 507, 512, 513, 526, 595; II, 11, 13, 14, 33, 676.
- Arnoul-le-Jeune*, I, 2, 7, 9, 13, 41, 44, 272, 533; II, 14, 54, 43, 44.
- Arnoul-le-Malheureux*, I, 2, 7, 9, 14, 54, 55, 61, 277, 278, 561; II, 41, 688.
- Artevelde (Jacques d')*, I, 211, 212, 215, 216, 217, 221, 223, note, 323, 326, 328, 329; II, 219, 220, 222, 223, 225, 232, 237, 238, 469, 471.
- Artevelde (Philippe d')*, I, 259, 240, 241, 242, 359, 340, 341, 342, 620.
- Audacer*, forestier de Flandre, I, 7, 9, 12, 54, 270, 486, 490.
- Baudouin-bras-de-Fer*, I, 1, 2, 7, 9, 12, 35, 36, 37, 70, 490, 491, 495; II, 12, 31, 52.
- Baudouin-le-Chaue*, I, 1, 2, 7, 9, 12, 58, 59, 40, 271, 497, 502; II, 33.
- Baudouin-le-Jeune*, I, 2, 7, 9, 12, 40, 41, 43, 271, 272, 596; II, 14, 33.
- Baudouin-le-Barbu*, I, 2, 7, 9, 13, 44, 273, 274, 533, 543, 544, 549, 597; II, 501, 685.
- Baudouin de Lille*, I, 2, 7, 9, 13, 45, 46, 47, 48, 53, 274, 275, 276, 549, 554, 555; II, 17, 34.
- Baudouin de Mons*, I, 2, 7, 9, 13, 50, 53, 276, 277, 560; II, 16, 17, 57.
- Baudouin-à-la-Hache*, I, 5, 7, 10, 14, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 77, 78, 79, 280, 281, 574, 575, 576, 601; II, 50, 51, 52, 53, 54, 694, 696.
- Baudouin VIII*, I, 8, 16, 127, 129, 287, 289, 291; II, 24, 177, 710, 716.
- Baudouin de C.-P.*, I, 8, 16, 130, 151, 152, 153, 154, 155, 156 et suiv., 291 et suiv.; II, 25, 177, 178, 716, 717.
- Baudouin II*, comte de Hainaut, I, 2, 9, 57, 61, 63, 277, 565; II, 45, 692.
- Baudouin III*, I, 2; II, 81, 82.
- Bavon (Saint)*, I, 440, 460; II, 7, 640, 641.

- Berthoud (Gauthier)*, II, 710.
Bertrand de Rayns, I, 139, 140; II, 181, 722.
Bertulphe, prévôt de Saint-Donat, II, 86, 71, 74.
Blavoetins, I, 294.
Bonin, voyez *Bovyn*.
Borlout, *Jean*, II, 194.
Bovyn (Lambert), I, 188, 199, 207, 318, 321, 325.
Bouchard, meurtrier de Charles-le-Bon, II, 61, 63, 64, 66, 78.
Bouchard d'Avesnes, I, 308; II, 179.
Breydel (Jean), I, 167, 313, 430; II, 193.
Brugeois, I, 17, 87, 148, 160, 166 et suiv., 170, 185, 186, 189, 190, 193 et suiv., 204, 207, 217, 224, 228, 235, 237, 238, 240, 241, 242, 252, 295, 313, 319, 320, 324, 340, 359, 375, 378, 380, 381, 382, 386, 387, 398, 406, 414, 432, 616, 624, 662; II, 192, 194, 209 et suiv., 220, 240, 263, 265, 283, 399, 405, 459.
Bruzellois, I, 250, 251.
Charlemagne, I, 473, 475 et suiv.; II, 9, 10, 646 et suiv.
Charles-le-Bon, I, 6, 7, 15, 66, 71, 74, 78 et suiv., 281, 282, 377 et suiv.; II, 20, 50, 51, 54 et suiv., 70, 71, 696, 699.
Charles-le-Chauve, I, 2; II, 11, 12.
Charles-le-Téméraire, I, 632.
Charles-Quint, I, 644.
Clémence, femme de Robert II, I, 5, 10; II, 516.
Coucy, I, 59.
Courtoisin (Sohier le), I, 198, 199, 325, 616; II, 218, 469.
Damien, religieux musicien, II, 704.
Einhardus ou *Eginard*, I, 443, 480, 481, 485.
Estorède, forestier de Flandre, I, 472.
Ferrand de Portugal, I, 16, 141 et suiv., 147, 149, 151, 153 et suiv., 295 et suiv.; II, 178, 718 et suiv.
Flagellants, I, 226, 227; II, 341, 346, 348, 349, 353 et suiv.
Gand (Henri de), II, 164.
Gantois, I, 17, 57 et suiv., 121, 142, 152, 163, 192, 195 et suiv., 204, 211, 215 et suiv., 225, 228, 235 et suiv., 295, 299, 301, 305, 319, 320, 331, 332, 336 et suiv., 343 et suiv., 359, 376, 379, 385, 387, 388, 389, 390, 392, 406, 407, 414 et suiv., 432, 614, 622, 669, 671; II, 190, 192, 194, 209, 210, 218, 220, 221, 240, 265, 268, 281 et suiv.
Gérulphe (Saint), I, 506, 595, 595, 597.
Gilbert d'Oultre, ancien poète, II, 731.
Godefroid de Bouillon, I, 15; II, 692.
Gui de Dampierre, I, 16, 156, 159, 161, 164, 175, 301, 303 et suiv., 308, 311, 374, 377, 378, 404, 425; II, 179, 180, 181, 184, 185, 189, 455, 727, 731, 732.
Gui de Namur, I, 17, 168, 169, 172, 173, 178, 182, 382, 390, 399, 400 et suiv., 408 et suiv., 412, 426; II, 197.
Guillaume-de-Dampierre, I, 16, 156, 157, 300; II, 179.
Guillaume de Dampierre, le jeune, I, 158, 301; II, 179, 725, 726.
Guillaume de Juliers, I, 168, 171, 173, 174, 305, 309, 310, 374, 384, 385, 388, 390, 393, 419; II, 193, 199.
Guillaume de Loo, I, 89 et suiv., 97, 279, 283, 284, 579, 580; II, 55, 73, 75, 80, 81, 85, 86, 90 et suiv.
Guillaume-le-Normand, I, 7, 15, 92, 94 et suiv., 283, 579; II, 20, 53, 81, 82, 85, 86, 88, 90, 500, 699.
Hembyse (Jean), I, 660.
Herman, comte de Hainaut, I, 2, 14, 276.
Huchalde, I, 495; II, 12, 668.
Hugues de Saint-Victor, II, 700.
Hyoens (Jean), I, 236, 237.
Ingelram, forestier de Flandre, I, 1, 7, 9, 12, 34, 269, 270, 486.
Isaac, meurtrier de Charles-le-Bon, II, 64, 672.
Jacqueline de Bavière, I, 364.

- Jacques de Saint-Paul*, I, 165 et suiv., 170, 507, 579, 581, 585; 585, 586; II, 192 et suiv., 196.
- Janssone (Sohier)*, I, 188 et suiv., 195, 199, 207, 208, 518, 521, 525, 525.
- Jean d'Avesnes*, I, 157, 159, 508; 574, 424; II, 726.
- Jean d'Harlebeke*, II, 289, 506.
- Jean de Mayence*, II, 421.
- Jean de Muris*, II, 507, 558, 559, 555, 559.
- Jean de Namur*, I, 17, 171 et suiv., 182, 184 et suiv., 194, 197, 507, 517 et suiv., 522, 525, 582, 595, 594, 596, 417, 421, 429; II, 197, 201, 204.
- Jean-sans-Peur*, I, 18, 235, 248, 249, 251, 253, 254, 549 et suiv., 554 et suiv., 561, 565, 565 et suiv.
- Jeanne de C.-P.*, I, 16, 140 et suiv., 155, 294, 299, 500; II, 178, 718, 722.
- Judith*, femme de Baudouin I^{er}, I, 1, 2, 9, 55 et suiv., 270, 484, 490; II, 52.
- Koning (Pierre de)*, I, 166, 167, 507, 515, 145, 580 et suiv., 585, 592, 455.
- Lideric-de-Buc*, I, 11, 21 et suiv., 269, 459; II, 659.
- Lideric d'Harlebeke*, I, 1, 7, 11, 52 et suiv., 269, 444, 476, 482; II, 51.
- Li Muisis (Gilles)*, II, 116, 122, 125, 125, 127, 128, 154 et suiv., 505, 557, 558, 540, 420 et suiv., 447, 461, 467.
- Liévin (Saint)*, I, 24, 441, 461; II, 645.
- Louis de Nevers*, I, 17, 180, 181, 185, 512; II, 205, 291.
- Louis de Crécy*, I, 17, 181, 182, 184, 186 et suiv., 192 et suiv., 200, 202, 204, 216, 218, 517, 519, 522, 528 et suiv.; II, 180, 181, 209 et suiv., 217, 226, 257, 244, 246, 291, 292, 459, 469.
- Louis de Maele*, I, 17, 209, 210, 219, 221, 222, 225, 227, 229, 251, 252; 259 et suiv., 245, 550 et suiv., 555, 540; II, 180, 265 et suiv., 270, 271, 282 et suiv., 286, 292, 540, 541, 575.
- Machaire (Saint)*, I, 446, 559.
- Mailly ou Malgy*, I, 58, 59.
- Marguerite d'Alsace*, I, 98, 128, 290, 291; II, 710.
- Marguerite de C.-P.*, I, 16, 156 et suiv., 500, 502; II, 178 et suiv., 725, 726.
- Marguerite de Maele*, I, 18, 252, 249, 545.
- Mathilde*, femme de Guillaume-le-Conquérant, I, 2, 49, 552.
- Mathilde de Portugal*, I, 15, 114, 127.
- Maximilien d'Autriche*, I, 656, 658.
- Milon*, moine de Saint-Amand, I, 495.
- Mouskes (Philippe)*, II, 164.
- Muevin*, II, 115.
- Odon (Le B.)*, II, 550 et suiv., 558, 556, 557, 558, 654.
- Philippe d'Alsace*, I, 7, 15, 98, 101 et suiv., 106 et suiv., 124, 125, 128, 285, 288, 289; II, 22, 24, 177.
- Philippe de Thiète*, I, 172, 173, 178, 182, 505, 510, 402, 405, 450.
- Philippe-le-Beau*, I, 641.
- Philippe-le-Bon*, I, 18, 255, 257, 561.
- Philippe-le-Hardi*, I, 18, 252, 245, 244, 247, 248, 555, 544, 548, 552.
- Philippe-le-Noble*, I, 8, 292, 294.
- Philippe II*, I, 649.
- Philippine de Flandre*, I, 17, 161, 577, 426; II, 185.
- Praet (Gervais de)*, I, 87.
- Ratgheer (Gautier)*, I, 192, 198, 199, 519, 520.
- Rennesse (Jean de)*, I, 168.
- Richilde*, comtesse, I, 2, 14, 54 et suiv., 276, 277, 278, 280, 555, 561, 566; II, 40 et suiv.
- Robert d'Artois*, I, 165, 167, 169, 170, 505, 590; II, 194 et suiv., 456.
- Robert-le-Frison*, I, 2, 5, 7, 9, 14, 55, 56, 58, 61 et suiv., 67, 277 et suiv., 561, 562; II, 18, 41 et suiv., 498, 687, 688.
- Robert de Jérusalem*, I, 5, 7, 10, 14, 68, 69, 279, 280, 564, 569 et suiv., 600, 601; II, 48, 49, 694.

- Robert de Béthune*, I, 16, 160, 175 et suiv., 305, 311 et suiv., 374 et suiv., 421, 426, 431; II, 155, 156, 157, 179, 181, 189, 202, 459, 728.
- Robert de Cassel*, I, 182, 185, 190 et suiv., 312, 320, 322; II, 291.
- Ryhove*, I, 660.
- Sibille d'Anjou*, I, 98 et suiv.; II, 709.
- Tammard*, I, 81, 82, 84; II, 61, 68.
- Tanchelin*, I, 574.
- Thierry d'Alsace*, I, 7, 15, 67, 95 et suiv., 127, 285 et suiv., 579, 580, 582, 586, 588; II, 20, 22, 48, 89, 90, 91, 177, 699, 706, 709.
- Thomas de Savoie*, I, 16, 155, 299, 300; II, 724.
- Vandales*, I, 51.
- Vanderstraeten*, I, 81 et suiv., 85 et suiv.
- Vilain (Hector)*, I, 198, 199, 204, 321, 322.
- Vincent de Beauvais*, II, 152.
- Wenemaere (Guillaume)*, I, 196, 320.
- Wicman*, I, 516.
- Willebrord (Saint)*, I, 55.
- Ydonea*, femme de Lideric-de-Buc, I, 26, 29, 30, 459.
- Yprois*, I, 57, 168, 169, 191, 192, 195, 207, 215, 217, 228, 232, 295, 324, 329, 356, 341, 342, 559, 590, 591, 597, 598, 415, 417, 452; II, 76, 85, 194, 212, 240, 265, 285 et suiv., 399.
- Ywan d'Alost*, I, 602, 604, 605; II, 706.
- Zannekin (Nicolas)*, I, 189 et suiv., 204, 205, 318, 325.

TABLE DES NOMS DE LIEUX.

- Acspoelè*, peut-être Mespelaer à trois quarts de l. de Termonde, tome I, pages 95, 96, 285.
- Adengem*, voyez Enghien.
- Aen*, Ham, ville forte en Picardie, I, 252, 360.
- Aet*, Ath, place forte du Hainaut¹.
- Aire*, ville de France, dép. du Pas-de-Calais, I, 213; II, 645.
- Akria*, St-Jean d'Acre, I, 125, 125, 289.
- Allodium*, v. Neygen.
- Alost*, ville de la Flandre orientale, I, 256, 283, 300, 331, 337, 579; II, 89, 90, 281, 284 et suiv.
- Amand* (St-), ville de France, dép. du Nord, I, 215; II, 645.
- André* (St-), abbaye près de Bruges, I, 570.
- Apeltres*, Appel terre, commune de la Flandre orientale à 1 l. de Ninove.
- Archem*, y. Arquennes.
- Arquennes*, commune du Hainaut, à 1 1/4 l. de Seneffe.
- Ardenbourg*, petite ville de la Flandre holl., I, 25, 188, 189, 192, 196, 259, 242, 301, 318, 324, 343, 385, 386, 456, 556.
- Aspelaere*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Ninove.
- Assche*, bourg de Brabant, à 2 1/2 l. de Bruxelles.
- Assenede*, bourg de la Flandre or., à 4 l. de Gand, I, 192, 199, 319, 516.
- Athies*, commune de France, sur l'Orange, I, 311.
- Audenarde*, ville de la Flandre or., I, 12, 25, 35, 65, 195 et suiv., 241 et suiv., 288, 320, 341, 344, 544, 597; II, 82, 283, 355.
- Aychadre* (St-), ancien domaine de l'abbaye de Ninove à Catthem.
- Ayghem*, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. d'Alost.
- Axel*, petite ville de la Flandre holl., I, 516.
- Axpola*, v. Acspoele.
- Bacchem*, ferme à Ninove.
- Bailleul*, Belle, petite ville de France, dép. du Nord, II, 355.
- Bapaume*, ville de France, dép. du Pas-de-Calais, I, 126.
- Barlare* ou *Berlaere*, commune de la Flandre or., à 1 1/4 l. de Termonde.
- Basrode*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Termonde.
- Baudeloo*, ancienne abbaye dans la commune de Sinay, pays de Waes.
- Bergues-St-Winoc*, ville de France, dép. du Nord, I, 319, 502, 511; II, 56, 265.
- Bernes* ou *Berchem*, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. de Renaix, II, 471.
- Bevenghem* ou *Bevingen*, hameau de Neygen.

¹ Nous avons cru inutile d'indiquer les pages où se trouvaient cités des lieux qui n'ont pas été témoins de quelque fait remarquable et qui ne figurent le plus souvent que dans les diplômes.

- Beveren*¹, bourg de la Flandre or. au pays de Waes, I, 285, 290.
- Beverholt*, ancienne forêt près de Bruges, I, 240, 540.
- Bierliet*, ancienne petite ville de la Flandre holl., I, 178, 254, 364.
- Bochout*, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove à Dickelvenne.
- Bondues*, com. de France, dép. du Nord, II, 567.
- Bouchoute*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Assenede, I, 516.
- Boulaere* ou *Boulers*, Over- et Neder-Boulaere, communes de la Fl. or., près de Grammont.
- Bovines*, pont près de Tournai, I, 215, 297, 528; II, 25, 720.
- Bracle*, Opbrakel et Nederbrakel, communes de la Flandre or., à 2 1/2 l. d'Audenarde.
- Brangicourt*, endroit de France, dép. du Nord, II, 554.
- Bredene*, commune de la Flandre occid., à 3/4 l. d'Ostende, I, 208.
- Bredenbroek*, domaine près de Velsicque.
- Broqueroie* (*St-Denys en*), ancienne abbaye près de Mons.
- Bruzelles*, I, 252, 352; II, 242.
- Burst*, commune de la Flandre orient., à 1 l. d'Herzeele, I, 604, 708.
- Buyronfosse*, endroit de France, II, 470.
- Calf* ou *Calph*, hameau de la commune de St-Gilles au pays de Waes.
- Cambron*, ancienne abbaye du Hainaut.
- Canfin*, domaine de l'abbaye de St-Pierre à Gand, en France, dép. du Nord, I, 41.
- Carbonières*, forêt près de Reinirsart.
- Carmenland*, Kennemerland en Hollande.
- Cassel*, ville de France, dép. du Nord, I, 3, 5, 55, 59, 60, 65, 191, 205, 207, 597; II, 198, 211, 555, 460.
- Catthem*, hameau de Borgt-Lombeke en Brabant; le *Cattum* de Ferraris.
- Cherbourg*, ville de France, dép. de la Manche, I, 114 et suiv.
- Cherscamp*, commune de la Flandre or., à 2 1/4 l. de Termonde.
- Chin*, com. unie à celle de Ramegnies en Hainaut.
- Comines*, petite ville sur la Lys, dont une partie appartient à la France et une autre à la Flandre occid.
- Contrequeur*, ancien château d'Appelterre.
- Courtrai*, ville de la Flandre occid., I, 55, 168, 179, 191, 195, 194, 238, 519, 524, 587, 588, 590, 591; II, 12, 194, 195, 205, 206, 210, 285, 284, 286, 415, 456, 459, 516, 521.
- Damme*, ancienne ville de la Flandre occid., I, 15, 105, 184, 245, 296, 501, 517, 524, 545, 546, 575, 577, 586; II, 554, 555, 719, 751.
- Deinze*, ville de la Flandre or., I, 17, 195, 196, 255 et suiv., 515, 537; II, 284, 285, 355.
- Denderleeuw*, commune de la Flandre orient., à 1 1/2 l. de Ninove, II, 742.
- Deerlyk*, commune de la Flandre occid., à 1 3/4 l. de Courtrai.
- Destelberge*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Gand, I, 516, 525.
- Dickelvenne*, commune de la Flandre or., à 3 1/4 l. de Gand, I, 473.
- Dixmude*, ville de la Flandre occid., I, 25, 207, 254; II, 56, 555.
- Dombruc* ou *Dunbrouck*, ferme à Ideghem.
- Doorent*, hameau de Burst.
- Dottignies*, commune de la Flandre occid., à 2 1/2 l. de Courtrai, II, 195.
- Douai*, ville de France, dép. du Nord, I, 26, 554, 595.
- Dunkerque*, idem, I, 191.
- Ebboudengem*, v. Erenbodegem.
- Écluse* (*L'*), petite ville de la Fl. holl., I, 215, 216, 247, 317, 327, 546, 548; II, 549, 554, 459.
- Edinghe*, v. Enghien.
- Echout*, ancienne abbaye à Bruges.
- Eecloo*, petite ville de la Flandre or., I, 175, 199, 259, 254; II, 554.

¹ Beaucoup d'autres communes portent ce nom.

- Eename*, commune de la Flandre or., à 1/2 l. d'Audenarde, I, 276, 338, 346, 358.
- Eichem*, commune unie à Appelterre.
- Eine*, comm. de la Fl. or., à 1/2 l. d'Audenarde.
- Enghien*, petite ville du Hainaut, à 3 l. de Mons, I, 231, 239, 339; II, 354, 735.
- Ekelsbeke*, peut-être *Elbeek*, hameau de Strythem, I, 487.
- Elnone*, v. St-Amand.
- Elsegem*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Audenarde.
- Erfluctum*, Harfleur, ville de France, dép. de la Seine infér., I, 115.
- Erpe*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Alost.
- Espierres*, commune de la Flandre occid., à 2 1/2 l. de Courtrai.
- Esplechin*, commune du Hainaut, à 1 1/2 l. de Tournai, II, 135, 198, 226, 228, 554.
- Esche-St-Liévin*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Sottegem.
- Estaimpuis*, commune du Hainaut, à 2 3/4 l. de Tournai, II, 135, 554.
- Estruem*, ancien château et petite ville près de Valenciennes, II, 460.
- Evergem*, commune de la Flandre or., à 1 1/4 l. de Gand, I, 338.
- Eversenghem* ou *Eversem*, ancien domaine de l'abbaye de Ninove à Okegem.
- Evregnies*, commune du Hainaut, à 2 3/4 l. de Tournai, II, 119, 135, 198, 422, 553.
- Felseca*, v. Velsicque.
- Felthem*, v. Vlachim.
- Fivia*, v. Vive-St-Éloi.
- Flodesberch* ou *Flobecq*, commune du Hainaut, à 6 l. de Tournai.
- Franc de Bruges*, partie de la Flandre occid., I, 192; II, 200, 220, 283, 284, 405.
- Furnes*, ville de la Flandre occid., I, 189, 190, 193, 306, 375.
- Gand*, I, 12, 25, 26, 35, 197, 254, 296, 315, 327, 335, 352, 356, 358, 389, 439, 440, 445, 456, 458, 459, 464, 478, 496, 515, 523, 538, 542, 576, 592, 615, 619, 636; II, 7, 12, 85, 263, 695, 680, 681, 705, 719.
- Genappe*, bourg du Brabant, à 5 1/2 l. de Bruxelles; II, 355.
- Ghistelles*, bourg de la Flandre occid., à 3/4 l. de Bruges; I, 188, 189.
- Gothem*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Deinze.
- Grammont*, ville de la Flandre or., I, 197, 198, 238, 277, 320, 324, 338, 339, 357; II, 283, 284.
- Groeninghe*, ancienne abbaye près de Courtrai, I, 168; II, 193, 206, 521.
- Gudelengain*, aujourd'hui *Gullegem*, commune de la Flandre occid., à 1 l. de Courtrai.
- Haeltert*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. d'Alost.
- Halewyn*, commune de France, dép. du Nord, II, 264.
- Hallut*, anc. hameau de Neder-Hasselt¹.
- Harlebeke*, ville de la Flandre occid., I, 11, 12, 25, 32, 35.
- Harnes*, domaine de l'abbaye de St-Pierre à Gand, en France, dép. du Nord, I, 41.
- Hartbeke*, hameau de Saintes.
- Hasleth*, peut-être les Hassels, prairies près de Gand, I, 704.
- Hasnon*, ancienne abbaye en Hainaut.
- Haspres*.
- Hasselt*, hameau de Meys, en Brabant.
- Haut-Croix*, commune de Brabant, à 4 l. de Nivelles.
- Haut-Mont*, ancienne abbaye.
- Hedin-See*, petit golfe de l'Écluse², I, 285.
- Herchem*, ancien nom d'une partie de Gand.
- Helchin*, commune de la Flandre occid., à 2 1/2 l. de Courtrai.
- Heldergem*, commune de la Flandre or., à 4 3/4 l. d'Audenarde.

¹ Van Gestel croit à tort que Neder-Hasselt est Hallut; des chartes de la même époque les distinguent toujours.

² Kluit, de *nexu feud. inter Flandr. et Zel.* cap. I, pag. 166 et seq.

- Hellekine (Ter)*, hameau d'Affligem, I, 229.
Hengsdyk, commune de la Flandre holl.
Herdechim ou *Herdershem*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Alost.
Herines, commune de Brabant, à 4 1/2 l. de Nivelles.
Herlinchove, hameau d'Oultre.
Hoiren, ou *Hoorn*, ville des Pays-Bas, dans la Nord-Hollande.
Hollebeke, ancienne seigneurie de Woubrechtgem.
Holthem, *Hauthem-S^t-Liévin*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Herzeele, I, 462, 463, 527, 558.
Holthem, *Hautain-le-Mont*, commune de Brabant, à 1 1/4 l. de Nivelles.
Honnevaing, endroit voisin de Tournai, II, 344.
Hoorebeke, S^{te}-Marie et S^t-Corneille, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. d'Audenarde.
Huerne ou *Heurne*, commune de la Flandre or., à 1 l. 1/4 d'Audenarde.
Hughevliet, ancien endroit de la Flandre holl., I, 178.
Hulst, ville de la Flandre holl., I, 516, 642, 708.
Hulsterloo, endroit de la Flandre holl., au nord de Hulst, I, 604, 607, 706, 708.
- Idegem*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Grammont.
Idergem, commune de la Flandre or., à 1 l. de Ninove.
Impenghem, hameau au sud de Liedekerke.
Ingelmunster, bourg de la Flandre occid., à 2 3/4 l. de Courtrai, I, 375; II, 187.
Inghelant, hameau près de Wolpute.
Iette, ancienne abbaye près de Bruxelles.
- Keinoet*, le *Quesnoi*, ville de France, dép. du Nord.
Kesselaere ou *Knesselaere*, commune de la Flandre or., à 4 1/2 l. de Gand.
- Labroc*, ancienne ferme près de Ninove.
Lammensvliet (L'Écluse), I, 25, 105, 304.
Ledeberghe, ancienne seigneurie à Pamele.
- Leebeke*, hameau qui dépend à la fois de Denderhauthem, Oultre et Neder-Hasselt.
Lessines, ville du Hainaut, à 1 l. de Grammont, I, 57, 59, 308, 396, 397.
Lewe, v. Denderleeuw.
Liedekerke, commune du Brabant, à 2 l. d'Assche.
Lifreghem ou *Liefferinge*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Ninove.
Lille, ville de France, chef-lieu du départ. du Nord, I, 20, 21, 23, 32, 47, 296, 305, 354, 421, 422; II, 89, 201, 205, 355, 455, 722.
Liviri, *Livry*, commune de France, départ. du Nord, II, 554.
Loetsh, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove à Santbergen, indiquée sur la carte de M. Gérard sous le nom de *Luyts*.
Lokeren, ville de la Flandre or., à 4 l. de Gand, I, 708.
Lombeke, commune du Brabant vers la Dendre.
Lotharingie, *Lottrike*, I, 24, 25.
Louvain, ville du Brabant, II, 354.
- Maldegem*, I, commune de la Flandre or., à 1 3/4 d'Eecloo, I, 65, 259, 242, 378; II, 497.
Male, hameau de la Flandre occid., près de Bruges, I, 259, 584; II, 265.
Malines, ville de la province d'Anvers, I, 210; II, 217, 233, 467.
Martin (S^t), ancienne abbaye à Tournai, II, 115, 120, 135.
Murvi, ancien hameau de France, départ. du Nord, II, 545.
Maubeuge, ville de France, dép. du Nord, II, 555.
Merchtem, commune du Brabant, à 1 l. d'Assche.
Meerbeke, commune de la Flandre or., à 1/2 l. de Ninove.
Meinblike, *Medenblik*, ville des Pays-Bas dans la Nord-Holl., I, 64.
Mendonck, commune de la Flandre or., à 2 1/2 l. de Gand, I, 442; II, 640.
Menin, ville de la Flandre occid., II, 264, 572.
Menz, ou *Meysse*, commune de Brabant, près de Grimberghe.
Meerendre, commune de la Flandre or., à 2 l. de Gand, I, 506, 593; II, 567.

- Messines*, bourg de la Flandre occid., à 2 1/4 l. d'Ypres.
- Métiers (Quatre-)*, ancien nom d'une partie de la Flandre, I, 192, 198, 199, 254, 258, 259, 246, 500, 520, 538, 546.
- Mons*, chef-lieu du Hainaut, II, 355.
- Mons-en-Puelle*, commune de France, départ. du Nord, I, 173, 174, 510, 414; II, 201.
- Mont-S'-Martin*, ancienne abbaye en Picardie.
- Moorselede*, commune de la Flandre occid., à 3 l. d'Ypres.
- Mouscron*, commune de la Flandre occid., à 2 1/2 l. de Courtrai.
- Neder-Hasselt*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Ninove.
- Neder-Wic*, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove, près de la Dendre.
- Neygen* ou *Allodium*, commune de la Flandre or., à 1 l. de Ninove.
- Nieuport*, ville de la Flandre occid., II, 354.
- Nieuwenhove*, commune de la Flandre or., à 1 3/4 l. de Grammont.
- Ninove*, ville de la Flandre or., I, 256, 585, 628; II, 701, 705, 709, 724.
- Nivella*, Nevele, bourg de la Flandre or., à 3 l. de Gand, I, 196, 258, 663, 705.
- Nort-Vrien*, partie sept. du Franc de Bruges, I, 188, 237, 318.
- Oedike*, *Oyke*, commune de la Flandre or., à 1 l. d'Audenarde.
- Okegem*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Ninove.
- Olsene*, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. de Deinze.
- Omer (Saint-)*, ville de France, départ. du Nord, I, 12, 52, 55, 36, 467; II, 412, 416, 435.
- Oorscamp*, *Oostcamp*, commune de la Flandre occid., à 1 l. de Bruges.
- Oostburg*, commune de la Flandre holl., I, 239, 386.
- Oost-Vrien*, partie orientale du Franc de Bruges, I, 189, 198, 254, 319, 520, 539.
- Ophem*, hameau de Menz, aujourd'hui commune du Brabant.
- Ostende*, ville de la Flandre occid., I, 65, 208, 248, 525.
- Oudenburg*, commune de la Flandre occid., à 3 1/4 l. de Bruges, I, 25, 63, 208.
- Oultre*, commune de la Flandre or., à 1/3 l. de Ninove.
- Orvillenbroec*. V. Willebrock.
- Pamele*, commune du Brabant, à 3 3/4 l. de Bruxelles.
- Papegain*, *Papegem*, ancienne ferme et hameau peu éloigné de Tournai, à Vliederzele.
- Passendale*, commune de la Flandre occid., à 2 3/4 l. d'Ypres.
- Perse*, *Perche*, ancienne province de France, I, 121.
- Petegem*, commune et ancien château princier, à 3/4 l. d'Audenarde, I, 195.
- Petegem*, commune de la Flandre or., à 1/4 l. de Deinze, I, 606, 705.
- Pollare*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Ninove.
- Pollensele*. V. Volensele.
- Ponteraven*, anc. seigneurie à Waesmunster.
- Poperinghe*, ville de la Flandre occid., I, 191, 215, 254, 529, 541.
- Puymbeke*, ancienne seigneurie de St-Nicolas.
- Ramegnies*, commune du Hainaut, à 1 1/2 l. de Tournai, II, 222.
- Ransbeke*, hameau près des Trois-Fontaines, à 2 l. de Bruxelles.
- Redenburg*. V. Rodenburg.
- Reinirsart*, ancienne propriété de l'abbaye de Ninove près de Seneffe.
- Renaix*, ville de la Flandre or., I, 489.
- Rideve*, ancien château à Pamele.
- Rode*, hameau de Menz.
- Rodenburg*, depuis Ardenburg, I, 105, 505, 444.
- Roeslaer*, ancien domaine de l'abbaye de Ninove près de Woubrechtgem.

- Rongi*, commune du Hainaut, à 2 1/4 l. de Tournai (1).
- Ronquières* ou *Runkirs*, ferme près de Nivelles, et commune du Hainaut.
- Rosselgnon*, *Roussillon*, ancienne province de France.
- Roosbeke*, aujourd'hui *West-Roosbeke*; commune de la Flandre or., à 3 l. de Courtrai, I, 5.
- Rotubii portus*, Rouen, I, 5.
- Roubaix*, petite ville de France, départ. du Nord.
- Roulers*, ville de la Flandre occid., I, 6, 191, 281.
- Rouvroy*, commune du Hainaut, à 5 1/2 l. de Charleroi.
- Rubroec*, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove, près de cette ville.
- Rumegnies*, *Ramegnies*, près de Tournai, II, 173, 200.
- Rusla*, *Russelede*, commune de la Flandre occid., à 4 l. de Bruges, I, 598.
- Saintes*, commune du Brabant, à 5 1/4 l. de Nivelles.
- Salegem*, ancien hameau près de Vracene, I, 603, 604, 607, 705 et suiv.
- Sanbergen*, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. de Grammont.
- Schendelbeke*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Grammont.
- Scora*, *Ter Schoor*, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove à Okegem.
- Scornay*, *Schoorisse*, commune de la Flandre or., à 1 1/4 l. d'Audenarde.
- Senefte*, commune du Hainaut, à 2 l. de Nivelles.
- Sithiu*. V. *St-Omer*.
- Sletthem*, ancienne ferme et hameau de Neder-Hasselt.
- Slusa*. V. *L'Écluse*.
- Smedelinge*, endroit près de Cassel, I, 61.
- Sommergem*, commune de la Flandre or., à 2 3/4 l. de Gand.
- Stades*, *Staden*, commune de la Flandre occid., à 3 2/3 l. d'Ypres.
- Steenhuyze*, commune de la Flandre or., à 3 1/2 l. d'Audenarde.
- Stripes* ou *Strypen*, commune de la Flandre or., à 2 1/2 l. d'Audenarde.
- Strythem*, commune du Brabant, à 5 l. de Bruxelles.
- Suinegem*, *Syngem*, commune de la Flandre or., à 5 1/2 l. de Gand, I, 599.
- Swiffem*, hameau d'Idegem.
- Sylvanecte*, *Senlis*, ville de France, départ. de l'Oise, I, 2, 12.
- Taintignies*, commune du Hainaut, à 1 1/2 l. de Tournai, II, 198, 226.
- Tamise*, bourg de la Flandre or., à 2 1/2 l. de Termonde.
- Templeuve*, commune du Hainaut, à 1 1/2 l. de Tournai, II, 135.
- Termonde*, ville de la Flandre or., I, 216, 217, 256, 257, 241, 524, 529, 338, 394; II, 237, 285 et suiv.
- Thielt*, ville de la Flandre occid., I, 65.
- Tirlemont*, ville du Brabant, II, 554.
- Torhout*, ville de la Flandre occid., I, 12, 35, 65, 71, 76, 191, 464.
- Tousan*, *Ter Doest*, ancienne abbaye de la Flandre occid., I, 169, 450.
- Tournai*, ville du Hainaut, I, 509, 528, 547, 593, 403, 586, 655; II, 17, 170, 172, 186, 199, 206, 207, 211, 224 et suiv., 275, 277, 547, 548, 551, 554, 561, 565, 581, 599, 408, 457, 461, 465, 480, 485, 484.
- Tronchiennes*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Gand, I, 248, 458, 464, 506, 585, 591, 595, 600 et suiv., 650, 651.
- Tussenbeke*, ancien couvent à Cherscamp, I, 637, 657, 676.
- Ursele*, commune de la Flandre or., à 5 1/2 de Gand.
- Ursidongus*, *St-Ghislain*, petite ville du Hainaut, à 2 l. de Mons.

(1) Patrie réelle de Li Muisis que M. Dinaux, trompé par la similitude des noms, a placée près de St-Amand.

- Valenciennes*, ville de France, départ. du Nord, I, 47, 215 ; II, 182, 185, 551, 555.
- Veere*, petite ville de Zélande, I, 400.
- Velsique*, commune de la Flandre or., à 2 1/2 l. d'Audenarde.
- Vive-St-Éloi*, commune de la Flandre occid., à 3 1/4 l. de Courtrai, I, 228.
- Flachen* ou *Vlekhem*, commune de la Flandre or., à 1 1/2 l. d'Alost.
- Vloesberge*. V. *Flodesberch*.
- Volensele*, commune du Brabant, à 5 l. de Nivelles.
- Voorde*, commune de la Flandre or., à 2 5/4 l. de Grammont.
- Vorssebruch*, *Verrebroek*, I, commune de la Flandre orientale au pays de Waes.
- Vrien*, V. le Franc-de-Bruges.
- Waes*, partie de la Flandre or., dont se forme le district de St-Nicolas, I, 105, 198, 300, 320, 454, 516.
- Walcheren*, île de Zélande, I, 55, 102, 300, 301 ; II, 55, 681, 726.
- Wambeke*, commune du Brabant, à 2 1/2 l. de Bruxelles.
- Waeregem*, bourg de la Flandre occid., à 3 1/4 l. de Courtrai.
- Wedergraete*, ancienne seigneurie près de Meerbeke.
- West-Eecloo*. V. *Eecloo*.
- West-Vrien*, partie Est du Franc, I, 190.
- Willebecca*, *Wilsbeke*, commune de la Flandre occid., à 5 l. de Courtrai.
- Willebroek*, commune de la province d'Anvers, à 2 l. de Malines.
- Winendale*, ancien château des comtes de Flandre à Torhout, I, 76, 309, 580, 588.
- Wittesgate* ou *Wytschaete*, commune de la Flandre occid. à 1 3/4 l. d'Ypres, I, 40.
- Woeronc* ou *Woeringen*, I, 431 ; II, 159, 160, 730.
- Wolpute*, ancienne ferme de l'abbaye de Ninove, près de Meerbeke.
- Wormholt*, v. Bergues-St-Winoc.
- Woubrechtgem*, commune de la Flandre or., à 1/2 l. d'Herzeele.
- Ydenghem*, v. Idegem.
- Ydrenghem*, v. Idergem.
- Ypres*, ville de la Flandre occid., I, 175, 195, 225, 245, 296, 651 ; II, 57, 66, 86, 264.
- Zamslacht*, village de la Flandre holl., dépendant du métier d'Axel.
- Ziericzee*, ville de Zélande, I, 173, 401, 405, 408 et suiv. 485.
- Zoutcote*, *Zuidschote*, commune de la Flandre occid., à 1 2/3 l. d'Ypres, I, 191.
- Zwyndrecht*, commune de la Flandre or., à 3/4 l. de Beveren.

GLOSSAIRE

DES MOTS LATINS LE MOINS USITÉS DANS LE MOYEN AGE.

- Ajournamentum*, ajournement.
Amiras ou *Amireus*, Émir, titre de quelques princes mahométans.
Assisia, assises.
Aysentia, du français aisance, faculté d'user de choses qui, dans une ferme, appartiennent au propriétaire, par sa concession.
- Bastardus*, bâtard.
Berquaria, bergerie.
Bibaldi, voy. Bidaldi.
Bidaldi, soldats armés de piques et de poignards.
Bladus, blé.
Bunarium, bonnier.
- Canon*, règle, office ecclésiastique.
Carrata, charretée.
Circaria, district d'un visiteur.
Circator, visiteur des couvents dans l'ordre de Prémontré.
Conquirere, conquérir.
Copia, copie.
Corrizare, pour *choreizare*, danser.
Curtis, ferme.
Custus, du flamand *kost*, dépense.
- Carniprivium*, carnaval.
Dammum, du flamand *dam*, digue.
Deviare, mourir.
Diffidare, rejeter la foi et l'hommage d'un vassal.
Divisio, devise.
Dykus, du flamand *dyk*, digue.
- Excantia*, héritage en ligne collatérale.
Exclusa, écluse.
Exfestucare, abdiquer une propriété, voy. Du Gange.
- Filiola*, filleule.
Foresturius, administrateur des forêts, forestier.
- Garba*, gerbe.
Gardiator, gardien du temporel d'un couvent.
Galiardus, bouffon, bon vivant.
Gardinus, jardin.
Guerra, guerre.
Guerpire, voy. Werpire.
- Hala*, halle.

Harnegium, harnais.

Haucettæ, guêtres.

Ingenia, engins.

Jocalia, bijoux.

Karistia, cherté.

Lollardi, religieux alexiens ou sachets.

Manerium, manoir ou maison.

Mechanicus, ouvrier.

Medo, sorte de boisson nommée en flamand
mede ou *mee*.

Nisus, aigle de mer, sorte d'épervier.

Patacon, monnaie ancienne dont la valeur a
souvent varié.

Perongilia, combats partiels, escarmouches.

Physicus, médecin.

Polyta, espèce de jeu.

Potus, pot.

Praestaria, impôt en nature.

Ribaldi, ribauds.

Routa, querelle, plus souvent troupe d'hommes
armés.

Sclusa, écluse.

Serviens, sergent.

Solidarii, soldats.

Soufranciae, trêve.

Speya, en flamand *spey*, sorte d'écluse.

Springales, sorte de pierriers.

Suberia, bien, avoir.

Treuga, trêve.

Truffare, tromper.

Turbo, tourbe.

Venantia, chasse, *venatio*.

Vierscaria, en flamand *vierschare*, tribunal.

Wanta, gant.

Warandire, garantir.

Warandisia, garantie.

Wastina, terre inculte.

Werpire, se dessaisir légalement d'un bien.

Werpitio, dessaisissement.

GLOSSAIRE ROMAN.

- Acoukié*, couché.
Acraventer, renverser.
Adéboinairi, rendit plus traitable.
Adierchiés, *adréchiés*, instruit.
Adonkes, donc.
Aersent (s'), s'attachent.
Afaitier, confectionner.
Afeulie, accablé, affaibli.
Affiert, *Affrit*, convient, convint.
Afikiet, attaché.
Afins, proches, parents, *affines*.
Aflians, tâchant. Le traducteur de l'ancienne chronique de Flandre a rendu ainsi le mot *tentantes*.
Aflittes, affligées, *afflictæ*.
Agraaule, agréable.
Agrevant, empirant, *ingravescens*.
Ahané, cultivé.
Ahaneur, laboureur.
Aire, place, *area*.
Airer, irriter.
Aidierres, aide, auxiliaire.
Aises (en), presque. Dans la chronique latine de Gualterus, ce mot correspond à *ferre*.
Ainçois, au contraire, avant.
Aive, aide.
Alasser, relâcher, *lazare*.
- Aler* (sous), succéder.
Aléure, allées et venues, *allure*.
Amenri, *amoindri*, diminué.
Amentevoir, se souvenir.
Amerres, amateur.
Anemiaulement, en ennemi. Nous avons conservé *amiablement*, qui est exactement le contraire, et qui rappelle la forme de ce mot.
Antain, tante. Cette forme est celle du cas oblique; au nominatif on disait *ante*.
Antevène, antienne, du latin *antiphona*.
Aourer, adorer.
Aparoler, parler à.
Apert (en), publiquement.
Aperti (tout), tout ouvertement.
Apostole, le pape.
Apriés, assortis, unis par paires; on dit aujourd'hui *appariés*.
Aqueste, revenus.
Archounière, pièce qui a rapport aux arçons.
Arguèche, finesse, subtilité.
Arme, âme.
Asouagier, adoucir, du latin *suaviare*, dont le sens n'est pourtant pas le même.
Assise, attaque, siège.
Atapir, cacher. *Se tapir* est encore usité.

Atapisaument, en secret; on dit aujourd'hui
en tapinois.

Atarger (s'), être en retard.

Li quens Robert d'Artois n'y va plus *atargant*.
Les plas d'argent reprend, qui sont fort et pesant.

(*Le vœu du Hairon*, v. 344-45, édit.
des bibliophiles de Mons.)

On dit encore en patois *s'atarger* et quelque
fois *s'atarder*.

Atempriément, avec modération.

A tout, avec.

Atre, porche, portail, *atrium*.

Avé, avec.

Avenaument, convenablement.

Avironnement, fortification.

Avocis, avoué.

Avuiller, mettre au niveau, niveler.

Avulée, avenglée.

Avuis, embûches, aguets. On trouve aussi
agait.

Lor *agait* metent dedens l val parfund.

(*RAOUL DE CAMBRAI*, pag. 230,
édit. de M. Edw. Legley.)

Ayuwe, aide.

Bancloke, cloche du ban.

Banier, porte-bannière.

Baissiele, servante, domestique. On prend
aussi ce mot dans le sens de *suite*, et il est
traduit alors par *clientela*. Au surplus voy.

D. Carpentier aux mots *Baila* et *Beassa*.

Barbres, barbares.

Bauch, *Baus*, poutres, sommiers.

Bénéichon, bénédiction.

Berc, berceau.

Besoingneur, marchand, *negotiator*.

Boien, bon.

Boine eureuseté, prospérité.

Bonnes, bornes.

Boisdie, fraude, trahison.

Caunt, tombant.

Cachier, chasser.

Caière portaule, litière, chaise à porteur.

Caitis, malheureux.

Cange, échange.

Car, char, chariots.

Cartre, prison.

Caterres, troupes.

Catouner, ramper.

Cauchemente, chaussure.

Caure, chaleur.

Caus, coups.

Cautele, prudence.

Chaière, chaise, chaire.

Chelément, en secret.

Chens, cent.

Chièrè lie, bonne mine, joyeux visage. L'italien,
auquel il faut souvent recourir pour les éty-
mologies françaises, dit encore *ciera* dans le
sens de visage : *far buona cièra a uno*, signi-
fie faire bon accueil à quelqu'un.

Chis, ce. *Chis Bauduins*, ce Baudouin.

Ciuncantime, cinquantième.

Clamissiens, que nous réclamions.

Clop, *Clos*, boîteux.

Coiment, en secret.

Coisir, apercevoir.

Comblel, comble, faite.

Confaitièrement, *Confaitement*, de quelle façon.

Voy. Ph. Mouskes, vers 26324. On dit en-
core en italien *fattamente* dans le même sens.

Commixion, union.

Comprer, payer, acheter. Ital. *comprare*.

Con, comment.

Connissaule, connaissable, à connaître.

Consilluement, avec délibération, *consulte*.

Convignalement, convenablement.

Cort, court, cense, héritage, cour.

Cotèle, tunique, cotte.

Couker (se), se coucher.

Coumenchailles, prémices.

Coupaule, coupable.

Coupie, permission, *copia*.

Coures, keures, privilèges.

Couvenenche, accord.

Craaule, *Créaule*, croyable.

Crémant, craignant.

Cum, comme.

Cunkiet, Conchié, souillé.
Curer, avoir soin.
Curiaus, gens de la cour.

Daerrain (au), en dernier lieu.
Dam, Dant, seigneur.
Darrain, dernier.
Débatement, pleurs, douleur.
Dédication, dédicace.
Défaute, défaillance, stérilité. *Li défaut de le tière*.
Deffremer, ouvrir.
Dégaber, se moquer.
Délectablement, délicieusement, *delectabiliter*.
Délectabilité, délices.
Démonstrêche, prouve, démontre, 3^me personne du présent du subjonctif.
Demouranche, retard.
Dépuplier, publier.
Dervéement, diaboliquement, méchamment.
Derverie, méchanceté.
Désara, manquera ; le chroniqueur roman traduit ainsi le mot latin *carebit*. Serait-ce le futur du verbe *désavoir*, cesser d'avoir, et conséquemment *manquer* ?
Desdingner, s'indigner.
Désevrer, séparer.
Désêrche, subjonctif du verbe *desservir*.
Descaus, déchaussé. Philippe Mouskes, écrit *descauc* qui se rapproche mieux de son origine *discalceatus*.
Désierte, mérite.
Deskierque, décharge.
Desmembre, torturer.
Despaire, dépareillé.
Despané, déchiré, les pans en lambeaux.
Despareus, inférieur, inégal, *impar*.
Despisoit, méprisait, *despiciabat*.
Desroi, désordre.
Desservir, mériter.
Dessoivrent, séparent, arrachent.
Devenres, vendre.
Devens (par), par dedans, intérieurement.

Dévier, mourir.
Devine, divine.
Dieus, deuil.
Diien, doyen.
Dittié, dit, poème.
Doi, deux.
Dounaule, à donner, *donativum*.
Dusques, Druskes, jusques.
Échoite ; droit d'échoite, en latin *escaanchia, escaeta*, héritage en ligne collatérale.
El, autre, *aliud*. D'un et d'el, de côté et d'autre.
Elquel, dans lequel.
Embler, enlever.
Empenage, Espenage, apanage.
Empourchou que, afin que.
Enaises, Euaissés, Voy. Aises.
Embié, empêché.
Encacher, chasser.
Encambré. Ce mot est la traduction du latin, *concameratus*, enfermé comme dans une chambre. « *Et ichele encambrée convignaullement en une caière portaule.* » Tom. II, pag. 56.
Enfès, enfant, jeune garçon.
Enfonchier, approfondir.
Engiens, style ; le chroniqueur roman traduit ainsi le mot latin *stylus*. Tom. II, pag. 58.
Engréé, naturel, *inné*. Gualterus rend ce mot par *ingenitus*. Il faut donc se garder de le confondre avec le mot *engriés, engrés*, qui signifie empressé.
Ensauchiés, élevé.
Ensement, aussi, de la même manière.
Enseurketout, de plus.
Ensieverres, exécuteur.
Ensivauleté, postérité.
Ensvir, suivre.
Entains, atteints.
Entalentet, désireux.
Entomber, ensevelir.
Entrecañaule, lisez *entrecañaule*, mutuel, alternatif, *entrecambiable*. On trouve en effet dans les sermons de saint Bernard : *Si nos par*

entrechainjaule *repos n'en estions aligiez*, nisi *alterna* requie foveamur. Le chroniqueur roman nous présente deux fois ce mot, mais dans des acceptions diverses. « Li ques Hues, dit-il, d'un côté, tom. II, p. 54, pour le biauté *entrecaniaule* de cors et de meurs fu apielés fleurs des jovenchiaus. » Cette phrase est rendue ainsi dans la chronique latine, tom. I, pag. 45: « Qui ob *nimum* decorem corporis et morum flos juvenum appellatus est. » Or si l'on s'en rapportait à ce passage, *entrecaniaule* signifierait excessif, *nimus*; mais dans un autre endroit, tom. II, pag. 77, nous trouvons: « Et eslevèrent en tel manière un haut arbre, et le rue d'un car mis par deseure, il fisent seir ichiaus par deseure encousus par quirs de buef, et, em pourchou que il peussent plus longement durer, ajoins ensamble par embrachement ausi ke *entrecaniaule*. » Ce que Gualterus rend par « et quasi *mutuo* complexu colligatos. » Il est donc évident que le traducteur se sera trompé en lisant dans le premier passage *nimum*, au lieu de *mutuum*, et que le mot *entrechainjaule* a exactement la signification d'*entrecambiable*. Au surplus on disait aussi *entrechaungeablement* dans le sens de mutuellement, en échange.

Entrementière que, tandis que.

Erre, allée, passage.

Escamiel, escabeau.

Escandeles, scandales.

Escaufer, échauffer.

Esclissé, *Esclos*, soustrait, séparé.

Escoumouvoir, réveiller, exciter.

Escoumus, excité.

Escusanche, excuse.

Eskemenchier, excommunier.

Eskiers, instruments de labour.

Eslécchans, sautant de joie, bondissant.

Esmervellaule, merveilleux.

Espartoit, distribuait.

Espeus, époux.

Espériment, épreuve.

Esrant (tout), aussitôt.

Essaucier, exalter, élever.

Essil, exil, expulsion.

Estor, établissement, fondation.

Estorst, força.

Estoupées, fermées, *obtrusis portis*, les portes estoupées.

Estraingues, étrangers.

Estre-vous, voilà que.

Estrif, lutte, effort, bataille.

Estriver, disputer, s'efforcer.

Estruire, instruire, élever.

Estrumentel, instrument.

Faide, haine, inimitié.

Faint (estre), être fait.

Faiture: tu m'as tollue ma *faiture*, tu m'as enlevé mon enfant, celui que j'avais fait.

Familleux, affamé.

Fermeur, fermier.

Fiablté, *Fiauté*, féauté.

Fianche, accord.

Fies (mil), mille fois.

Fikier, placer, ficher.

Fillastre, belle-fille.

Fonc, faon.

Forment, fortement.

Forsjetés, mis dehors.

Fourche en preit, obligation de fournir fourche et râteau pour la récolte du foin.

Foursenément, violemment.

Foursener (se), sévir.

Foursenerie, fureur.

Fraite, fracassée, *fra(c)ta*.

Fu, feu.

Fuer, dehors.

Funkière, fumée.

Genre, gendre.

Graindre, plus grand.

Grandèche, grandeur.

Gréaule, agréable.

Griès, graves, terribles.

Gringnour, plus grand.

Haitiés, joyeux, bien portant.

- Hateriaus*, cou, poitrine.
Heurs, hors.
Houurt, échafaud.
Huge, coffre, huche, écriin.
Hunners, honneurs.

Iche, ce.
Ichiaus, ceux-ci.
Ichil, id.
Iluèques, en ce lieu-là.
Iretage, héritage.
Isnèle, prompt.
Isnèlement, promptement.
Isteroit, sortirait.

Jasoit ce que, quoique.
Jeu, joug.
Joe, jone.
Junes, jeûnes.

Kerker, charger.
Keurent, chercheur, du lat. *quærent*.
Keute, coudée.
Keyent, échoient, tombent.
Kier, cher.
Kierkes, charges, bagages.
Kioires, cloaques.

Laic, lacs, lacets.
Laidures, blessures, du lat. *lædere*.
Laiier, laisser.
Langes, qui est fait de laine, *laneus*.
Larechineusement, en secret.
Lée, large.
Léeche, *leiche*, liesse, plaisir, joie.
Lermes, larmes.
Lerres, larron, voleur.
Liés, joyeux.
Lingnes, qui est fait de lin, *lineus*.
Liu, lieu.
Loiet, lié.
Loist (il), il faut.
Louaulement, d'une façon louable.

Machent, mettent, subjonctif du verbe *mettre*.
- Mailles*, taches, du latin *maculæ*.
Mains, moins.
Marche, pays, comté.
Mases, mauvaises.
Matir, confondre, réduire à l'extrémité.
Meist, demeura, resta, lat. *mansit*.
Meneres, conducteur.
Menres, moindre.
Més, malheur, ce mot est rendu dans la chronique latine par *adversa fortuna*.
Mésiaus, lépreux.
Mettre sus, accuser.
Mie (ne), non pas.
Mieudres, meilleur.
Moïene, milieu.
Moniage, état monastique.
Morteument, mortellement.
Mote, élévation.
Moulle, moëlle, *ex imis medullis*, des basses moulles.
Moure, moudre.
Mucer, cacher. On dit encore en rouchi *mucher*.
Muet, dépend, du latin *movet*.
Munde, pur.

Navechiele, barque.
Nawaires, naguères.
Nekedenkes, néanmoins.
Nices, sot, simple, ignorant.
Nient, nullement.
Niés, neveu.
Niket, nom que l'on donna au vin, à Tournai, en l'année 1555. *Voy.* tom. II, pag. 467. Roquefort assigne au mot *niquet* la signification de bagatelle, chose de peu de valeur. Si au lieu d'écrire: *Vina fuerunt vividissima*, le chroniqueur avait mis *vilissima*, le sens du mot *niket* serait fort clair et ne laisserait pas de doute.
Nombraule (nient), innombrable.
Nounes, nones.
Nourristères, père nourricier.
Nuèches, noces.
Nus, nul, personne.

Orde, souillé, sale.

- Ore*, maintenant.
Orendroit, maintenant.
Orfène, orphelin.
Ost (s'), son armée.
Otrier, octroyer, accorder.
Ouvcr, prier.
Outerra, obtiendra.
Ouvrant, opérant, travaillant.
- Paingamment*, également.
Paistres, prêtre.
Palic, palissades.
Parcréus, devenu grand.
Par d'encoste, auprès, *juxta*.
Parmenaule, durable, permanent.
Pau, peu de temps.
- Cilz qui le fist pau prélat iestre.
 (Celui qui voulut qu'il fût *si peu de temps* prélat.)
Voy. tom. II, pag. 446.
- Pauch*, pouce. *Guillaume*, dit le chroniqueur roman, *fu navrés en le main desous le pauch*.
 On lit dans Gualbert : *Medium brachii quod adjunctum manui cohæserat, perfodit*.
Péchier, déchirer, dépecer.
Permenaument, perpétuellement.
Peus, poils.
Pis, poitrine.
Plait, discours.
Planchons, baguettes, jeunes arbres.
Planiel, *voy.* tom. II, pag. 921. Trois bonniers sur le *planiel* de le spinette.
Plenté, nombre, multitude.
Plentieument, abondamment, à *plenté*.
Plouraule, déplorable.
Plucve, pluie.
Poestiens (sires), seigneur de poesté. *Voy.* t. II, p. 955.
Postailles, refuge, asile.
Poulage, redevance en poulets.
Pourvéaule, prévoyant.
Praer, piller, latin *præ(d)ari*.
Precheus, paresseux.
Présentement, en personne, lat. *præsentialiter*.
Prius, périls.
- Proisme*, prochain, *proximus*.
Provenche, caractère.
Pule, peuple.
Punier, punir.
- Quankes*, comme, aussi bien que.
Quidans, pensant.
Quidiement (nient), inopinément.
Quis, cherché, latin *quaesitus*.
- Racateur*, racheteur, rédempteur.
Rakellon, crachât.
Ramenbraule, se souvenant.
Rappeaulx, rappels.
Rapresser, réprimer.
Ravine, rapacité, rapine.
Recoi (en), en secret.
Recors, souvenir.
Regehir, confesser.
Regiés, hauts faits, latin *regesta*.
Rehaitiés, réjouir.
Remerrent, demeurèrent.
Renkéu, tombé.
Renne, règne.
Repairer, *repairier*, se retirer.
Repareller, rappareiller.
Repusement, secrètement.
Repusist (se), se cachât.
Rère, raser, racler, gratter.
Rés, rasés.
Rescousse, *Rescouste*, secours, vengeance.
Resoingner, redouter.
Retés, accusé.
Reueet, roue, rouet.
Rewardoumes, regardons, examinons.
Rieule, *Riule*, règle.
Rikèche, richesse.
Riote, querelle, dispute.
Ripostaille, abri, refuge.
Riu, ruisseau, rive.
Royer, rayer, biffer.
Rue, roue.
- Sachaule*, mal disposé, *male conscius*.
Saiète, flèche.

Saker, tirer.

Ils sachèrent leurs épées.

Chron. de GILLES DE CHIN, p. 41.

Salant (en), en sautant.

Sammier, chanter des psaumes.

Sanés, guéri.

Sanler, sembler.

Sarcu, cercueil.

Se, sen, son, sa.

Sech (par), à pieds secs.

Seir, être assis.

Senlunche, semblance.

Sés, sec, sourd aux remontrances.

Proesco, que ne t'iert-il *sés*!

Tom. II, p. 252.

Seus, seul.

Sierjant, aide, serviteur.

Sieue, Siue, sienne.

Sisent, se campèrent.

Sivir, suivre.

Soelés, assouvi, saoulé.

Soie, sienne.

Soif, haie, du latin *sepes*.

Soingnant, concubine.

Et pour çou que de fit savoit
Que Frésoude espousée avoit,
Ki de moult loac tans en arrière
Avoit été sa camborière
Et tenu l'avoit *songnant*.

PHILIPPE MOUSKES, vs. 772-776.

Sollaux, soleil.

Souples, suppliant, du latin *supplex*.

Soutienté, subtilité.

Stanche, écluse, étang.

Suecre, beau-père, *socer*.

Taien, Taion, aïeul.

Tencheresse, méchante.

Tenches, méchancetés, injures.

Terdre, essuyer, *tergere*.

Tes, tels, telles, *tes choses*, telles choses.

Tirs, tiers.

Tolu, enlevé.

Tonlinier, receveur du tonlieu.

Tonnoile, tonnerre.

Torchouneries, injustices, méchancetés.

Tranlans, tremblant.

Traveller, tourmenter, chagriner.

Trés, depuis.

Treskerie, tricherie, trahisou.

Trespasser, outrepasser, *transire*.

Triuler, forcer, *adstringere*.

Trochuns. Ce mot semble devoir signifier

hourt, échafaud, à moins qu'il n'ait eu jadis
une acception de localité. *Voy.* tom. I,

p. XLIII.

Truis (je), je trouve.

Truist, qu'il trouve.

U, ou.

U, au.

Unement, uniquement.

Vait, envahi, fatigué.

Vart, part, *nulle vart*, nulle part.

Vaut, voulut.

Véaule, visible.

Vencaule (nient), invincible.

Venianche, châtement, peine.

Venkierres, vainqueur.

Ventele, porte d'une écluse.

Ver, vers, *carmen*.

Verroit, viendrait.

Veske, évêque.

Veve, veuve.

Viseus, rusé.

Visses, vices.

Visveté, vivacité.

Voire, vrai.

Vuirs, vivier.

Walcq, wallon, gaulois.

Warandecors, *wardecors*, garde-corps, sorte
d'habillement.

Wi, le jour de *wi*, aujourd'hui.

Wières, guerres.

Winguerous, nom d'une cloche, à Tournai.

Wit, huit.

Wizeuses, paresse.

FINIS TOMI SECUNDI.

~~~~~

**COMPREHENDUNTUR HOC VOLUMINE :**

|                                         | Pag. |
|-----------------------------------------|------|
| Breve chronicon Elnonense . . . . .     | 1    |
| Ancienne chronique de Flandre. . . . .  | 27   |
| Chronicon majus Li Muisis . . . . .     | 95   |
| Chronicon minus ejusdem . . . . .       | 295  |
| Chronicon Jacobi Muevini . . . . .      | 449  |
| Chronica Tornacensis . . . . .          | 475  |
| Chronicon Balduini Ninoviensis. . . . . | 581  |
| Appendices . . . . .                    | 747  |

—

**ERRATA.**

|          | ERRATA.                               | CORRIGE.                     |
|----------|---------------------------------------|------------------------------|
| Pag. 150 | lin. 15 Suaviae . . . . .             | <i>Suaeviae.</i>             |
| — 170    | 10 villae de Franchisia . . . . .     | <i>villae de franchista.</i> |
| — 181    | 3 sepultusque . . . . .               | <i>sepultaque.</i>           |
| — 190    | 4 not., sed cum Despars. . . . .      | <i>sed eum Despars.</i>      |
| — 191    | 6 not., de quod eprompsimus . . . . . | <i>de quo deprompsimus.</i>  |
| — 608    | Penult., Latomi . . . . .             | <i>latomi.</i>               |
| — 629    | 19 incontinentia . . . . .            | <i>incontinentiae.</i>       |
| — 646    | 15 Rameldis . . . . .                 | <i>Raineldis.</i>            |
| — 670    | 28 imminere . . . . .                 | <i>imminuere.</i>            |
| — 731    | 1 nota, explicuit . . . . .           | <i>explicit.</i>             |

—